FRANCISCI COLLII

AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS,
Et Ecclesiæ Mediolanensis Canon. Ordinarii,
& Pœnitentiarii Majoris

DE ANIMABUS PAGANORUM

Pars altera.

In qua de reliquis celeberrimis utriusque sexus Ethnicis pro suscepto munere disputatur.

Quartus, ac postremus liber accessit continens similem, ac cæteræ fuerunt, quæstionem. De primo mortalium parente, nonnullisque aliis, quibus aut antiqui, aut novi fœderis sacri veritas illuxit.

MEDIOLANI;

Typis Joseph Richini Malatestæ Impress. Reg. Camer.
MDCCXXXVIII.

Nomina eorum, qui hujus secundæ partis sunt argumentum.

Aristoteles
Diogenes Cynicus
Cato Uticensis
L. Annæus Seneca
Epictetus Philos. Stoicus
Apollonius Tyaneus
Plotinus Philosophus
Tiberius Cæsar } Imper.
Trajanus } Imper.
Sibylla Persica
Libyca
Delphica
Cumæa
Erythræa
Samia
Cumana
Hellespontica
Phrygia
Tiburtina

Nabuchodonosor } Reges.
Darius } Reges.
Cyrus } Reges.
Falconilla

Gaspar } Magi.
Balthasar } Magi.
Melchior } Magi.

Adam primus mortalium Parens
Cain
Henoch
Samson
Salomon
Origenes
Tertullianus.

A

FRANCISCI COLLII AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS

DE ANIMABVS PAGANORVM.

LIBER PRIMVS.

DE

Aristotele. | *Epicteto Stoico.*
Diogene Cynico. | *Apollonio Tyanæo.*
Catone Vticensi. | *Plotino Philosopho.*
L. Annæo Seneca.

De Aristotele.

Aeterna Aristotelis salus varijs Scriptorum testimonijs, & rationibus obfirmata.

CAP. I.

Clausimus prioris voluminis quæstiones discussione morum Platonis ab Aristotele sumpturi huius secundæ partis exordium, vt absolutam de inclyto præceptore disceptationem noua celeberrimi eius Alumni quæstio exciperet. Hic enim omnium philosophorum facilè princeps Nicomachi, Phestidisque filius patria Stagerites, Apollodoro teste 99. Olympiadis anno primo in lucem editus & tertium, ac sexagesimum annum agés fatis concessit: quem Gnostici olim, proh dolor, per summam dementiam in imaginibus æque, ac Saluatorem nostrum coluerunt, vt refert S. Irenæus, qui Carpocratis errores sugillans ait. *Gnosticos se autem vocant, etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas ha-*

Vixit ab orbe condito 3623. Ante Christi aduentum 355. Olympiade 99.

 bent,

Aduersus hæret. lib. 1. c. 24.

bent, dicentes formam Christi factam à Pilato illo in tempore, quo fuit Iesus cum hominibus, & has coronant, & proponunt cum imaginibus mundi philosophorum, videlicet imagine Pythagoræ, Platonis, & Aristotelis. Hactenus ex Irenæo de impietate Gnosticorum, qui ad hoc nefarium scelus mouebantur, vt opinor, illorum philosophorum virtutibus, quas similes, ac pares Christi virtutibus fuisse impiè crediderant. Non absimile scelus est, quod crimini dedit Theologis Loaniensibus Cornelius Agrippa carpens eos, quasi id muneris Aristoteli tribuerent in rebus ad naturam spectantibus, quod D. Ioanni Baptistæ in cœlestibus, diuinisque rebus aperiendis concessum est. Origenes tractans illa Saluatoris nostri verba. *Cum persecuti uos fuerint in hac ciuitate fugite in aliam*, ac Celsum, vt mos illius est, eam sententiam impie criminantem refellens, Iesu Christi decretum Aristotelis facto, & decreto confirmat sic scribens. *Huic Iesu, discipulorumque calumniosæ insectationi simile est quod refertur de Aristotele. Is enim cum intellexißet parari sibi iudicium vt impio propter quædam dogmata ipsius suspecta impietatis Atheniensibus, digreßus apud Chalcidem scholam habuit, sic rationem reddens familiaribus. Discedamus Athenis, ne præbeamus Atheniensibus secundam occasionem sceleris, quale prius perpetrarunt in Socratem, neue iterum per impietatem violent philosophiam.* In quo Origenis testimonio non exigua Aristotelis laus continetur, non solum quòd eum consilij, & sententiæ, quam salutis nostræ vindex Apostolos docuit, auctorem fuisse commemorat; verùm etiam quòd ab impietate, quam Athenienses in eum iactabant, vindicat, facilè credens, similem in Aristotele, qualis in Socrate fuerat, ab obiectis criminibus innocentiam viguisse. Lactantius ait fuisse Aristotelem pro viribus iustitiæ defensorem, ac mortalibus honestam viuendi rationem præscripsisse, quamuis, diuinarum rerum doctrina careret: Quod tamen magnæ virtutis opus, ac non exiguo præmio dignum fuisse videtur, Lactantij verba sunt. *Nam Plato, & Aristoteles honesta quidem voluntate iustitiam defendere cupierunt, effecissentque aliquid, si conatus eorum bonos, si eloquentiam, si virtutem ingenij diuinarum quoque rerum doctrina iuuisset*, & mox. *Illi enim depingebant verbis, & imaginabantur iustitiam, quæ in conspectu non erat, nec præsentibus exemplis confirmare poterant, quæ asserebant. Responderi enim posset ab audientibus, non posse ita viui, sicut illi sua disputatione præscriberent, adeo vt nulli adhuc extiterint, qui id genus vitæ sequerentur.* Vir pius, ac doctus huius nostræ tempestatis eundem fermè lapidem euoluens miris ad cœlum vsque laudibus extollit magnum hunc re vera philosophum mox de æterno illius præmio placidè laturus sententiam, vt opinor, ni re penitus obscura deterritus hunc in modum opinionem suam temperasset. *Vtrum autem Aristoteles Deum ab se cognitum pariter, vt Deum glorificauerit, eidemque gratias egerit; an verò sit computandus in eorum numero, qui, vt ait Apostolus ad Romanos primo. Euanuerunt in cogitationibus &c. Deus nouit, non vllus, vt opinor mortalium. Quamquam hoc, ipso quòd Athenis profugit ob vnius veri Dei professionem, & confessionem, satis indicauit, se nolle gloriam incorruptibilis Dei transferre ad simulachra ex ære fusa, aut ex lapide lignoue sculpta, & edolata.* Quis autem ex his non intuetur pronum huius Scriptoris animum fuisse in spem sempiternam Aristotelis æui beatorum? Sed ab omnibus tricis, quibus huius doctoris animus detinebatur, liber Ioannes Genesius Sepulueda epistola 91. quæ prima est libri septimi apertè, & nimis audacter pro Aristotelis æterna salute sic pugnat, vt nulla formidine

In Apologia contra Theologos Loaniens.

Matth. 10.

Contra Celsum lib. 1. prope fin.

Aristoteles digressus Athenis apud Chalcidē scholam habet.

Lib. 5. de iustitia cap. 18.

Gretserus de varijs celis Luther. cap. 12. in digress. pro Aristotele.

Io. Genesius Sepulueda Aristotelem æternam salutem assecutum docuit.

midine eum esse velit diuinæ maiestatis in Cælo cultorem, permotus nonnullis rationibus, quarum fortiores in compendium redactas proferam in medium, quas ille magno verborum apparatu in Apologia pro Aristotelis doctrina,& probitate fusius prosequitur.

In primis omnium benè sentientium concors est opinio, post præsentis vitę curriculum eos ad cœlestia euocari præmia, qui ad præscriptum, formamque legis naturæ vixerint; hac autem ratione mortalem hanc vitam traduxisse Aristotelem, ex operibus eiusdem refertis omni eruditione, & scientia ostendente vitæ,morumque candorem, colligit Sepulueda. Tum ex D. Augustini libro de vtilitate credendi. Honestissimè vir bonus fuisse creditur, cuius litteris generi humano, posteritatique cõsultum est; at quis mortalium nostris hisce temporibus naturalium rerum cognitionem, & scientiam acceptam non refert Aristoteli, qui pater liberalium artium ab omnibus meritò appellatur? Deinde Sapientis sententia est, in maleuolam animam non introire Sapientiam, nec habitare in corpore subdito peccatis, cum autem omni sapientia ornatus, ac illustris Aristotelis cernatur fuisse animus, quis vel hinc non intelligit Aristotelicæ animæ innocentiam, & sanctitatem? S. Augustinus. Sapient. 1.

Quòd si fortè obijcias miseram hanc mortalium esse conditionem, vt in multis offendant omnes, vltrò dabit Sepulueda, Aristotelem eidem infirmitati obnoxium affectibus cessisse humanis, ac sæpius lapsum in multis. Cæterùm quàm egregiè illius æternæ felicitatis causam prosequatur audi; inquit enim.

His tamen, qui longo vsu virtutis habitum induerunt, post peccatum pœnitentia statim animum subeunte, facilis est ad insitam virtutem receptus, & expeditior in gratiam cum Deo reddendi conatus. Enim verò tanta ab aliquibus obseruantia cultus noscitur Aristoteles, vt ab operibus, quæ confecit, certum trahant innocentiæ illius argumentum aientes. *A sceleribus liberum fuisse pro luculentissimo testimonio sunt philosphica eius opera, quæ tam acuta, tam profunda, tam subtilia, & vt vno verbo omnia complectar, tam diuina proficisci non potuerunt, nisi ab animo sereno, & à vitiosis prauitatibus Bacchi præsertim, & Veneris depurato, atque defæcato.* Similis Sepuluedæ opinioni sententia fuit quorundam hominum nostri æui, qui palàm receptum inter felices animas Aristotelem asserebant, vt testis est vir grauis ita scribens. Audiui ego ante annos plurimos, cũ essem in Gallia, viros sua, aliorumque opinione doctissimos, qui sane fidenter affirmarent, non sibi verisimile videri, summos illos disciplinarum Antistetes, vt Aristotelem, Theophrastum, Demostanem, Ciceronem, Galenum fuisse sempiternis supplicijs addictos, quippè illos strenuè pro communi omniũ salute laborasse, atque idcirco diuina misericordia, ac pietate videri posse non indignos. Illud etiam præsenti sententiæ suffragatur, quòd is agnitor fuerit vnius supremæ maiestatis, ceu ex 8. physicorum; duodecimoque metaphysicæ dignosci potest. Quin imò, (quod veluti ab alijs proditum solus, quod adhuc viderim, litteris mandauit Cælius Rodeginus) Aristoteles ad eam mysteriorum Dei cognitionem peruenit, vt Iesu Christi aduentũ ad purganda hominũ crimina præsensisse videatur, extrema enim agens iterum, atque iterum fuit approbator illius Homeri sententiæ, qua in Odyssea dixit, indecorum non esse immortalibus, ac cœlestibus Dijs humana spolia, & naturam induere, quô ab interitu, & patratis sceleribus homines reuocentur. Postremo, ait idem Gretserus digress. pro Arist. cap. 13. Antiquarum lectio lib. 7. c. 13. Rodeginus censet Aristotelem incarnationis mysteriũ præsensisse.

Rodeginus, proditum esse monumentis, Aristotelem imminentis mortis conscium dolori, ac lachrymis laxasse habenas, inusitataque spe commotum primi motoris, seu primæ causæ miserationem omni conatu implorasse, sæpius verba illa, quæ vulgo circumferuntur, proferens. *Causa causarum miserere mei.* Quibus rebus iam quis maiora ab mortali exigat, cum ex illis elucere cognoscamus non solum viguisse fidem in Aristotele venturi Saluatoris, quæ ab orbe condito ad extremum vsque iudicij diem omnibus, vt salutem adipisci possent, pernecessaria fuit: verùm etiam malè actæ vitæ, patratorumque scelerum pœnitentiam, ac ab eodem imploratum diuini numinis auxilium. Cæteras argumentationes, quæ ad astruendam Aristotelis beatitatem confici possent, in re alioqui, meo iudicio, clara, & multorum testimonia non exigente, lubens prætereo.

Aristotelis morientis ad Deũ precatio.

Aristotelem perpetuis in gehenna noxiorum supplicijs torqueri varijs Scriptorum, ac præsertim Sanctorum Patrum suffragijs declaratum.

CAP. II.

Etenim ostensurus sum, ni grauiter hallucinor, firmioribus cùm prophanæ, tùm sacræ litteraturæ fundamentis, nihil superesse spei de felicitate æterna Aristotelis, qui & si (vt meminit S. Hieronymus) *Fuerit absque dubitatione prodigium, grandeque miraculum in tota natura, cui penè videatur infusum quidquid naturaliter est capax humanum genus,* attamen quia donis naturalibus sibi à Deo liberaliter concessis abusus est nimio fastu elatus, ac Dei vnici cognitione pollens cultor illius esse renuit, ideo eam adijsse sedem cogimur opinari, quam damnatorum animæ, ac Dæmones colunt. Huc enim spectant, quæ Macharius senior Aegyptius homilia 42. in hoc argumentum de Aristotele memorat. *Nam sapientes huius mundi Aristoteles, Plato, Socrates, qui rerum notitiam callebant, non aliter se habebant, quàm vrbes amplæ: at erant ab hostibus vastati, quia carebant spiritu diuino:* at qui cœlesti spiritu, illiusque gratijs vacuus est, Dæmonum obnoxius tyrannidi fuerit necesse est. Cuius rei clarissimum ex Aristippo in primo libro de antiquorum delicijs testimonium elucet, quo traditur. Aristotelem Hermææ pellicis amore captum prolapsum eò dementiæ, vt, Hermæa concedente, mulierculæ, & scorto, ac postmodum vxori ea prorsus ratione sacrificarit, quo Athenienses Heleusiniæ Cereri sacrificare solerent, ac Hermææ pellicis largitori carmen, quod solis Dijs debebatur, conscripserit. Hinc agnosce lector, & mirare, quales pro Deo suis sacrificijs veneraretur Aristoteles, qui pro Nicanore genero ægrotante vota fecit, (si incolumitatẽ recepisset,) se duas statuas, alteram Ioui seruatori, alteram Iunoni sospitæ dedicaturum rescisso iure veri numinis, à quo bona omnia scatent. Verùm in ipso mortis articulo idolorum cultor egregius Aristoteles hoc inter cætera suo testamento sanxit. *Matris etiam nostræ Cereris Imago Hermeę vel vbi visum sit, collocator.* At quid mirum hæc legasse Aristotelem, qui eum sibi beatitatem sperare didicerat, quæ non cœlestis, & diuina, vt veritas habet, sed

Mira Arist. laus ex S. Hieronymo. In regula Monachorum cap. 11. de vanitate scientiæ mundialis.

Macharij opera habentur in Biblioth. patrum tom. 4.

Apud Diogenẽ Laert. in Alex. Aristoteles scorto vt Deę sacrificat.

Ex Guetino in Aristotele. Dijs gentiũ m vouet.

ſed terrena, & corruptibilis erat? Non enim, in quo tolerabilius errabant Stoici, in ſola virtute beatam vitam, ac mortalium felicitatem poſuit, ſed ad virtutem ea, quę bona ſunt corporis, valetudinem, vires, pulchritudinem, externaque bona, diuitias, gloriam, nobilitatem, & huius generis reliqua adijciendà cenſuit, quò beatæ vitæ natura,& ratio conſtaret,ceu inter alios annotauit Tacianus Aſſyrius his verbis. *Cæterum illi, quibus aut pulchritudo, aut diuitiæ, aut corporis robur, aut nobilitas deeſt, felices ſecundum Ariſtotelis ſententiam eſſe non poſſunt*. At non ſolum in multorum, falſorumque Deorum cultu, & beatæ vitæ natura, & proprietate lapſus eſt naturalis ſciẽtiæ anteſignanus,ſed turpius errauit in ipſa rerum omnium ſumma, quæ ſi ſemel labefacta corruat, apertam omnium, quæ mortalibus ſperare fas eſt,ſecum è veſtigio ruinam trahit, humani animi immortalitatem loquor, quam non credidiſſe, immò negaſſe Ariſtotelem grauiſſimorum ſcriptorum teſtimonijs ducti certo opinamur. Licet enim non me fugiat, quæſtionem hanc non ſemel doctiſſimorum torſiſſe ingenia,nec poſſe hactenus ad liquidum conſtare ex illius monumentis, adeo certam hanc, & euidentem eſſe de mortalitate animorum ſententiam,vt is aliquando non propendiſſe in oppoſitum videatur: illud tamen è pluribus in vnum conſpirantibus inſigni pietate,& doctrina Patrum votis vt certum euinci poteſt. Quare omiſſis letigioſis diſceptationibus in ſcholis philoſophorũ nunc maximè agitatis, quibus conantur nonnulli defenſorem Ariſtotelem conſtituere immortalitatis animorũ, Diuus certe Epiphanius impij dogmatis patronum illum eſſe cenſuit contra hæreſes lib.3.tom.2.cap. quod inſcribitur. *Compendiara vera doctrina*, in quo latè exitioſum hoc monſtrum ad baratrum vſque deturbans in Ariſtotelem ſapientiſſimè diſputat. Fecit idem Aeneas Gazæus in Theophraſt. ſeu de immortalitate animorum, vbi hæc de impio Ariſtotelis dogmate tradit. *Ariſtoteles autem eius diſcipulus diuerſum ſentit, & animam, excogitato nouo nomine, continuatam quandam, & perennem motionem appellat, quam exiſtimat materiæ quaſi extremam manum imponere, ac forma cum ſit, ſimul cum corpore diſſolui*: & pluribus interiectis ſubdit *Ariſtotelem enim, qui nimia quadam ſua, atque intemperata ſapientia falſus animorum immortalitatem è medio omnem tollit, ſilentio prætereo*; quem tota ſerie ſequentis orationis probat impietate cæteros philoſophos omnes viciſſe. Verùm nunc ſuper eadem re nobis audiendus eſt Chriſtianorum philoſophorum antiquiſſimus D. Nemeſius Epiſcopus Emiſſenus, qui eius criminis reum Ariſtotelem facit. *Ariſtoteles, qui animam dicit entelechiam, nihilominus idem ſentit, quòd qui qualitatem eam eſſe voluerunt*. Qualitatis autem vim, & naturam vna cum materia perire, nemo ignorat.

Felices quinam eſſent iuxta Ar.

Oratione ad Græcos in Biblioth. Patrum tom.4.

Ariſtoteles animorum immortalitatem negauit.

S. Epiphanius.

Biblioth. Patrũ tom.9.

De natura hominis to.9. Biblioth. Patrum.

Huius pernicioſiſſimæ hæreſis ſpecimen dedit Ariſtoteles non ſolùm in ſcholis, dum alumnos ſuos infecit, errorem diſſeminans, verùm etiam ipſa, qua vſus eſt viuendi ratione, quæ peſſimis polluta ſceleribus, factis, & operibus animi immortalitatem apertè negabat. Vis ex parte illius crimina intueri, audi Tacianum. *Ariſtoteles terminum prouidentiæ impudenter præfixit, & felicitatem earum rerum, quarum ipſe afficiebatur copia, imperitiſſimè circumſcripſit. Et Alexandro adoleſcenti aſſentatus eſt, qui poſtea prorſus quidem Ariſtotelice amicum nolentem eum adorare tamquam vrſum, & pantheram inclusum circumferebat. Quin etiam in conuiuijs, vt præceptoris ſui placita ſequeretur, egregium ſcilicet fortitudinis, & virtutis ſpecimen edidit, intimum, & chariſſimum Eleum amicum haſtile transfigens, deinde inedia ſe macerans ſimulata triſtitia*.

Oratione ad Græcos in Bibl. Patrum tom.4.

ſtitia, ne amicorum odium incurreret. Certe riſu dignos iudico, qui hodieque placitis illius abutuntur, & res omnes, quæ infra Lunam ſunt, prouidentia regi negant; ipſi verò terræ affixi, & longe inferiores orbe Lunari ſollicite ijs rebus prouident, quas prouidentiæ expertes aiunt. Hinc ex Alexandro diſce Ariſtotelem, & ex diſcipulo cognoſce magiſtrum, quorum mores vſus & conſuetudo ſimiles, ac pares effecit; quandoquidem teſte auctore grauiſſimo Tertulliano, *Ariſtoteles familiarem ſuum Hermam turpiter loco excedere fecit (hoc eſt interfecit familiaritatis prætextu) Chriſtianus ne inimicum ſuum lædit. Idem Ariſtoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quàm Plato à Dionyſio ventris gratia venditur.* Qualem autem exiſtimare debemus eſſe eum, qui fractis amicitiæ iuribus fraudulenter, & aſtu, quem ſanctè colere debuerat, neci dedit? Quin fama eſt Ariſtotele auctore ſublatum e medio Alexandrum Principem, quem ante erudierat; vt Plutarchus memoriæ prodidit hunc in modum ſcribens. *Quidam Ariſtotelem perhibent eius facinoris conſilium Antipatro dediſſe, & omnino illius offerendi veneni auctorem extitiſſe. Hæc Agnothemis narraſſe dicitur, qua ex Antigono rege audiſſe conſtabat.* Et licet non ita facilè aſſentiatur Plutarchus veneno periiſſe Alexandrum, nobis tamen id aſſerenti D. Hieronymo fidem accommodare placet; qui epiſtolæ finem impotens, quam de inſtitutione filiæ ad Lætam ſcripſerat, hortanſque matrem, vt ad ſe enutriendam Paulam mittat, hæc ſpondet, ex quibus res noſtra ſuadetur. *Geſtabo humeris, balbutientia ſenex verba formabo, multo glorioſior mundi philoſopho, qui non regem Macedonum Babylonio peritum veneno, ſed ancillam, & ſponſam Chriſti erudiam, regnis cœleſtibus offerendam.* Quin ſi externa corporis veſtiendi ſpecies ſiſtatur ab oculos, qua viuens olim mirificè capiebatur Ariſtoteles, ne eam mentis imaginem, de qua hactenus, præſetulit: curioſiſſimè enim, ac molliter circumueſtiri, calciari, comamque paſcere, ac delicatius tondere aſſueuerat, digiti anulis aureis onuſti cernebantur; in facie cæteros irridendi ſtudium quoddam inerat, ac importunior loquacitas, vt tradidere ſcriptores, quæ omnia vti veræ philoſophiæ contraria cum auerſaretur Plato, in eam diſcipuli incurrit offenſionem, qua non ſolùm in vitæ inſtitutis, verùm etiam in ipſis diſciplinarum rationibus diſcrepare peramarit Ariſtoteles. Cæterum quia hæc, quæ vltimo loco de Ariſtotelis in veſtiendo lenitate diximus, leuia ſunt ad illius probandam damnationem argumenta, grauiori vtamur fundamento opus eſt, quo tota quæſtio claudatur. An fortius illud cenſendum, quod nobis Iuſtinus martyr ſuppeditat, qui oratione parænetica ad gentes prope finem ait: *Ariſtoteles enim tamquam acrius, quàm Plato res cœleſtes viderit, non vt Plato in ignea eſſentia Deum eſſe dicit, ſic etiam ipſe ait, ſed in æthereo quinto elemento eum eſſe cenſuit, & qui de his ſibi credi propter orationis nitorem, & probabilitatem æquum cenſebat, cum nec Euripi naturam, qui in Chalcide eſt, ſcientia comprehendere poſſet, magna ignominia, & dedecore offenſus exceſſit è vita.* Cenſent alij Ariſtotelem deſperatione tactum, cum reciproci marini æſtus naturam, & cauſas venari haud poſſet, ſe in pelagus dediſſe præcipitem, ſibique ipſi hoc contexuiſſe elogium. Quoniam Ariſtoteles non cæpit Euripum; Euripus cæpit Ariſtotelem. Sed, vt liberè dicam; nec iſta æternæ mortis reum eſſe Ariſtotelem peruincunt; mœrore enim confici, & ob non diſſolutum reconditæ quæſtionis nodum interire, criminis culpa vacat, ſi à vi, cæteriſque naturali lege prohibitis, quæ violentam necem inferre poſſunt, abſtineatur. Grauius eſſet poſtremum, ni iuſta dubitatio de illius veritate oriretur, cum probæ notæ au-

Taciānus irridendos cenſet qui placitis Ariſtot. delectantur.

Apolog. cap. 6.

In Alexandro Rege.

In ep. ad Lætā.

Alexander Magnus veneno ſublatus.

Ariſt. mores.

Cælius Rodeg. antiquarū lect. lib. 17. c. 34.

Ariſtoteles mæſtitia confectus ex Iuſtino.

Ex Rodeg. antiq. lect. lib. 30. c. 8. qualis Ariſt. interitus.

ctore

ctore careat, qui hoc litteris mandarit. Tutius igitur ex Eumelo in lib. 5. historiarum non obscurè colligitur lethali culpa pollutum interijsse Aristotelem, dum sibi cicutæ poculo vitam ademit, propterea quòd Demophilus ei impietatis iudicium eo nomine intendisset, quòd in Hermæ laudes confecisset hymnum; quamuis contendant nonnulli Aristotelem cicutæ poculo sibi necem intulisse, propterea quòd in se iudicium de amici morte non posset effugere. Vt vt res fuerit, ex hactenus adductis illud ratum, firmumque manet, e viuis abijsse Aristotelem non ab alio, quam à se sponte necatum, quod scelus æternæ supremi Iudicis vindictæ obnoxium semper extitit, ni supra communem naturæ legem diuino illustratu fieri hoc contingat, quod de Aristotele opinari temeritatis nota non caret.

Apud Diogenē Laertium. Aristoteles cicutæ poculo vitā sibi ademit. Pamelius notis ad Tertull. apolog.

Verùm enimuerò miserrimum Aristotelis è mortali aura decedentis interitum pulchrè expressit D. Hieronymus, qui illa Ecclesiastis verba explanans, *labor stultorum affliget eos*, doctrinam Aristotelis versutias, & perditum laborem appellat, aperto, vt dicitur capite, tradens illum cum pluribus alijs e diuina Ciuitate reiectum. *Lege Platonem, Aristotelis reuolue versutias, Zenonem, & Carneadem diligentius intuere, & probabis verum esse, quod dicitur, labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsierunt, sed quia non habuerunt ducem, & præuium itineris, & humanis sensibus rati sunt, se comprehendere posse sapientiam, ad Ciuitatem minimè peruenerunt*; & rursum alibi ostensurus, quàm futilis sit mundialis scientiæ vanitas probat, non eos, qui humanæ scientiæ sectatores, & magistri habiti sunt, qualis fuit Aristoteles omnium celeberrimus, sed humilitatis, sanctæque fatuitatis participes regnum adipisci cæleste. *O Sancta*, ait, *fatuitas, quæ natos ad labores homines in mundo mereris transuehere ad gloriam ereptos de pœnis. Non hanc fatuitatem doctissimam Athenis Plato didicit, non Aristoteles, non Anaxagoras, non cæterorum stultorum mundi sapientum turba percepit*, & paulo post ad vnũ Aristotelem orationem deducens subdit. *Attende & tu fatuorum sapientum princeps Aristoteles, quoniam sapientia mundi stultitia est apud Deum, si charitas non informet, si intellectus non rapiatur ad fidem, si cor ad Christi seruitutem non inclinetur. Qui Iudæis est scandalum, paganis stultitia*. Postremo ad hanc opinionem nostram accessit D. Ioannes Chrysostomus, qui inter damnatos reponit Aristotelem, eam enim Apostoli sententiam expendens, qua in mundi philosophos, & sapientes inuehitur Apostolus asserens, nullam apud Deũ illis de proprijs sceleribus superesse excusationem, quoniam clarè intuentes illius maiestatem creaturis adhærere, eisque debitos creatori honores tribuere maluerunt, ita loquitur. *Et Aristoteles quidem aduersus Platonem insurrexit &c. vt non tam illos conueniat ob sapientiam admirari, quàm auersari*, & mox Apostolici textus seriem enucleans subdit. *Accusationem in illos intendens taxat omnem illorum idololatriam*: idolorum autem cultoribus, si eidem culpæ obnoxij decedant, gehennæ ignem iusto Dei iudicio paratum ...tholica sententia est.

In Eccl. c. 11. De regula Monach. c. 11. Hom. 2. in ep. ad Rom. cap. 1.

Infirma

Infirma esse, quæ pro Aristotelica salute pugnare videbantur.

CAP. III.

Sepulueda, & Gretserus citatis locis.

VErùm quia Aristotelis defensores his reuicti argumentis solent eô confugere, vt dicant hæc esse conficta ab æmulis in odium eius viri, qui toto vitæ curriculo plurimos suæ fortunæ, ac reconditæ sapientiæ habebat infensos, vt obtrectationibus, ac calumniosis criminationibus immortalem tanti viri existimationem vel omnino obliterarent, vel denigrarent saltem, cogimur hoc loco nos, qui & Aristotelis, & inimicorum eius, si qui fuerẽ, causas procul habemus, solius veritatis indagandæ studio ducti ad viuum resecare, & venari, an ea, quæ pium, veri, æternique numinis, ac virtutum cultorem Stageritam esse suadent, firmo veritatis fundamento nitantur, vt hinc æquus rerum arbiter facilè agnoscat aut Aristoteli merito fauentium, aut iure aduersantium studia.

Quod igitur prima sede positum fuerat pro Aristotelica probitate argumentum. Iniquo animo planè ferenda est temeritas, & petulantia Gnosticorum, qui per summum scelus æquè venerabantur Ethnicorum philosophorum, ac Christi Domini imagines, & damnandum scelus Cornelij Agrippæ, qui pro suo in Theologos illos magna eruditione, & pietate illustres capitali odio mendacissima effutiuit.

Plus autem ex adducto Origenis testimonio assumitur, quàm aut res patiatur, aut Origenes ipse vellet, qui à simili petito ex suscepta Aristotelis fuga, qua parata sibi ab aduersarijs supplicia declinauit, Saluatoris præceptum traditum Apostolis ex prophanis etiam historijs confirmari posse eo loco ostendit, haud sollicitus inquirendi, innocensne, an nocens verius esset Aristoteles, veluti à proposito suo alienum, vt ex ipso contextu claret.

Aristotelis autem causam nihil iuuat Lactantij testimonium, quo patet eum caruisse diuinarum rerum notitia, quæ sola adiuncto sibi diuinæ transnaturalis gratiæ auxilio ei ad æternam salutem via esse poterat. Quamquã aliàs volumine primo monui Ethnicæ philosophiæ antistites sæpè pro viribus verbis & disputationibus defendisse virtutes, quas illi ad extremum vitæ exitum auersarentur, vt de Platone, alijsque Gentilibus philosophis Sanctorum Patrum testimonio peruicimus.

Arist. ob vnius Dei confessionẽ Chalcidem non se contulit.

De fuga autem, qua Athenas relinquens Chalcidem se recepit Aristoteles, benignè nimium, ac secus quàm ex historiarum monimentis intelligatur, iudicat, ac definit Gretserus, dum ob vnius veri Dei cognitionem & professionem profugisse eum scribit, iure silentio tegens, quem ipse habeat huius Aristotelicæ probitatis auctorem, nam ex Eumelo, & Diogene auctoribus grauissimis, quibus philosophorum famam cumulare laudibus cordi esse, vbi veritas patiebatur, eorum testantur monimenta, aliam itionis Aristotelicæ in Chalcidem, eamque turpissimam fuisse, etiam Pamelio teste, iam vidimus; at neminem, qui hoc, quod Gretserus vult, Aristoteli tribuat, me legisse memini: soli Socrati hanc à multis & prophanis, & Sacris Scriptoribus concessam laudem primo volumine nostro constitit. De Aristote-

le autem nullus Sanctorum Patrum, nullus antiquorum Scriptorum, qui id dixerit, aut per ſuſpicionem attigerit vnquàm, hactenus mihi repertus eſt; Ex oppoſito autem falſorum Deorum ſimulachris Ariſtotelem diuinos conceſſiſſe honores geſta, & illius teſtamentum loquuntur.

Nec potiora cenſenda ſunt argumenta, quæ Ariſtotelicæ ſalutis æternæ propugnator Sepulueda efformauit. Scilicet multiplices Deos venerari, eis vota facere, blandiri principibus, cupiditatibus inſeruire, amoris ſpecie trucidare ſodalem, ſeque ipſum perdere, iura naturalia ſeruare eſt? at hæc patrata ab Ariſtotele vidimus. Lubens fateor, de genere humano bene meritum litteris, & doctrina ſua fuiſſe philoſophum; ac quod inde conſequitur, virum morali hac virtute præditum, vſitato more, bonum potuiſſe appellari, quod duntaxat voluit D. Auguſtinus: at diuerſa planè ſunt ab humanis cogitationibus Dei conſilia; neque collata in humanum genus beneficia, quæcunque illa fuerint ſtudio litterarum mortalem ad æternam requiem iuuare poſſunt, ſi veri Dei gratia, cultus, amor, ac proximi charitas deſint, vt Ariſtoteli proculdubio defuerunt.

Illam autem ſapientis ſententiam, in maleuolam animam non intrabit ſapientia, de ſapientia non mundiali, qualis Ariſtotelica erat, ſed cœleſti, & diuina, qua pollens Dei amicitiæ particeps eſt, & ad beatam ſedem properat, intelligendam eſſe vel inde colligitur, quòd antiquorum nobiliſſimi varia doctrina & ſapientia præditi, immò ſcientiarum principes, & Anteſignani in inferis crementur, vt de Platone, Pythagora, Cicerone, Plinio, Seneca, & alijs certò opinamur, quorum duo poſteriores immortalitatem animorum de medio ſuſtulerunt. **Sapientis ſententia illa: In maleuolam animã &c. quomodo intelligenda.**

Caret etiam omni vel probabilitatis ſpecie, quod in Ariſtotelis ſui gratiam excogitauit Sepulueda de redditu illius in gratiam diuinam poſt lapſum. Quæ enim virtus inſita fingi poteſt, qua ei facilior eſſet vel ad Dei amicitiam conatus, vel pulſante animum patrati ſceleris conſcientia, ad virtutem receptus? Nam cum ſolis naturalium ſcientiarum habitibus emineret Stagerites, (quis enim cogitare, ne dum aſſerere audeat illum tranſnaturalibus, & infuſis virtutum donis præcelluiſſe) quid illi prodeſſe poterant, fractis legis naturalis, & diuinæ repagulis, vel facilis regreſſus ad virtutem humano partus labore, vel quicunque naturalis habitus, quorum vim nullam eſſe ad demulcendum iratum numen ſacræ litteræ docent? Qui item eſſe potuit conatus expeditior ad Dei amicitiam, *cum non ſit volentis, neque currentis, ſed Dei miſerentis* & ſecluſa Dei gratia nec facilis, nec facilior, ſed planè nullus peccatoris eſſe queat ad reſurgendum conatus? Quòd ſi hæc nouit, vt arbitror, Sepulueda, cur ab longo virtutis vſu, quem in Ariſtotele finxit, illius ſalutem poſt peccatum auſpicatur? cur non ſatius id totum in diuinã miſerationem conijcit, quæ peccatores molli attractu ad ſe allicit? **Ad Rom. 9.**

At inquis, hæc in Ariſtotele facta cordis illius fores pulſante pœnitentia. Recte quidem; ſed cum veram pœnitentiam Dei tranſnaturale opus eſſe ex Sacris Concilijs firmum ſit, cur à Deo pœnitentiam inſtillante reddeundi conatum in Diuinam amicitiam non petit Sepulueda? Ergo, vt res iſta claudatur, cum nihil in Ariſtotele eſſet ſupra cæteros mortales peccatis irretitos fruſtra ad illius iuſtificationem vel ſcientiæ naturalis vſus, vel quilibet alius naturalis habitus exiguntur.

Hinc ridiculum eſſe apparet, quod alij excogitauerẽ pro eiuſdem philoſophi innocentia, & beatitate, adducentes ſcripta illius ceu diuina. nam etſi

Arist. impietas. quandoque ſupremam vnam rerum cauſam, ſeu Deum agnouerit, impiè tamen ab illius adminiſtratione, vi, & prouidentia, quæ extra Lunæ cœlum reperiuntur, ſubſtraxit, ac proinde vt Deum imperfectum, ac quod inde fit neceſſariò conſequens, non Deum finxit, ac ſtatuit. Impij enim huius dogmatis patronum Ariſtotelem agnoſcunt, ac reprehendunt. S. Epiphanius dum ait: *Ariſtoteles dixit, quæ ſupra Lunam ſunt, diuinæ prouidentiæ eſſe; quæ verò infra Lunam extra prouidentiam eſſe, & latione quadam temeraria ferri prout contingit*. Id ipſum de Ariſtotele ſenſit Ambroſius lib. 1. de Officijs cap. 13. *Qui Deum putant curam mundi nequaquam habere, ſicut Ariſtoteles aſſerit vſque ad Lunam eius deſcendere prouidentiam*, quam hæreſim toto capite deinceps ſubtiliter refellit, ſanam, quæ ſola defendi poteſt, doctrinam tradens. Citatis Patribus Cyrillus Alexandrinus additur contra Iulianum Apoſtatam, qui numerans ea, in quibus Plato, & Ariſtoteles diſcrepant, ait. *Verùm diſcipulus eius Ariſtoteles non idem ſentit, neque animatum mundum totum, neque mentalem, ſed neque prouidentia gubernatum*. Pretcrea accedit ad eandem opinionem Athenagoras in oratione pro Chriſtianis habita, vbi dum de ſenſilium rerum infra cœlos exiſtentium varietate, miraque viciſſitudine ageret; inquit. *Hoc ipſo & Ariſtoteles adductus partes cæli inferiores nulla prouidentia regi dixit*; Et tandem, vt de cęteris qui noſtri philoſophorum decretis ſileam, adſuit eidem opinioni Tacianus Aſſyrius, cuius teſtimonium paulò ante allatum videat lector.

(Contra hæreſ. tom. 2. lib. 3. c. compẽdiaria via. — Lib. 2. non lõge à principio.)

Liberum autem ſit, & tutum vnicuique fidem, & auctoritatem abrogare ei argumento, quo diuinum Incarnationis Sacramentum Ariſtoteli innotuiſſe aſſeritur: tùm quòd gratis inuentum ſit, nulliuſque auctoris tegatur patrocinio: tùm quòd arcanum, quod ſolis inſignioribus, ac chariſſimis Dei amicis diuino afflatu, & ſuboſcuris prophetarum vocibus detectum fuerat, improbo homini temerè fingatur patefactum. Ni fortaſſis in oracula Sibyllarum incidiſſet, ex quibus tanti myſteri trahere poterat non obſcurum argumentum, quod non crediderim, cum Apoſtolo teſte, hoc myſterium ſcandalum Iudæis, & Gentilibus ſtultitia, poſtquam re ipſa contigerat, viſum ſit; neque Homerus ipſe tanti myſterij aliquam planè cognitionem hauſerit.

Moriens Arist. ea verba non protulit. Causa causarũ miserere mei, & cæt. Tandem, quod poſtrema ſedè productum fuerat argumẽtum nihil prorſus Ariſtotelis cauſam iuuat, cum verba illa ab Ariſtotele extrema agente prolata eſſe inane commentum ſit aut à ſolo Rodegino, aut ab alio quoppiam non magni nominis, quod adhuc ignoro, per ſpecioſa quæque Ariſtotelis nomen, & famam extollente excogitatum. Quis enim non irrideat aſſerentem, ab Ariſtotele imploratum primæ cauſę patrocinium, quam res humanas non curare arbitrabatur? ergo ne adeò patens error, & tanta acutiſſimi hominis menti effuſa caligo eſſe potuit apertam in ſe claudens eiuſdem rei repugnantiam, & contrarietatem? Huc enim illa Sancti Pauli ſententia tendit. *Quo modo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt*. Ni arbitrari malueris in extremo mortis articulo Ariſtolelem ſui erroris pertæſum & diuina gratia tactum eam agnouiſſe, & efflagitaſſe Dei prouidentiam, & miſerationem, quam viuens ſpreuerat: ſed cum iſtud temerè, & pro libitu duntaxat dici queat, quis figmentum credere in animum ſuum inducet?

(Ad Rom. 10.)

Ex his omnibus lectori facile erit iudicium, num vera, an ficta crimina ſint, quæ Ariſtoteli olim obiecta fuerẽ. Quis enim liuoris, & inuidiæ notam inurere audeat Sanctiſſimis Eccleſiæ Catholicæ proceribus Epiphanio, Ambroſio,

broſio, Chryſoſtomo, Hieronymo, Cyrillo, ac cæteris, quos in Ariſtotelis vitia teſtes locupletiſſimos protulimus? Quod ſi, (vt pios & fideles decet,) Ariſtotelis defenſores facere renuant, certe probris, ac contumelijs inſectari illos, qui grauiter erraſſe Ariſtotelem ſcripſerunt, plane deſinant, neceſſe eſt.

DE
DIOGENE CYNICO.

Nonnulla Diogenis acta iustis virtutum operibus perquàm ſimilia.

CAP. IV.

CElebeerrimus apud omnes hic philoſophus cum à principio, Suida teſte, Cleon appellaretur, Diogenes poſtmodum dictus eſt Hiceſij menſarij Sinopenſis filius. Ei, vt arbitror, Cynici pronomen inditum eſt, quòd, vt tradit Clemens Alex. Stro. lib. 1. Antiſthenis Cynicæ ſectæ primi auctoris diſciplinam profiteretur, quæ in mordendo, carpendoque homines verſabatur ducta à canibus appellatione: ex quo factum eſt, vt non ſemel canis Diogenes nuncuparetur, & à conciuibus ſuis poſt mortẽ cane honeſtaretur è pario lapide, qui columnæ apicem tenens ſupra eiuſdẽ ſepulcrum eminebat. D. Hieronymus Iouinianum oppugnans non modò perhonorificam Diogenis mentionem fecit, ſed etiam famoſiſſimum, Rege Alexandro potentiorem, & naturæ humanæ victorem appellauit; addiditq. illum tanto Antiſthenis audiendi exarſiſſe deſiderio, vt eius philoſophiam vita ipſa habuerit potiorem. *Huius, inquit ille, Antiſthenis, Diogenes ille famoſiſſimus ſectator fuit potentior rege Alexandro, & naturæ victor humanæ: nam cum diſcipulum Antiſthenes nullum reciperet, & perſeuerantem Diogenem remouere non poſſet, nouiſſimè claua minatus eſt, niſi abiret, cui ille ſubieciſſe dicitur caput, atque dixiſſe Nullus tam durus baculus erit, qui me à tuo poſſit obſequio ſeparare.*

Ab orbe condito 3693. Ante Christi aduentum 185. Olympiad. 113.

Cynica diſciplina vnde dicta.

Diogenis laus ex S. Hier. lib. 2. contra Iouin.

Quæ ad Diogenis famam, & exiſtimationem pertinent plurima feruntur, qualia ſunt innumera ab eodem acutè, & facetè dicta. Verùm quæ de Deo pronunciauit illuſtriora fuerê; intimam enim diuinæ maieſtatis in rebus omnibus præſentiam, infinitamque illius cognitionem mentis acumine comprehendit, indignèque tulit mortales aliquid erga Dei cultum non humiliter, non decorè, non reuerenter aggredientes. Conſpicatus enim aliquandò mulierem indecorê ſe ad Deorum effigies proijcientem, eius ſuperſtitionem tollere volens, ac propius accedens, non caucbis, inquit, mulier, ne Deo ponè te ſtante, illo enim plena ſunt omnia, aliquid agas indecorè? Præterea malis, & ſceleſtis hominibus aduerſari Deum innuit, cum Lyſiæ pharmacopolæ eum interroganti; num dari Deos crederet, reſpondit, quo modo tem exiſtimo, qui te Deorum hoſtem puto? malè enim apud Diogenem au-

Dei immenſitas ab Diogene cognita.

Diogenis Laertij verba.

dicebat Lysias ille. Humana curare Deum, hostijs, & sacrificijs placari, hominum prospicere necessitatibus an non declarauit Diogenes, cum stomachabatur, nonnullos pro valetudine vel impetranda, vel conseruanda Dijs litare, & in ipso sacrificio contra valetudinis statuta cœnare? Quòd si eius rei, quam in alijs summoperè desiderabat, fuit amans Diogenes, quis mortalium illo iustior, quis innocentia, & honestate nobilior? Demirabatur enim perpetuò, qui fieri posset, vt musici lyræ cordas inter se perbelle concinnantes redderent, & tamen animi sui sensus rebelles, incompositos, & inter se pugnantes haberent, perditis, vitiosisque moribus vtentes. Quamobrem ne ipse eodem laboraret vitio, temperantiam, frugalitatemque inprimis tanto studio coluit, vt vnico dolio tamquam regia domo contentus degeret in plateis vel eo minimo, tenuique cibo vtens, quem illi prætereuntes largiebantur, & vt idem cæteri facerent, auctor erat, docens tenuissimo cultu viuendum, & aquam ad potionem adhibendum.

Deus malos auersatur.

Dei prouidētia ex Diogene.

Enim verò singularis ista propagandę vitę Diogenis ratio eiusmodi erat, vt digna Patribus visa sit, quę contra Catholicę fidei hostes, & vitę monasticę vituperatores in testimonium adduceretur; quemadmodum fecit Origenes. *Sed & Diogenes prænimia frugalitate habitabat in dolio, nec tamen à quoquam vel mediocriter prudenti hac de causa habebatur malis obnoxius.* Idem obseruauit subsequentibus postmodum seculis D. Io. Chrysost., cuius integrā sententiam mox adducemus. Sed insignis fuit B. Hieronymi in commendando Diogene beneuolentia, quem veluti frugalitatis, constantię, patientię, cæterarumque virtutum professorem Iouiniano obijcit, multa lectione, & agnitione digna de eo tractans, quorum pauca, quæ de illius interitu prodidit, hoc loco attingam. *Virtutem eius, & continentiam mors quoque indicat, nam cum ad agonem olympiacum, qui magna frequentia Graciæ celebrabatur, iam senex pergeret, febri in itinere dicitur apprehensus occubuisse in crepidine viæ, volentibusque eum amicis aut in iumentum, aut in vehiculum tollere non acquieuit, sed transiens ad arboris vmbram locutus est. Abite quæso, & spectatum pergite, hæc me nox aut victorem probabit, aut victum; si febrim vicero ad agonem veniam, si me vicerit ad inferna discendam, ibique per noctem eliso gutture non tam mori se ait, quam febrim morte excludere.*

Diogenis vitæ traducēdæ frugalitas.

Lib. 1. contra Celsum.

D. Hier. virtutū Diog. commendator egregius lib. 2. contra Iouinianum.

Diogenes mortē nō formidat.

Incredibili parsimoniæ comite, & sociā adiunxit Diogenes asprā quandā vestiendi, incedendi, crinisq. pascendi formulam oīno dignā admiratione, inculto .n. corpore, horrido capillo viuebat, & pedibus nudis tacitus seipsū in vijs intuēs gradiebatur. Vis clarius intueri quousq. progressa sit huius philosophi industria se, suæq. carnis illecebras fræno cohibendi, lege, si placet, quæ de illo tradit Laertius, & citato loco Hier. & comperies Diogenem sic corporis spreuisse delicias, vt hieme statuas niuibus conspersas amplexaretur, & in feruenti arena iaceret æstate, ad extremam vsque senectutem hunc viuendi morem retinens, reclamantibus frustra amicis. Dicentibus quibusdam senex es, posthac de labore aliquid remitte, quid, inquit, si stadium currerem, ad ipsum finem de cursu remittere, ac non potius magis contendere me oporteret? Amplius diuitias, quas plerique vel iure, vel iniuria comparare omni studio enituntur, an non spreuisse Diogenem compertum est? Clara sunt apud profanæ litteraturæ scriptores huius rei exempla, quæ pro libitu quilibet per se legere potest. Ego vnius Chrysostomi fretus testimonio præteribo cætera. Sancti Doctoris verba sunt, *Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum putas, siquidem ille voluisset accipere? sed noluit:*

Diog. vestiendi, & incedendi ratio.

Diogenes vsque ad mortē asperitatis tenax.

Lib. 2. aduersus vitæ monasticæ vituper.

voluit: pecuniæ enim cupiditatem malorum omnium metropolim dicere solebat, perpetuò deridens nobilitatem, gloriam, cæteraque, pro quibus adipiscendis, aut retinendis quid non audent mortales? Diogenes Auaritiæ côrêptos.

Porrò his rebus gestis tantam sui admirationem excitauit Diogenes, vt Alexander ipse Macedonum, & totius penè orbis rex, & dominus, palam professus sit. Se, ni Alexander natus esset, Diogenem nasci voluisse. Quam verò ista cum religione nostra congruant, non est cur lectorem moneam; illud reticere non debeo, similem immò hanc eandem fuisse semitam, qua primi nascentis Ecclesiæ patres, Dei adiuuante gratia, ad cœlos peruenerunt, ibidem sine dubio & Diogenem reperturi, si his operibus mentem ad id direxisset, in quo totius virtutis summa consistit, cauissetque à cæteris, quæ in Deum, & homines contumeliosa erant. Alexander, ni rex esset, se Diogenem futurum desiderat.

An quæ superiori capite recensuimus Diogenis virtutes fuerint, an vitia: Cur dolium inhabitaret, & quibus præcipuè criminibus obstringeretur.

CAP. V.

Qvi nudam operum Diogenis corticem intuetur, iusta fuisse opera putabit: At si hæc scrutetur altius, non re, sed nomine duntaxat adumbratam quandam virtutis præ se tulisse imaginem facilè sentiet duplici titulo. Altero, qui in omnes Paganorum omnium operationes militat: Altero, qui ad Diogenis opera proximè spectat. Primum ex B. Augustini scriptis clarum est, dum infidelitate Pagani hominis sic vitiari ipsa etiam virtutum opera probat, vt miserationem ipsam in gentilibus peccatum esse velit. *Immo responde*, Iulianum enim interpellat, *vt hoc sine dubitatione perspicias: vtrum bonam misericordiam existimes infidelem. Porro si vitium est male misereri, procul dubio vitium erit infideliter misereri. Quod si & ipsa per se ipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono male vtitur, & hoc bonum male facit, qui infideliter facit, qui autem male facit aliquid profectò peccat. Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciunt infideles non ipsorum esse, sed illius, qui bene vtitur malis. Ipsorum autem esse peccata, quibus & bona male faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est, stulta, & noxia faciunt voluntate.* Alterum ex eiusdem Diogenis operibus euincitur, quibus constat non virtutis, sed necessitatis opera fuisse, cum temperanter, sobrièque viuebat: cæterum vbi lautius epulandi arripere poterat occasionem, quis plus Diogene ventri, gulæque indulsit? Nouit hoc illius vitium Gregorius Nazianzenus, idque 23. oratione non tacuit. *Hæc quanto Antisthenis vanitate, & Diogenis ingluuie, & communi Cratis matrimonia sublimiora, & præstantiora sint, quid dicere attinet?* Iustas tantæ voracitatis pœnas (multorum testimonio) dedit Diogenes, cum pedem bouis crudum vorans mortuus est, efferuescente mirum in modum atra bili: siue, quod verius putat Elias Cretensis, cùm deuorato crudo polypo mortem inuenit. *Diogenes autem ventri vsque adeo deditus erat, vt cum lautiores epulas inueniret, cibos eos, quibus philosophi vti consueuerant, recusaret. Quin etiam ferunt crudo polypo.*

Li.4. contra Iulian. cap. 3.

Bona opera infidelium ex genere suo cur in ipsis mala.

Diog. ingluuies.

Cur mortuus.

23. orat. Naz.

lypo per ingluuiem deuorato mortem obijsse. Et quidem non virtutis, vel frugalitatis amore, sed aliarum rerum inopia vili cibo nonnunquam cænasse Diogenem videtur subobscuris, breuioribusque verbis significasse Nazian- Orat. 5. zenus cum inquit. *Et Diogenis illius dolium incolentis dicacitate, per quam Tragicis tyrannis hospites, hoc est, placentis vilis panes loco cedere iubet;* quem Nazianzeni locum illustrans Elias. *Rursum*, ait, *Diogenes Cynicus philosophus erat dolium in foro habitans homo alioqui facetus. Est autem facetia vrbanitas in sermonibus, ac dicacitas risum ciens in colloquijs. Qua quidem ille vtens, cum exquisitiores cibos reperiret, tragicum illud verbum ad vulgarem, & plebeium cibum proferebat, melioribus, ac præstantioribus cede.*

Non ausim tamen ea, quæ de Diogenis erga Deum reuerentia notata sunt, eidem vitio dare, ni illa ex infideli, vt putat Augustinus, voluntate noxam fortassis hauserunt. Cæterùm illa viuendi, vestiendi, ambulandique consuetudo vanitas, & superbia fuit, ad quam allusisse puto Tertullia- In Apolog. num cum inquit. *Diogenes superbos Platonis thoros alia superbia deculcat, cænulentis pedibus eos deturpans*, vt ego arbitror, huius siquidem Cynicæ superbiæ conscius Plato apud Tertullianum. *Quanto*, inquit, *ò Diogenes, fastu tumes, dum superbiam te calcare putas.* Hoc stimulante vitio eam vi- Ho. 35. in ep. ad Cor. 1. cap. 14. uendi normam Diogeni arrisisse auctor est D. Ioannes Chrysostomus, qui Vas electionis, eiusdemque rationem vitam alendi Diogenis mori opponens, ac præferens inani gloria elatum notat, quòd vilissimis vestibus indueretur. *Non sicut ille Sinopeus, qui pannis obsitus & dolium habitans, cum nihil esset opus, multos quidem stupefecit, nulli autem profuit. Paulus autem nihil horum faciebat, neque enim spectabat ambitionem, & honoris desiderium, sed* Turpis viuendi ratio qua vtebatur Diog. *& decorè induebatur vestibus, & domi assiduè habitabat, seque planè exactum, atque perfectum ostendebat in alia virtute, quod deficiebat Cynicus intemperanter viuens, & impudicè, & publicè se obscanè gerens, & indecorè.*

At cur degebat in dolio? Idem Chrysostomus superbiæ, inanique glo- Ibid. citato loco riæ id adscribit. *Si quispiam enim roget causam dolij habitationis, nullam* Cur Diogenes in dolio degeret. *aliam inueniet, quam falsam vanam gloriam.* Placuit tamen D. Gregorio Nazianzeno opinari, alia etiam ductum ratione Diogenem dolium coluisse: Nempe vt inexplebili ventris, & gulæ voracitati hoc inusitato habita- Orat. 20. tionis domicilio satisfaceret, sic enim scribit Basilij commendans paupertatem. *Hic verò in dolio, atque in medio foro habitabat, vt apud omnes luxus, ac delicias sibi compararet, inopiam in rerum copiam nouo modo conuertens, verùm pauper erat ab omni gloriæ cupiditate alienus.* Ad quem locum Nonnus si- Nonnus scholiastes. milia, vel potius eadem tradit. Ferat modò iudicium qui hæc fortassis legerit, num fucati mores isti Diogenis virtus, an peccata censenda sint. Scio Laertium habitationis dolij causam conijcere in eum, qui, expetente Diogene, ædes opportuno tempore ei non conduxerat, verùm grauior est mihi tantorum Patrum auctoritas.

Magna quidem hæc illius philosophi vitia fuisse quis non videt; at gra- Diogenis fœdissima in reb. venereis temeritas. uioribus vndequaque præmebeatur, publicæ morum honestati derogans; omnia enim iusta simul, & iniusta palàm, non modò Cereris, sed Veneris etiam munera exequebatur, ipsa natura repugnante; id quod, præter profanos scriptores, in citato superius testimonio Diogeni exprobrauit Chry- De Ciuit. Dei lib. 14. c. 20. sostomus, quodque acerrime oppugnauit Augustinus. *Hoc illi canini philosophi, hoc est, Cynici non viderunt proferentes contra humanam verecundiam quid aliud, quam caninam, hoc est immundam, impudentemque sententiam, vt*

scilicet

scilicet quoniam iustum est, quod fit in vxore, palam non pudeat id agere, nec in vico, nec in platea quilibet coniugalem concubitum deuitare. Vicit tamen pudor naturalis opinionem huius erroris. Nam etsi perhibent hoc aliquandò gloriabundum fecisse Diogenem putantem sectam suam nobiliorem futuram, si in hominum memoria insignior eius impudentia figeretur, postea tamen à Cynicis fieri cessatum est. Certe Lactantius Firmianus turpissimam hanc consuetudinem non hominis, sed canis esse propriam ratus, canum imitatores iure merito Cynicos appellauit. *Nam quid ego de Cynicis loquar, quibus in propatulo coire cum coniugibus mos fuit. Quid mirum si à canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum, nomenque traxerunt?* Lib. 5. de falsa sapient. cap. 5.

Sed ne in recensendis huius philosophi sceleribus, quibus innumeris illius vita scatebat, plus æquo detinear, ad finem huius capitis placet lectorem admonere; Diogenem non alienæ famæ, non hominum pepercisse vnquam incolumitati: verbera enim verberibus, iniurias, & probra iurgijs, & conuitijs semper vlcisci voluit. Eum enim, qui cum ipsi trabem impegisset, cauere illum posteà iusserat, bacillo percutiens, caue inquit. Pari ratione, cum ei aliquandò exprobratum esset, quod adulterauisset pecuniam, fuit, inquit, olim illud tempus, cum ego talis eram, qualis tu nunc es, qualis autem nunc ego sum, numquam tu eris. O præclaras Diogenis virtutes veris catholicæ religionis virtutibus planè oppositas; præcipiunt diuinæ leges maxillam percutientem non modo repercutiendum, sed eidem potius alteram vltrò offerendam. *Et qui te percusserit in maxillam, præbe & alteram.* Rursus eadem diuina lege sancitum est, hilari fronte, pacatoque animo ferendas iniurias; eos, qui paruerint, cætibus beatorum associandos. *Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate. Quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.* At non ex his fontibus Diogenis præcepta, & opera manarant, non sanctioribus hisce mandatis, non Deo nouerat obedire, sed tenebrosi carceris, gehennæque principi obsequebatur, sub cuius imperio, & potestate in perpetuum miserrimè torqueri debebat, nullo enim Diogeni adiumento ad salutem assequendam, vt scripsit Theophylus Antiochenus, fuit Cynica philosophia; cum sempiternis supplicijs ob scelera sua esset addicendus.

Vltor iniuriarum Diogenes.

Matt. 5. & Luc. 6.

Matthæi 5.

Natum nonaginta circiter annos, cum longæuus esset Olympiade 113. decessisse Diogenem tradit Laertius, addens illum amicis suis mandasse, vt corpori suo sepulcrum negarent, quo animalia membris suis pascerentur. Ego quamuis de nonagenaria Diogenis vita cum Laertio consentiam, falsum tamen eum in Olympiade, qua hunc philosophum vixisse tradit, certissimum reor, erutis ex ipso etiam Laertio non obscuris fundamentis: scribit enim in vita Diogenis (quod ex alijs etiam scriptoribus in idem conspirantibus planum est) Syncronon Platonis fuisse Diogenem, & Platonem 88. olympiade in lucem editum, & octoagenarium obijsse omnium fermè calculis constat; vixisset igitur Diogenes annis 125. si eiusdem planè æui Plato, & Diogenes fuissent, quod fieri non potuit, cum breuior esset illius tempestatis humanæ vitæ cursus. Si quis tamen anno trigesimo quinto post Platonis ortum, hoc est nonagesima quinta olympiade progenitum Diogenem contendat, Laertij opinio haud refellenda est, quandoquidem, si nonaginta anni, quibus vixit Diogenes, 95. olympiadi addantur, ætas ad 113. olympiadem ascendet, constabitque sibi Laertius, cum mutua Platonis, & Diogenis

genis colloquia refert: sic enim spatio 35. annorum orto Diogene, iam uixerat Plato.

DE CATONE VTICENSI.

CAP. VI.

Ante Christi aduentum anno circ. 17. Cæsare Dictatore.

INclyta Catonis fama cogit nos ne prorsus intactam de eo, prout instituti nostri ratio postulat, quæstionem relinquamus. Vir enim fuisse videtur omnibus pene numeris absolutus, quem S. Augustinus lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 21. appellat ea virtute magnum, quæ veritati catholicæ sit affinis, ad hunc modum scribens. *Sed cum illa memoria duo Romani essent virtute magni Cæsar, & Cato, longè virtus Catonis veritati videtur propinquior fuisse, quàm Cæsaris*. Lactantius optimi ciuis Romani laudem Catoni tribuit lib. 3. cap. 18. nec immerito quippe qui vnius veri Dei cultor fuerit ea tempestate, qua vniuersus pene orbis falsorum Deorum multitudine, & idololatria oblectabatur. Fuisse autem præditum hac Dei cognitione Catonem, Tostatus est auctor, cuius hæc sunt voces. *Est enim opinio multorum Poetarum, quod vnicus erat Deus, qui vocabatur Iuppiter: iste propter diuersas proprietates varia nomina accipiebat, vt aliquando vocaretur, Iuppiter, aliquando Phebus, aliquando Mars, & interdum nomine viri, & interdum nomine fœminæ, vt Diana, Minerua, Venus, Vesta, vt non solum nomina multiplicarentur, sed etiam diuersa sortirentur simulachra, siue apud eandem gentem, siue diuersus, in tantum quod in eodem templo essent viginti simulachra reprehesentantia eundem Iouem sub diuersis nominibus, & figuris, & non solum putabant istum solum esse Deum, sed etiam istum esse vbique, & esse omnia. Ista fuit opinio magni Catonis Vticensis*, in quo non minor fuit morum castitas, & innocentia, quàm veri numinis cognitio, nam censor morum, vindex criminum, & iustitiæ propugnator ad hæc vsque tempora per ora mortalium volitat: nec iniuria quippe qui strenuè decertauit aduersus suæ tempestatis, & Patriæ vitia, & insurgentes corruptelas, vt ex Salustio auctor est B. Augustinus, qui Catonem conciues suos ita alloquentem facit. *Nolite existimare maiores nostros armis Rempublicam ex parua magnam fecisse. Si ita esset multo pulcherrimam eam nos haberemus, quippe sociorum atque ciuium, præterea armorum, & equorum maior copia nobis, quàm illis est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt, domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini, neque delicto obnoxius*. Ita Cato scitè prorsus, & ad legis Diuinæ mandata congruenter, qui solius boni operis fructu gaudens, quæ omnium fermè mortalium titillat mentes, spreuit, despexit, contempsit. Postremo spe, & desiderio obtinendæ immortalitatis, quam à Deo donatum animum suum senserat, sponte letho caput obtulit moræ tanti præmij impatiens: antequam enim è corporeo domicilio exiret, perlegisse Platonis librum dicitur, qui est de æternitate animorum, vt Lactantius

S. Aug. qualẽ appellaret Catonem.

Lactantius optimum ciuẽ Cat. fuisse ait.

Lib. Iudicum c. 3. q. 23.

Cato vnũ Deũ agnouit.

Lib. 5. de Ciuit. Dei c. 12.

Vera Catonis de Romano Imperio sententia

Ante obitũ Platonis opus de immortalitate animorũ legit.

tius libro tertio de falsa sapientia cap. 18. & Tostatus 2. regum cap. 17. q. 19. scripserê.

De Aeterno Catonis interitu.

CAP. VII.

Ceterum ne longius faciam, hæc ipsa, quæ Catonem celeberrimum reddiderunt, prudentibus sempiternę damnationis illius aperta sunt argumenta, ac illud pręcipuè, quod vltimo loco adductum est. Quid enim sceleratius est, quàm se ipsum à vita abigere: *nam si* (vt ait Lactantius hoc ipsum Catonis scelus reprehendens) *homicida nefarius est, qui hominis extinctor est: idem sceleri obstrictus est, qui se necat, quia hominem necat. Immò verò maius esse id facinus existimandum est, cuius vltio Deo soli subiacet. Nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus, ita rursus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis assignatum à Deo est, eiusdem iussu recedendum est, qui nos in hoc corpus induxit, tandiu habitaturos, donec iubeat emitti.* Cuius sanæ sententiæ Cicero in Catone maiore Pythagoram auctorem refert. *Vetat Pythagoras iniussu Imperatoris idest Dei de præsidio, & statione decedere.* Et rursus Scipionem ita cum nepote loquentem inducit. *Quare & tibi Publi, & pijs omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, à quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum à Deo defugisse videamini.* Et licet lib. 1. de officijs de decore personarum loquens, vt existimationi sui amicissimi Catonis, qua melius nouerat ratione consuleret, asseruerit, hoc illius grauitatem decuisse, non autem cæteros, qui eisdem ciuilibus malis premebantur, nihilominus solius naturæ radijs illustratus necis voluntariæ ius homini sublatum credidit Cicero. Lib. 3. c. 18. Scelus grauissimum est seipsũ interimere. In fragmẽto de Repubi. Ciceronis sententia.

At spe adipiscendæ immortalitatis, bonaque fide in mortem voluntariam impegisse, crimen non est. Quid? immo summum, quid enim interest quo animo facias, quod fecisse scelus, & crimen est? Nec pronis auribus audiendum, Catonem studio immortalitatis ad summum nefas compulsum, cum reipsa imbecillitatis animi, & inuidiæ stimulis agitatus id egerit, quod B. Augustinus aduersus eundem Catonem probè executus est, cum inquit. *De cuius facto quid potissimum dicam, nisi quod amici eius etiam docti quidam viri, qui hoc fieri prudentius dissuadebant imbecillioris, quam fortioris animi facinus esse censuerunt? quo demonstraretur non honestas turpia præcauens, sed infirmitas aduersa non sustinens. Hoc & ipse Cato in suo charissimo filio indicauit. Nam si turpe erat sub victoria Cæsaris viuere, cur auctor huius turpitudinis pater filio fuit, quem de Cæsaris benignitate bene sperare præcepit? Cur non & illum secum coegit ad mortem? Nam si cum filium, qui contra imperium in hostem pugnauerat etiam victorem laudabiliter Torquatus occidit, cur victus victo filio pepercit Cato, qui non pepercit sibi? An turpius erat contra imperium esse victorem, quam contra decus esse victorem? Nullo modo igitur Cato turpe esse indicauit sub victore Cæsare viuere, alioquin ab hac turpitudine paterno ferro filium liberaret. Quid ergo est, nisi quod filium quantum amauit, cui parci à Cæsare & sperauit, & voluit, tantum gloriæ ipsius Cæsaris, ne ab illo* De Ciuit. Dei lib. 1. c. 23. Cato a fluctus inuidiæ stimulis sibi intulit necẽ.

etiam sibi parceretur, vt ipse Cæsar dixiße fertur, inuidit, aut vt aliquid nos mitius dicamus, erubuit? Lactantius cum dixisset Catonem in omni sua vita Socraticæ vanitatis fuisse imitatorem, mox docturus quid eum ad mortem voluntariam incitarit, hanc, quæ mihi vero simillima videtur, causam assignat. *Nam mihi Cato videtur causam quæsisse moriendi, non tam vt Cæsarem fugeret, quam vt Stoicorum decretis obtemperaret, quos sectabatur, suumque nomen grandi aliquo facinore clarificaret, cui quid mali potuerit accidere, si viueret, non inuenio.* Abulensis citato antea loco occisionem Catonis manu propria peractam conijcit in desperationem rerum suarum, quas quotidie ruere in peius intuebatur.

Lib. 7. cap. 18.

Desperatio rerū humanarū impulit Catonē ad sui exitium.

Cum autem frustra sit monuisse lectorem naturæ principijs, & legibus repugnare homicidium vel contra propriam, vel alienam personam patratum, illud tamen annotasse nullum non erit operepretium. nempe cautum iure ciuili, ne lugeantur hi, qui sibi manus inijciunt C. liberorum §.non solent ff. de ijs, qui infam.not. Qui voluerit legat B. August. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 21. 22. 23. & facilè intuebitur, quam execrandum sit facinus eorum, qui sibi ipsis vitam arripiunt.

Qui se interficiunt non sunt lugendi.

Cætera quę pro Catone adducuntur, irrita esse vel inde cognoscitur, quod dum B. Augustinus virtute magnum, & Lactantius optimum Catonem appellarunt, loquantur de virtute, & bonitate morali non Theologica, quæ etsi trito hominum sermone, & ciuili existimatione virtutis honestate non careat, nihil tamen ad acquirendam beatæ vitæ possessionem mortales iuuat, cum diuinæ gratiæ beneficium desit. Catonis autem virtutem solita inanis gloriæ contagione fœdatam non ab alio tutius, quam ab eodem Augustino audire licet, quippe qui toto illo capite à soliditate virtutis longius aberrasse omnia Romanorum opera perpetuis vocibus contestatur: quare licet meliorem Catonis, quàm Cæsaris virtutem dicat, neutram tamen putat veræ virtutis laudē mereri, vt manifeste docet aduersus Iulianum his verbis. *Sed absit, vt sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit iustus. Absit autem vt sit, iustus vere, nisi viuat ex fide, iustus autem ex fide viuit.* Adeo autem certa, & euidens hæc est apud Augustinum sententia, vt & infideles legis naturæ præcepta custodientes propterea puniendos esse dicat, quod mandatorum custodiam, eô, quo debebant, non retulerunt. *Sed adhoc, ait, eos in die iudicij cogitationes suæ defendent, vt tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt, vtcunque fecerunt, scriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, vt alijs non facerent, quod perpeti nollent; hoc tamen peccantes, quod homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus enim Fabricius, quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minus impius, quàm Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimū deuiando.* Ita Augustinus, cuius sententiam, quę exempli loco Fabricium, & Catilinam expressit, si ad Cæsarem, & Catonem retuleris, ne latum vnguem ab illius doctrina poteris aberrare, cum par, & omnino æqualis, si meritum spectes, sit eorum omnium conditio.

Inanis gloria elatus Cato operabatur.

S. Aug. lib. 4. c. 3. sub initium capitis.

Pagani legis pręcepta custodientes cur peccent.

Ex quibus etiam corruit citatum illud ex Salustio pro Catone testimonium; huc enim illa S. Augustini sententia spectat. *Vbi proinde virtutes, quas ibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitijs ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsa vitia sunt potius, quàm virtutes. Nam licet à quibusdam tunc veræ, & honestæ putentur esse virtutes, cùm ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatæ, & superbæ*

Lib. 10. c. 15. contra Iulian.

sunt,

sunt, & ideo non virtutes, sed vitia iudicanda sunt. At quid de Catone dicemus, qui has ipsas ex genere suo virtutes ad inanem gloriam, & quandam virtutum ostentationem referebat? eodem Augustino auctore. *De illo quippe ait Salustius, quominus petebat gloriam, eo magis illam sequebatur, quandoquidem gloria est, cuius illi cupiditate flagrabant iudicium hominum bene de hominibus oipinantium, & ideo melior est virtus, quæ humano testimonio contenta non est. Neque enim est vera virtus, nisi quæ ad eum finem tendit, vbi est bonum hominis, quo melius non est.* Citato loco.

Quod verò addebatur, Catonem vnius veri Dei fuisse cultorem nullus, quē hactenus viderim. Patrum, aut Ecclesiasticorū Scriptorum, vno Abulensi excepto, meminit, immò Catonem Ciceronis amicissimi erroribus imbutum de falsis gentium Dijs, patriæq; superstitione & mores, & studia illius fidē astruunt, cuius voces, consilia, & de retinendis patriæ cæremonijs constantiam vniuersa Ciuitas velut diuina oracula excipiebat, quę omnia exploratę veritati de vnius supremi numinis cultu aduersabantur. Cato multorum Deorum superstitioni addictus

Illud postremo quod Tostatus de Poetis, & Catone subijcit vel omni probabilitatis specie caret; quasi verò cuilibet haud notum sit, non idem numē ab Poetis, & gentilibus creditum Iouem, & matrem Vestam, & Venerem, cæterosque, quorum nomina recēset. An non fabulabantur illi Iouem Opis, & Saturni filium fuisse, à quo Minerua, Mars, & Diana nati sint. At numquid pater, filius, & filiæ idem putatus Deus ab antiquis? numquid de Venere deliciarum, & voluptatum Dea idem censuere? cuius originem trahunt è spuma maris, & cæli, addita re non minus ridicula, quam impudica, quam apud poetas scrutetur, qui nugas scrutari solet. Quare si idem Deus hi omnes recensiti habendi sunt, illico consequetur, Iouem ex Opi, & Saturno natum se ipsum rursus genuisse, & iterum ex maris spuma nouam generationis suæ traxisse radicem, quo quid absurdius? Sed de commentis poetarum ad refellendam Tostati opinionem hæc perstrinxisse satis sit. Ex quibus non immerito colligitur, errasse Vticensem Catonem illum multiplices, ac varios gentilium Deos colendo, si vt testatur Abulensis, eorum statuas & simulachra, more poetarum reueritus est D. Hieronymus in epistola ad Paulam super obitu Blesillæ filiæ in pænam Catonis, quem stultæ philosophiæ martyrem appellat, æternum ignem æstuare, non alio probat argumento, quàm quòd voluntaria nece de corpore recessit. ait enim Christū cum Paula loquentem inducens. *Nullam animam recipio, quæ me nolente separatur à corpore. Tales stulta philosophia habeat martyres, habeat Zenonem, Cleombrotum, vel Catonem.* Tostati opinio refellitur. Cato stultæ philosophiæ martyr.

DE L. ANNÆO SENECA.

Quam sana, & sublimis fuerit Senecæ de Deo, rebusque diuinis cognitio.

CAP. VIII.

Anno salutis 67 S. Petri anno 23 Neronis Imp. an. 11. moritur.

SEneca natus ex Annæa Equestri familia Octauio imperante, Cordubæ in Hispania Bætica patrem habuit eadem appellatione dictum, maternamque Heluiam. Hic siue captus vnà cum domesticis, siue sponte ad Vrbem Rom. se contulit, Pythagoreorumque fuit inprimis, mox Stoicorum auditor Focione, & Attalo præceptoribus. Ante exilium Senatoria dignitate, ciuitati autem restitutus summa bonorum omnium gratulatione Prætoris, & Consulatus honoribus claruit. Tum ab Agrippina ad moderandam Neronis Principis iuuentutem inuitatus paruit, composuitque Imperatori ea, quæ initio Imperij tàm in Senatu, quàm apud exercitum diceret, quæ tanti fecisse Senatum memorant aliqui, vt argenteæ columnæ inscribi iusserit, vt ea quotannis in creatione nouorum Consulum legerentur ea gratia, vt velut adamussim iuxta ea præcepta Rempublicam quam optimè regerent. *Quæ autem*, ait Xiphilinus in Nerone, *legit in Senatu ab eodem Seneca scripta tantam vim habuerunt, vt decreto Senatus insculperentur in columna argentea, vt quotannis, cum noui Consules magistratum inirent, legerentur*. Quamquam non me fugit Tacitum non inuolutè contrarium tradidisse, cum de prima, quam Nero habuit apud Patres, oratione loqueretur. *Die funeris laudationem eius Princeps exorsus est, dum antiquitatem generis, Consulatus, ac triumphos maiorum enumerat intentus ipse, & cæteri, liberalium quoque artium commemoratio, & nihil regente eo Reipublicæ triste ab exteris accidisse, pronis animis audita. Postquam ad prouidentiam, sapientiáq; flexit, nemo risui temperare, quamquam oratio à Seneca composita multum cultus præferret*. Sed, vt vt res ista se habuerit, quod è re nostra est, etiam ex Tacito constat non exiguam fuisse eloquentiæ vim, & parem in rebus agendis Senecæ prudentiam, quam summis laudibus grauissimi scriptores meritò sunt prosecuti.

Xiphilinus in Nerone post initium.

Lib. 13. Annal.

Ego muneris mei non immemor, in Seneca suscipio laudanda, aut reprehendenda, quæ vel ad æternam felicitatem, vel miseriam in auxilio fuisse ex scriptis eius didici: Cætera aliorum partes sunto. Quocirca instituto ordini inhærens scientiam, & cognitionem, qua de rebus diuinis excelluit à primo, tum vitæ traducendæ rationem, & mores Senecæ, quales fuerint, scrutabor, facileque ex his erit iudicium, quantum homini licet, de sede, ac domicilio, quod moriens Seneca sit adeptus.

De rebus diuinis Senecæ cognitio.

Quod igitur ad huius philosophi cognitionem spectat. De illa vnumquemque sic arbitror iudicaturum, qui illius opera peruoluerit, vt citra

omnem

omnem inuidiam sit dicturus, tam scite, tam docte, tamque prudenter passim philosophari, disputare, reconditos difficillimarum quæstionum nodos dissoluere Senecam, vt nihil ab homine naturæ solius sequente radios melius, nihil subtilius, legique nostræ, si pauca excipias, congruentius nihil expeti possit, & merito cum de diuina illa, supremaque mente eadem fermè subtiliter, & copiose tractarit, quæ in Theologorum scholis decantantur.

Vultis incipiam ab ipsis Theologiæ rudimentis? An non dari Deum suadet gentium omnium consensu; nulla enim tam fera, tamque barbara natio vspiam reperta est, quæ diuinum, augustumque numen aliquod non coluerit, quæque vna cum lacte nutricis hanc de Dei existentia opinionem non imbiberit. Hunc non plures (quod omnes pœnè Pagani existimauerê) sed vnum solum vniuersitatis conditorem, & artificem, non corpus, sed spiritum, causam omnium causarum, vniuerso terrarum orbi prospicientem, à quo fluxere vniuersa, & cuius vi, & spiritu viuimus, mouemur, & sumus, vt Paulus ipse tradit, non alieno robore, sed proprio stantem & se sustinentem esse Deum disertè disputat 2. naturalium quæstionum. q. 45. cuius seriem, & verba non iniucunda lectori referam. Etenim de Ioue loquens clarè testatur, non eum ipsum Iouem, cuius simulachra coluntur, sed sub Iouis nomine vnum summum Deum esse intelligendum, vt plerique sunt arbitrati. *Ne hoc quidem crediderunt, Iouem qualem in Capitolio & in cæteris ædibus colimus, mittere manu fulmina, sed eundem, quem nos Iouem intelligunt custodem, rectoremque vniuersi animum, & spiritum mundani huius operis dominum, & artificem, cui nomen omne conuenit. Vis illum fatum vocare? Non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia causa causarum. Vis illum prouidentiam dicere? rectè dices. Est enim cuius consilio huic mundo prouidetur, vt inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? Non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cuius spiritu viuimus. Vis illum vocare mundum? Non falleris. Ipse enim est totum quod vides totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua.* At de hoc clarius est etiam Senecæ testimonium à Lactantio ex Senecæ scriptis, quæ interciderunt adductum. *Annæus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quam sæpè summum Deum merita laude prosequitur, nam cum de immatura morte dissereret. Non intelligis, inquit, auctoritatem, ac maiestatem Iudicis tui rectoris orbis terrarum, cœlique & Deorum omnium Dei, à quo ista numina, quæ singula adoramus, & colimus, suspensa sunt? Item in exhortationibus. Hic cum prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, & hoc ordiretur, quo neque maius quidquam nouit natura, nec melius, vt omnia sub ducibus suis irent, quamuis ipse per totum se corpus extenderat, tamen ministros regni sui Deos genuit. Et quam multa alia de Deo nostris similia locutus est.*

De Dei natura, & potestate.

Diuin. institut. lib. 1. cap. 7.

Deus ministerio Angelorum vtitur.

Vbi nemo non videt, non solum de Dei natura, verum etiam de creatione Angelorum, quos Deos ministros appellat, quorum patrocinio, & curæ mundi administrationem commisit Deus veritatem attigisse Senecam, qui apud eundem Lactantium asserit, & Deum carere à quo sit principio, & factas à Deo creaturas, Lactantij verba sunt. *Quod Seneca vir acutus in exhortationibus vidit. Nos inquit aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui, quod est optimum in nobis, debeamus. Alius nos edidit. Alius instruxit. Deus ipse se fecit.* Pensitent æqua lance ista Senecæ obiurgatores, & videant, num gentilicium, an verò Christianæ religionis sanam doctri-

Seneca dari Angelos cognouit.

Diuin. institut. lib. 1. cap. 6.

nam sapiant, & sine dubio meliorē de Seneca opinionem concipient. Et licet ista satis essent ad Dei maiestatem, vt vt mortales possunt, more suo concipiendam, nihilominus volens idem Seneca incircumscriptam illius magnitudinē hominum oculis obijcere addit. *Quid est Deus? Mens vniuersi. Quid est Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demum magnitudo sua illi redditur, qua nihil maius excogitari potest: si solus est omnia, opus suum & extra, & intra tenet.* Cæterum quia hæc humanæ imbecillitati ad habendam Dei notitiam non sufficere videbat. *Nemo nouit Deum, multi de illo malè existimant, & impurè.* Præterea immensitatem an non his vocibus expressit? *Quocunque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. Nihil ab illo vacat, opus suum ipse Deus implet.* Simili ratione. Dei esse omnia, & Deum omnia scrutari, & posse breuibus quidem, sed clarissimis sententijs docuit. *Ingentis spiritus res est &c. emittere hanc Dei vocem. Hæc omnia mea sunt.* Vidit Seneca Dei voluntatem in res omnes ita facilè dominari, vt ea sit lex omnium immutabilis, addiditque etiam certissimam diuinæ immutabilitatis rationem. *Sed sua illis in legem æterna voluntas est, statuerant, quæ non mutarent &c. Nec numquam primi consilij Deos pœnitet &c. Sed non ideo quia vis sua illos in proposito tenet ex imbecillitate permanent, sed quia non licet ab optimis aberrare, & sic ire decretum est.* Deinde cum fati primam legem esse stare decreto Dei, omniaque à Deo tamquam à primo rerum principio, primaq; causa pendere statuisset, id subito ratum, firmumq; esse decernit, in cuius attingenda ratione, & olim, & nunc theologorum desudat industria. Nempe diuinam voluntatem, & gratiam libero hominum arbitrio non officere, non à precibus, & piaculis, non à votis, cæterisque rebus, queis diuinum numen obsecramus, & veneramur vocandum, etsi inmota, & stabili, firmissimaque sit diuini fati ratio. Ad hæc soli Deo perfectam virtutem, beatamque vitam contingere; in nobis vmbram verius & similitudinem perfectionum reperiri. Deum agentem in exteriora à se non recedere sine Deo neminem virum bonum esse in vno quoque iusto, bonoque Deum inhabitare, ingratis etiam, & iniustis præstare beneficia, futura cognoscere, interesse vitæ, cogitationibus, precibus, ac hominum conscientiæ: Condendi orbis Dei bonitatem causam fuisse: concessum nobis animum, vt Deum, quæque Dei sunt, attentè spectemus, & spiritum nostrum à corpore ad res cęlestes, & diuinas subducamus. Colendum esse Deum propter maiestatē eximiam singularemque naturam: neminem Deo par pari reddere posse: ad Dei similitudinem fabricatos homines: omne bonum desursum esse à Deo: eiusdem munera esse in homines perpetua sine spe vtilitatis, aut quidquam recipiendi quoties docuit Seneca? Qui hanc adducit rationem, cur Deus votis iustorum, ac piorum hominum, quos maximè diligit, non statim aspiret. *Paternum Deus habet aduersus bonos viros animum, & illos fortius amat, & operibus, doloribus, ac damnis exagitat, vt verū colligant robur.* Hæc, & similia, quæ passim Seneca in suis moribus habet, cum mente peruoluo, non gentilem philosophum, sed Christianæ fidei doctorem mihi audire videor: non enim inter Senecæ sententias, diuinique eloquij præcepta sententiarum, sed verborum duntaxat, vel parua, vel nulla dissensio est; vt sacræ scripturæ studiosi apprimè norunt. Possem, (exceptis Trinitatis Sanctissimæ, Incarnationis Dominicæ, & Sacramentorum mysterijs) non multo labore Theologicas veritates Senecæ sententijs conferendo demonstrare, illum ea fermè tenuis-

Prooemium natur. quæst. sub initium.

Epist. 31.

De immensitate Dei Senecæ sententia.

4. de benefic. 8.

7. de benef. c. 3.

De immutabilitate Dei Senecæ sententia.

6. de benef. 23.

Libertas humani arbitrij quā benè congruat cū Dei voluntate, & gratia.

2. natur. quæst. 37.

9. de vita beata cap. 8.

1. ep. 41. ibid. ep. 28.

2. ep. 95. & de benefic.

Epist. 41.

3. de benef. c. 32

De prouidentia cap. 2. & 3.

se omnia, quæ de Deo, de homine, humanisque operationibus in gymnasijs traduntur, ni animaduerterem videri posse istud in Senecæ operibus exercitatis otiosum. Quocirca ex plurimis, quæ passim lectori obuiam fiunt, tactas Senecæ sententias attigisse, sat arbitror, vt ex ijs, tamquam ex vngue leonem sublimem huius philosophi de rebus diuinis scientiam lectores agnoscant.

Senecæ despicientia Idolorum, pluriumque Deorum irrisio.

C A P. I X.

SCitè differentem de Deo Senecam audiuimus; nunc eidem in vana simulachra, falsorumque Deorum multiplicitatē acerrimè inuehenti præbeamus aures sic enim facile conijci poterit, talem huius philosophi in vnum Deum fuisse religionem, qualem agnouimus, de eodem Deo fuisse cognitionem, quamuis curioso lectori planè de hoc argumento satisfaceret liber de superstitione olim à Seneca acurratissimè conscriptus, in quo suæ ætatis simulachrorum atque falsorum Deorum superstitionem, & errores copiose narrans, ac refellens, errori perniciosissimo obuiam ire conatus est: & quoniam fato concidit liber, ad idem nobis opem ferre poterunt Lactantius Firmianus, & B. Augustinus, qui, vt praclarissima illorum opera testantur, præ manibus Senecæ librum de superstitione, & eiusdem nonnullos alios, qui nunc desiderantur, habuere Lactantius igitur demirans hominum amentium, qui aut idola fingunt, vt ea postmodum timeāt, aut timent, vt ea fingant ad scelus istud confutandum Senecæ vtitur testimonio, docetque ridiculum omnino esse statuarium, & fabrum statuas suas reuereri, & vana ab eodem confecta Deorum simulachra adorare, cum melior, præstantiorque sit homo, qui simulachris speciem, figuram, & pulchritudinem arte sua donauit, quam sint statuarij opera, plusque sit virtutis in opifice, quam esse possit in opere. *Recte igitur Seneca in libris moralibus. Simulachra*, inquit, *Deorum venerantur, illis supplicant genu posito,* De origine erroris lib. 2. c. 2. *illa adorant, illis per totum assident diem, aut astant, illis stipem iaciunt, victimas cadunt, & cum hæc tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt. Quid inter se tam contrarium, quam statuarium despicere, statuam adorare, & eum ne in conuictum quidem admittere, qui tibi Deos faciat. Quam ergo vim, quam potestatem habere possunt, cum ipse, qui fecit illa, non habeat? Sed ne hæc quidem dare his potuit, quæ habebat, videre, audire, loqui, moueri.* Sed pulchre idem Lactantius probans nihil maiestatis habere simula- Lib. 2. de origine erroris cap. 4. chra, quæ in potestate fictoris fuerunt vt forent, aut non forent, idem prosequitur argumentum Senecæ testimonio vsus. *Merito igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet. Non inquit, bis pueri sumus (vt vulgo dicitur) sed semper. Verum hoc interest, quod maiora nos ludimus. Ergo his ludicris, & ornatis, & grandibus pupis & vnguenta, & thura, & odores inferunt; his opimas, & pingues bestias immolant, quibus est quidem os, sed carent officio dentium: his peplos, & indumenta pretiosa; quibus vsus velaminis nullus est: his aurum, & argentum consecrant, quæ tam non habent, qui recipiunt, quam qui illa donarunt. Nec immerito Dionysius Siciliæ Tyrannus post*

victoriam.

victoriam Græcia potitus Deos tales contempsit spoliauit, illusit: siquidem sacrilegia sua iocularibus etiam dictis prosequebatur. Nam cum Ioui Olympio aureum amictum detraxit, laneum iussit imponi dicens. Aestate graue esse aureum, hieme frigidum, laneum vero vtrique tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Aesculapio, incongruens, & iniquum esse ait, cum Apollo pater eius imberbis esset adhuc, ac læuis, priorem filium, quam Patrem barbatum videri. Item pateras, & exuuias, & parua quædam sigilla, quæ simulachrorum protentis manibus tenebantur detrahebat, & accipere se illa, non auferre dicebat. Per quam enim stultum, & ingratum esse nolle accipere ab his vltro porrigentibus, à quibus bona sibi homines precantur. O meritam erga huiusmodi numina religionem, ò præclaram Dionysij in Deos gentium pietatem, quæ si ex vnius supremi rerum omnium Dei agnitione esset profecta, quam vero Deo grata, quam chara fuisset: at Tyranno aurum, gemmæ, & reliqua pretiosa Dijs ipsis potiora erant, quæque volebat numina irridere, & per contumeliam spoliare gloriosum fuit.

Cæterum sui temporis simulachrorum vanitatem inuisam Senecæ subtiliter, & doctè tractat B. Augustinus, qui cum in damnanda vrbana Theologia, quæ in idolorum cultu, & superstitione maximè sita erat, liberiorem Varrone Senecam fuisse dixisset, mox degestis ex Senecæ doctrina testimonijs, quibus euincit, dementes esse eos, qui idola venerantur, hæc ipsa Senecæ decreta profert. *Sacros, inquit, immortales inuiolabilesque Deos ex materia vilissima, atque immobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumque, & piscium, quidam verò mixto sexu diuersis corporibus induunt, numina vocant, quæ si spiritu accepto subitò occurrerent, monstra haberentur.* Hæc ex Seneca Augustinus, qui rursum recitat acriorem Senecæ sententiam, quæ damnat ferinos ritus, & cæremonias, quibus pagani vana simulachra colebant. *De ipsis verò ritibus crudeliter turpibus, quam libere scripsit Seneca? Ille inquit viriles sibi partes amputat, ille lacertos secat. Vbi iratos Deos timent, qui sic propitios merentur. Dij autem nullo debent coli genere, si & hoc volunt. Tantus est perturbatæ mentis, & sedibus suis pulsæ furor, vt sic Dij placentur, quemadmodum ne homines quidem sæuiunt teterrimi, & in fabulas traditi cupiditatis. Tyranni lacerauerunt aliquorum membra, neminem sua lacerare iusserunt. In regiæ libidinis voluptatem castrati sunt quidam, sed nemo sibi, ne vir esset, iubente Domino, manus intulit. Se ipsi in templis contrucidant, vulneribus suis, ac sanguine supplicant. Si cui intueri vacet, quæ faciunt, quæque patiuntur, inueniet tam indecora honestis, tam indigna liberis, tam dissimilia sanis, vt nemo fuerit dubitaturus, furere eos, qui cum paucioribus furerent, nunc sanitatis patrocinium insanientium turba est.* Hactenus apud Augustinum Seneca, qui eo animi ardore sequitur eorum carpere fœdos mores, qui in Capitolio lymphatico furore perciti simulachris Deorum abutebantur; vt libere fassus sit, se, cum in Capitolium deuenisset, spectassetque ea, quæ publicè gerebantur, graui fuisse pudore affectum. Adeat lector ea, quæ apud Augustinum tradit Seneca de varia in colendis Deorum simulachris superstitione Romani Populi, & risum, atque cachinnos vix tenere poterit, dum ea Dijs suis tribuisse Romanos agnoscet, quæ nostra hac ætate infantes, & paruuli figmentis suis præstant.

Lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 10.

Enimuerò licet recitata hactenus testimonia, non solum in idola, sed etiã in falsos Deos militent, erit tamen operepretium paucula quædam hic subtexere, quæ Senecam falsorum Deorum irrisorem fuisse latius ostendunt.

Duo

Duo autem ad manum esse possunt Senecæ testimonia nobis à Lactantio, & Augustino suppeditata. Primum est Lactantij, qui cum plenius redargueret inueteratam illam persuasionem, qua Pagani Deos suos sexuum diuersitate pollere arbitrabantur, ostenderetque hinc fore necessariò consequens, vt innumerabilium Deorum plena essent omnia, cum continuò Dij gignantur, nullo eorum vnquam moriente (Deorum enim est natura immortalis) postea Senecam lepide in Deos, ac principem Deorum illudentem his vocibus adduxit. *Non illepide Seneca in libris moralis philosophiæ. Quid ergo est, inquit, quare apud poetas salacissimus Iupiter desierit filios tollere? Vtrum sexagenarius factus est, & illi lex Popia fibulam imposuit? an impetrauit ius trium liberorum? An tandem illi venit in mentem. Ab alio expectes, alteri quod feceris? & timet, ne quis sibi faciat, quod ipse Saturno.* Alterum Senecæ testimonium ex Augustino non minus euidens est: is enim agens de libertate huius philosophi, qui vehementissimè ciuilem Romanorum suorum Theologiam reprehendit, hæc de Seneca. *Quid? quod & matrimonia inquit Deorum iungimus, & ne piè quidem fratrum scilicet, & sororum? Bellonam Marti collocamus. Vulcano Venerem. Neptuno Salaciam: quosdam autem Calibes relinquimus, quasi conditio defecerit, præsertim cum quædam viduæ sint, vt Papulonia, vel Fulgora, & Diua Rominia, quibus non miror petitorem defuisse &c.* An verò Seneca liberius Dijs gentium illudere potuerit diiudicent hi, quibus veritas cordi est; mihi res est apertissima.

Diuin. instit. l. 1. cap. 16.

D. Ciuitate Dei lib. 6. c. 10.

Senecæ mores fuisse honestissimos, eidem virtutes prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ charissimas. Eiusmodi moralium virtutum operibus excultum Senecam, quibus instructi sanctioris vitæ Christianæ homines non modo contra Dæmones pugnant, verum etiam perfacilem, atque suauem vitæ huius in rebus diuinis traducendæ normam assequuntur.

CAP. X.

TAlem fuisse Senecam, qualem capitis titulus innuit, duplici argumentorum classe suaderi potest. Altera, quæ innititur testimonijs Scriptorum id asserentium. Altera, quæ ex Senecę operibus id manifestè conuincentibus habetur: hoc loci huius erit illud in subijcienda capita reijciendum, in quibus de salute huius philosophi erit excitanda quæstio. Quamuis autem Senecæ morum castitatem passim loquantur illius opera plena iustis decretis, plena sententijs, plena regulis, quibus suos, alienosque mores ad iustitiam, cæterasque virtutes conformabat; hæc tamen ex illis ipsis hausta fontibus audire ne graue ferat is, cui non semper esse in promptu possunt huius philosophi monimenta, facileque conijciet, quæ innocentia vitæ, quæue morum integritas Senecæ fuerint. In primis

enim epistola vndecima sibi, & Lucilio eam piè, laudabiliterque viuendi rationem perpetuò seruandam præscribit, qua nihil vtilius, nihil non solum gentili philosopho, sed etiam Christiano homini gratius accidere potest. *Iam clausulam epistola poscit. Accipe, & quidem vtilem, & salutarem, quam te affigere animo volo.* (Mirum ad probitatem custodiendam Senecæ consilium.) *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus, vt sic tamquam illo spectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente, faciamus. Hoc mi Lucili Epicurus præcipit, custodem nobis, & pædagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat. Aliquem habeat animus, quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum etiam sanctius faciat. O felicem illum qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat. O felicem, qui sic aliquem vereri potest, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, cito erit verendus. Elige itaque Catonem, si hic tibi videtur nimis rigidus, elige remissioris animi virum Lælium, elige cum cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipsius animum anteferens, & vultus illum semper tibi ostende vel custodem, vel exemplum. Opus est, inquam aliquo, ad quem mores nostri se ipsi exigant. Nisi ad regulam praua non corriges &c.* Moderatricem Senecæ operationum formulam velut diuino oraculo emissam cęlitus audiuimus. Equidem arbitror vitę sanctioris instituendæ, fouendæ pietatis, conseruandæ castitatis, atque vitijs omnibus aditum obstruendi, haud facile pulchriorem inueniri posse rationem, quam quicunque ob oculos statuet, non grauioribus solum peccatis, & sceleribus, sed etiam leuioribus non paucis immunis sit necesse est, quantum humanæ imbecillitati licet: hac enim duce viuendi regula non modo externis operibus, sed internis etiam cogitationibus sat consultum erit, ne quid prauum, ne quid indecorum, inhonestumue subrepat animis.

Præterea eodem epistolarum libro, nullam securitatis, quam omni conatu Seneca quærebat, potiorem viam inuenit, quam vt iniqui nihil (Epist. 105.) moliretur, quod vt facile obtineret, semper & vbique mortis imaginem contemplabatur. *Nulla res*, inquit, *magis proderit, quam cogitatio mortalitatis. Incertum est, quo te loco mors expectet, itaque tu illam omni loco expecta. Quidquid facies respice ad mortem.* (Iugis Senecæ contemplatio mortis.) Quid vero ad pietatem, & vitæ innocentiam mortis memoria valeat, qui sacrarum litterarum non sunt ignari penitus, sciunt. At hoc studium mirificè coluit Seneca, qui epistola 27. non minus ad Lucilium, quam se ipsum alloquens diuinum istud decretum in mente, in animo collocandum esse altius decernit. *Sic itaque me audi tamquam mecum loquar, in secretum te meum admitto, & te adhibito, mecum exigo. Clamo mihi ipsi. Numera annos tuos, & pudebit eadem velle, quæ volueras puer, eadem parare. Hoc denique tibi citra diem mortis præsta, moriantur ante te vitia. Dimitte istas voluptates turbidas magno luendas.* (Seneca crimina, & voluptates detestatur.) *Non venturæ tantùm, sed præteritæ nocent.* An non magni Pauli hæc tibi iusta videntur, confer, si lubet, ista cum Paulinis consilijs, & præceptis, & gemina vtraque apparebunt. Ex eodem etiam fonte manauit, quod sibi, Lucilioque præcepit custodiendum. (Epist. 10. in fine) *Sic viue cum hominibus, tamquam Deus videat, sic loquere cum Deo, tamquam homines audiant.* Aurea sanè præcepta, quæ vbi radices in mortalium animos miserint, eos protinus pientissimos fore mihi fidenter polliceor. Quod nullo labore assequentur, si quod alibi docuit Seneca, in memoriam sedulo (De vita beata cap. 15.) reuocarint. Habebit in animo illud vetus prouerbium, Deum sequere. In regno nati sumus, Deo parere libertas est.

Cæterum

Cæterum huius philosophi prudentiæ magna est commendatio Taciti in Nerone, & aliorum (Dione excepto, qui ad calumniam vsque Senecæ obiurgator, & hostis acerrimus fuit) dum tradunt Agrippinam perspecta viri virtute imbuendam bonis artibus teneram Neronis principis ætatem ei commisisse. Huius prudentiæ testes sunt locupletissimi Senecæ monimenta prudentissimis decretis, sanctionibus, legibusque refertissima. In quibus etiam præclara eiusdem iustitiæ argumenta reperire facillimum est. Qualia sunt. Nulli irrogandam iniuriam, nec inferenti quidem, bonis viris fauendum, resistendum nequam, & scelestibus, ne alijs damno sint, pacemque ciuium frangant. Quis autem, ni calumniæ locum sponte quærat, de Seneca velut iudice iniquo, vel raptore, vel iniustitiæ patrono conquestus est? Quis iniuriam à Seneca sibi irrogatam doluit? At iustitiam illius complures experti sunt. Non id tacuit Xiphilinus in Nerone. *Cum Aruspices Neroni respondissent interitum prodigia portendere, & suasissent in aliorum capita periculum auertere, & Nero statuisset multos interimere; prohibitum à Seneca verè, & prudenter suggerente, quamuis cædibus orbem exhauriret, successorem tamen eius interfici non posse.* At hi huius philosophi iustitiæ incolumitatem acceptam referre tenentur.

Prudentiæ Senecæ commendatio ex Tacito.

Ioannes Xiphilinus.

Senecæ consilio à cæde multorũ Nero abstinet.

Fortitudinis autem laude quam clarus? Pulsus Roma nullo suo crimine, nullo patrato scelere in exilium hilari, serenaque fronte vixit, & à Nerone crudelissimo discipulo varijs artibus petitus ad necem, vt oppetendam sibi mortem sensit, ne commotus quidem fuisse videtur. *Intromisitque*, ait Tacitus, *vnum ex Centurionibus, qui necessitatem vltimam denunciaret. Ille interritus poscit testamenti tabulas &c. quas cum sibi negari videret, intrepidè ferro, veneno, balneo mortem quæsiuit eiulantis vxoris dolores grauissimis verbis leniens.*

Fortitudinis Senecæ experimẽta.

Lib. 15. Annal.

Quam verò exquisitè epulandi, vestiendique morem auersaretur Seneca temperantiæ, & frugalitatis studiosissimus ille ipse palam edisserit. *Ego certè cum Attalum audirem in vitia, in errores, in malæ vitæ perorantem, sæpè misertus sum generis humani, & illum sublimem, altioremque humano fastigio credidi. Cum cœperat voluptates nostras traducere, laudare castum corpus, sobriam mensam, puram mentem, non tantum ab illicitis voluptatibus, sed etiam superuacuis libebat circumscribere gulam, & ventrem. Vnde mihi quædam permansere Lucili; magno impetu ad omnia veneram: deinde ad ciuilem vitam reductus ex bene captis pauca seruaui. Inde ostreis, boletisque in omnem vitam renunciatum est; inde in omnem vitam vnguento abstinemus, inde vino caret stomachus, inde in omnem vitam balneum fugimus.* Certe non aulici, sed Eremum incolentis ars ista videtur, in qua se exercuisse Senecam cognoscimus.

Senecæ temperantia.

Epist. 118.

Egregium quidem temperantiæ exemplum, & consonum reliquis virtutibus, quæ in Seneca elucebant, esse argumentum quis neget? at nobiliorem, augustiorem, sanctioremque vitæ modum consectatus est, nullis ea tempestate Ethnicis hominibus agnitum, Christianæ autem humilitatis, & doctrinæ professoribus Dei ope familiarem præterita vitia corrigendi, futuraque præcauendi morem sanè diuinum; quem, qui fuerit, volo vt lector ex verbis Senecæ appositis discat. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quàm tranquillus, altus, ac liber: cum aut laudatus est, animus, aut admonitus, & speculator sui, censorq; secretus cognoscit de moribus suis? *Vtor hac potestate, & quotidie apud me causam dico. Cum sublatum è conspectu lumen est,*

Latebras conscientiæ suæ Seneca quotidie scrutatur.

De Ira lib. 3 cap. 36.

& conticuit vxor moris iam mei conscia, totum diem mecum scrutor, facta, ac dicta mea remetior. Nihil mihi abscondo, nihil transeo: quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: Vide ne istud amplius facias nunc tibi ignosco. An illustrius, & nobilius custodiendæ innocentiæ studium elucere potest? Nempe hoc non eos solum, qui virtutis viam ingrediuntur, sed eos etiam, qui omnibus religionis Christianæ numeris absoluti censentur, maxime decet, suauissimeque delectat. Ad extremum clausulæ instar, quæ huius capitis susceptum munus expleat, illa sint, quæ in omnibus virum egregium Senecam declarant. *Si me interrogas,* ait ille ad Lucilium scribens, *nihil puto viro miserum, nisi aliquid esse in rerum natura putem miserum. Non feram me, quo die aliquid ferre non potero. Male valeo? Pars fati est? Familia decumbit? Fœnus offendit? Domus crepuit? Damna, vulnera, labores metus incurrunt? Solet fieri, hoc parum est, debuit fieri, decernuntur ista, non accidunt. Si quid credis mihi; intimos affectus meos tibi cum maximè detego, in omnibus, quæ aduersa videntur, & dura, sic formatus sum. Non pareo Deo, sed assentior, ex animo illum, non quia necesse est, sequor. Nihil vnquam mihi incidet, quod tristis excipiam, quod malo vultu, nullum tributum inuitus conferam.* Quare audire mihi videor, isthæc animo peruoluentem dicere; quid? non ista Senecæ, sed patientissimi Iob decreta sunt, & opera? qui enim in sentientis facultatis, & animi ægritudines ita placidè dominatur, si minus Iobo æquandus, certè ab eius inconcusso animi robore non valde discretus videatur, necesse est.

Epist. 96.

Admirabilis Senecæ in perferendis aduersis constantia.

An Seneca religionis nostræ cultor fuerit.

CAP. XI.

IAm satis constat, ea, quæ intelligentiæ naturalis acumine cognosci, liberique arbitrij viribus effici possunt, Senecam attigisse. An num etiam cognouit ea, quæ transnaturalia, & diuina sunt Euangelicæ legis arcana? Hæc enim Senecæ ad æuum sempiternum aspiranti fuere perquam necessaria, cum iam tum diffusa esset per totum fermè orbem lux Euāgelij. Asserenti sententiæ adfuisse videtur Tertullianus. *Et hic itaque concludimus, omnia naturalia animæ, vt substantiua eius ipsi inesse, & cum ipsa procedere, atque proficere, ex quo ipsa censetur. Sicut & Seneca sæpè noster;* at si Christiani nominis oppugnator, & Ethnicus fuisset, qua ratione à Tertulliano tunc temporis Catholicæ veritatis propugnatore noster poterat appellari? nunquid qui contra illum erat, iure suus dici potuisset? Hinc, ni fallor, in Apologetico aduersus gentes idem florens Septimius refellens eos, qui nascentis Ecclesiæ fideles omni suppliciorum genere, morteque ipsa insectabantur, quod plures Deos damnarent, hæc ad rem habet. *O impiæ voces, sacrilega conuitia, infrendite, inspumate ijdem estis, qui Senecam aliquem (hoc est virum insignem, & egregium, vt Tertullianæ frasis peritiores annotauere) pluribus, & maioribus de vestra superstitione ne perorantem reprehendistis*: ergo, si Tertulliani mens, & consilium perpendantur, dolet, angitur, quod Senecam non secus, ac Christianos iurgijs, & opprobrijs exceperint infideles: at quo

Lib. de anima cap. 20.

Cap. 12.

illa

ista, ni commune cum Seneca Christi fidelibus negotium fuisset?

Liberius id Sanctus Hieronymus scriptum reliquit aduersus Iulianum, Lib.1. in fine. vbi adducturus tres antiquitate, & scientia insignes Scriptores Aristotelem, Plutarchum, & Senecam ad ostendendum amorem formæ hominibus esse perniciosissimum, duobus relictis prioribus religioni suæ, quæ illi inimica erat, vnius Senecæ velut sui, maximè vtitur testimonio. *Scripserunt Aristoteles, & Plutarchus, & noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus & superiora nonnulla sunt, & nostra, quæ subijciemus &c. Amor formæ oblivio est, & insaniæ proximus.* Acta extant in Biblioth. Veterum Patrum. Et in Catalogo, quem de Scriptoribus Ecclesiasticis conscripsit, Senecam in eorum numero reponit, sic scribens: *L. Annæus Seneca Cordubensis Focionis Stoici discipulus, & patruus Lucani poetæ continentissimæ vitæ fuit, quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi &c.* Idem quoque animaduersum est à Laurentio della Barre in actis B. Lini Pontificis Maximi de Passione Sancti Pauli ad Orientales Ecclesias, vbi in Scholijs ad codicis oram adiectis Senecam à Tertulliano occultè Christianum appellari scribit.

D. Hieronymi, aliorumque vestigia sequitur Otto Frisingensis, qui, vt refert Lypsius in vita Senecæ, non tam philosophum, quam Christianum esse Senecam dixit. Ego non religionis vinculo Christianis annexum, sed Christianæ religionis amicum appellari Senecam ab Ottone ex eius Chronico Lib.3. Chronicorum c.16. obseruaui; nam post narratam Neronis auaritiam, luxuriam, & crudelitatem. *Quid eo sceleratius,* ait, *qui magistro suo Senecæ à morte non pepercit? Hic enim vita, & scientia clarus philosophiæ studium coluit,* & mox, *Christianæ religionis amicum se ostendit.* Lib.8. c.13. Eandem sententiam non solum approbauit Ioannes Saresberiensis in Policratico, siue de nugis Curialium, & vestigijs philosophorum, sed etiam insigni elogio honestauit, dum de Senecæ præstantia, & virtute agens. *Sunt tamen,* ait, *qui eum contemnere audeant, Quintiliani auctoritate freti, suum ex eo nobilitantes iudicium, si ei detrahant, qui pluribus placet, vt apud indoctos eorum gloriam videantur præcedere, quorum virtutem nequeunt imitari. Desipere videntur, qui quemcunque secuti, non venerantur eum, quem Apostolicam familiaritatem meruisse constat.* At cum neque obseruare, neque venereri, aut colere Paganos non erroris, sed prudentissimæ mentis sit, profectò, ni Christianis Senecam religione coniunctum putasset Saresberiensis, qui alios desipere arbitrabatur, ipse dubio procul delirasset.

Sed numquid ad huius rei confirmationem trahi potest testimonium B. Augustini, qui docens Senecam Sabbata Iudæorum inter alias ciuilis theologiæ superstitiones reprehendisse. Lib.6. de Ciuit. Dei cap.11. *Christianos tamen rem tunc Iudæis inimicissimos in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret contra suæ patriæ veterem consuetudinem, vel reprehenderet contra propriam forsitan voluntatem;* in quo testimonio videre est, Augustinum subindicare non malam Senecæ de Christianorum religione, & cæremonijs fuisse mentem. Adde, cum teste Lactantio vnus Seneca fuerit tempestatis suæ morum, & vitiorum scriptor, & Lib.5. de iustitia cap.9. accusator acerrimus, ni Christianam religionem approbasse tacito mentis suæ arcano eam vt cæteras religiones, pari modo suis scriptis agitasset. Postremo ad faciendam huic opinioni fidem hoc ex Lactantij testimonio confici potest argumentum. Agens enim ille de vero singularis Dei cultu, ac laudibus Senecam cumulans, quod mirabili sententia Deo nihil absconditum, nihilq; posse dari secretum dixit. Lib.6. c.14. Ita postmodum loquitur. *Potuit esse verus Dei cultor, si quis illi monstrasset, ac contempsisset profecto Zenonem, & magistrum suum Focionem, si vera sapientia ducem nactus esset: atqui constat ex Augustino,*

gustino, & alijs floruisse Senecam temporibus Apostolorum Petri, & Pauli, qui omnibus omnia fiebant, vt Christo omnes lucri facerent, quique in eadem Vrbe cum Seneca vixerẽ, ergo Christum colere Seneca potuit, cum à Saluatoris nostri discipulis doctrina, vitæ continentia, & miraculis ad id inuitaretur. Huius enim Apostolicæ charitatis in Senecam ardentissimæ, testes sunt tot à Paulo ad eum enarratæ litteræ, cuius posterioris, & vltimæ partem (vt Senecæ non defuisse veritatis ducem constet) hoc loco censui esse subijciendam. *Perpendenti tibi* (ait Paulus ad Senecam scribens) *ea sunt reuelata, quæ paucis diuinitas concessit.* & post. *Quod prudentia tua assecuta est indeficiens fore debebit. Ethnicorum, Israelitarumque obseruationes censeto vitandas. Quæ propemodum adeptus es, regi temporali, eius domesticis, atque fidis amicis insinuabis, quibus etsi aspera, & incaptibilis erit persuasio tua, cum plerique eorum minime flectantur insinuationibus tuis, sermo tamen Dei illis instillatus nouum in eis hominem pariet, ad Deum hinc properantem.* Hæc ad Senecam Paulus. Ex quo cernitur, Senecæ magna mysteria patefacta diuinitus, immo Christianorum dogmata infixa in Senecæ animo, quæ vt Neronem doceret, præcipiebat Paulus. Nihil enim aliud asperum, & durum Neroniano animo, quam Catholica veritas esse poterat, quam tamen assecutum propemodum Senecam scribit Apostolus.

Epistola vlt.

Litteræ extant apud Sixtũ Senensem in Bibliotheca.

Quid de Epistolis à Seneca ad Paulum, & à Paulo ad Senecam datis censendum. Vtrum legitimæ, an adulterinæ putandæ sint.

CAP. XII.

TAnti roboris esset vltima sede confecta argumentatio (ni de veritate harum litterarum dubitatio oriretur) vt vix meo iudicio, posset quis inficiari, non fuisse Senecam Christianæ fidei amatorem, eique prope affinem. Vt igitur huius rei lux è tenebris micet. Enodanda quæstio est. An Pauli, & Senecæ epistolæ illæ sint, quæ circumferuntur, an falsò illis adscriptæ. Eorum opinio, qui litteras illas Apostolicas, verasque esse arbitrantur, varijs se tueri potest argumentis. Illud præcipuum, & maximum est, quod sanctis nascentis Ecclesiæ Patribus, hoc persuasum fuerit, litterisque proditum. Etenim Linus Pontifex Maximus, qui anno à Passione Domini 70. floruit, in tractatu de Passione Pauli apertam rei huius mentionem fecit. *Concursus quoque multus de domo Cæsaris fiebat ad eum* (Paulum) *credentium in Dominum Iesum Christum, & augmentabatur quotidie fidelibus gaudium magnum, & exultatio. Sed & institutor Imperatoris adeò est illi amicitia copulatus videns in eo diuinam scientiam, vt se à colloquio illius temperare vix posset, quo minus si ore ad os illum alloqui non valeret, frequentibus datis, & acceptis epistolis ipsius dulcedine, & amicabili colloquio, atque consilio frueretur.* Mirum est autem quanti sit ponderis vetustissimi huius Patris auctoritas, cum è vestigio Apostolorum mortem sit secutus. Palam eandem opinionem defensitauit B. Hieronymus, qui hac vna permo-

Quid suadeat veras S. Pauli, & Senecæ esse epistolas.

Linus Pont. M. quo tempore viuebat.

tus ratione Senecam catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum adscripsit. *Quē non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me illæ epistolæ pronocarent, quæ leguntur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum, in quibus cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius sit Paulus apud Christianos. Hic ante biennium quam Petrus, & Paulus coronarentur martyrio, à Nerone interfectus est.* Præterea quod in litteris ad Macedonium datis memorat Augustinus huius opinionis est confirmatio. *Merito,* ait, *Seneca (qui temporibus Apostolorum fuit, cuius etiam quædam ad Paulum Apostolum leguntur Epistolæ) omnes odit, qui malos odit, & tamen ideo diligendi sunt mali, vt non sint mali, quemadmodum vt non permaneant, sed vt sanentur à medicis, diliguntur ægroti.* Mihi, ne præclaram Senecæ sententiam Christiano homine dignam mutilarem, integram referre placuit, cuius prioris partis verba satis docent, Augustinum epistolis illis tamquam germanis, ac veris fidem non abrogasse. Huic pariter opinioni robur addit, quod à Sixto Senensi memoratur. *De his apud varios probatæ fidei auctores scriptum inueni, quod L. Annæus Seneca Cordubensis Stoicæ sectæ philosophus Photini discipulus, patruus Lucani poetæ vir vitæ continentissimæ, quem Hieronymus in catalogo Sanctorum enumerat, scripsit epistolas octo ad Paulum Apostolum sibi amicissimum.* Verum insignes tot Doctores, quorum vota harum litterarum veritati astipulantia Sixtus annotauit, hallucinatos opinari arduū videtur. Tandem cum allatis scriptoribus hi etiam faciunt Ioannes Saresberiensis, Laurentius della Barre citatis locis, Iacobus Panelius, qui B. Hieronymi potius, quam Ludouici Viuis decreto stare se profitetur. Et cum alijs recentioribus Martinus Delrius, qui etsi aliquid litterarum inter Paulum, & Senecam putet intercessisse, de his tamen quæ nunc extant, ita ambigit, vt has non esse genuinas arbitretur.

Lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Epist. 54.

Bibliothecæ Sanctæ lib. 2.

In Notis c. 20. lib. de anima Tertulliani.

Verùm hæc esse figmenta nomine Senecæ, & Pauli excogitata, propterea quod sub eodem Principe Nerone ambo vixerint, contendit Erasmus in eo iudicio, quod de Seneca tulit, in quo damnans studium eorum, qui Senecam ceu orthodoxum amplectantur, ait, inter cætera huic vanitati attulisse occasionem Paulo, & Senecæ falsò inscriptas epistolas. *Partim,* inquit ille, *commendatione libelli, qui continet epistolas aliquot vltrò, citroque inter Paulum Apostolum, & Senecam missas mendaci quidem stylo. Sed in rebus humanis mirum est quantum interdum habeat momenti fictum, ac friuolum nugamentum;* & inferius à studioso quopiam ex industria fuisse compositas hasce litteras rursum docet. Non absimile fuit Iusti Lypsij iudicium. Nicolaus Faber primis illis ante Hieronymum, & Augustinum temporibus, communem fuisse opinionem ait illas Pauli, & Senecæ epistolas fuisse, at non ita hoc nostro sæculo putandum arbitratur. *Epistolas ad Paulum dico, quæ non magis eximium nostri auctoris ingenium sapiunt, quam responsiones ad illas Deo plenum Pauli stylum; ideoque à doctis non magis pro Senecæ germanis agnoscuntur, quàm responsiones ab Ecclesia pro Paulinis antiquæ sunt, & ante Augustini, Hieronymique ætatem, sed non nostro demum sæculo eiusmodi suppositiones acceperunt.* Idem insedit animis Conradi Gesnerij, Antonij Posseuini, Bellarmini, Ludouici Viuis, & aliorum fermè omnium recentiorum.

Cur confectas epist. alij putēt.

Præfat. in Senecam.

Huius opinionis patroni, vt hoc arbitrarentur, non eadem prorsus suspicione moti sunt. Quidam ex stylo, & phrasi neque Pauli, neque Senecæ dictionibus respondente hoc argumentantur. Sed quam frigidum hoc sit argumentum docet Sixtus dum inquit. *Videtur autem Senecam stylum suum*

aliquan-

aliquantulum in epistolis suis obumbrasse de industria, & dissimulasse, vt si forte in alienas manus epistolæ venissent, etsi inscriptæ nomine Senecæ, potuissent nihilominus in periculo non videri Senecæ, periculum enim erat, & contra Imperatoris tunc edictum Christiani, & Iudæi familiaritate vti: tutam autem, & perfacilem hanc euitandæ Neronianæ crudelitatis in Christianos, & Christianorum familiares sæuientis cautiorem non minus Senecæ, quam Paulo fuisse quis negets?

Alij suppositicias suspicantur, quod illud dictum à B. Hieronymo adductũ ex Senecæ epistolis ad Paulum hodie aliud legatur in quibusdam codicibus, in quibus ita est. *Nam qui meus, tuus apud te locus, qui tuus velim vt meus ænigmaticè*: in alijs apertius. *Nam qui tuus est apud tuos locus, velim, vt apud meos sit meus*, quod à suspicione falsitatis non vacat. Quin immo; addunt isti contrarium neq; D. Lini, neq; Augustini auctoritate probari, Diuumq; Hieronymum iuxta iactatam in vulgus, non autem propriam sententiam id mandasse litteris.

At non valida hæc mihi videntur effugia perpendenti vim sententiæ illius integram, & eandem prorsus incorruptam persistere, quæcunq; offendatur verborum varietas, quæ vel vitio scriptorum, vel bibliopolæ, vel eorum, qui tenebras obducere rebus claris student, accidere potuit. Cæterum si verborum discrepantia, & varietas veritati operum alicuius officeret, omnium ferme antiquorum scriptorum volumina, & sacrarum litterarum partes aliquæ, quod nefas est arbitrari, eodem vrgerentur scrupulo, cum non vna semper, & eadem sit dictio in translatis codicibus. Quod autem veritas epistolarum ex citatis patribus non habeatur, id ab illis mihi suaderi firma aliqua ratione perciperem; at sola hi sua adseueratione hoc astruunt: Omnino autem ridiculum est, quod de S. Hieronymo tradidere, cum retortam, violentam, & futilem penitus hanc esse illorum interpretationé, ipsa B. Hieronymi sententia clamitet: quem non ponerem in catalogo Sanctorum, nisi me illæ litteræ prouocarent &c. ergo mente, & cogitatione suspensum, & in contraria velut abreptum Hieronymum, ne inter Scriptores Ecclesiasticos Senecam collocaret, solæ litteræ illæ, remotis tandem dubijs, & difficultatibus, confirmauere, & vt alijs Scriptoribus Ecclesiasticis illum insereret, litteræ Hieronymo haud dubiæ effecerunt.

Alij apochryphas litteras censuere, quod Linus, ex cuius testimonio, & auctoritate pondus suum habent litteræ, de quibus agitur, non is fuerit, penes quem primis surgentis Ecclesiæ temporibus summa rei Christianæ erat, sed alius. Assignent igitur Linum alium Actorum Petri, & Pauli scriptorem cui hæc scripta tribuenda esse liquido appareat, & conticesco.

Sed ais, illud saltem indubitatum est, & mendosa esse acta Pauli Lino adscripta, & epistolas non ita sibi cohęrere, vt eorum dici queant, quibus tribuuntur. Non repugno, nam etsi liberè credam Sanctorum Petri, & Pauli gesta à S. Lino Pontifice fuisse mandata litteris, non ignoro tamen infecta, & deprauata esse, quæ nunc extant, ceu Baronius, & Bellarminus doctè obseruarunt. *Fateor*, ait Bellarminus, *à Sancto Lino conscripta fuisse acta Sancti Petri, vel potius acta Sanctorum Petri, & Pauli, quod aliqui dicunt, & de actis Sancti Petri in Romano Breuiario legitur, sed ea non extare, & loco eorum supposita fuisse, quæ nunc extant, arbitramur.* At numquid omnia erroris labe aspersa, quæ in illis leguntur, putanda erunt? Qua de re Baronium audiamus. *Habentur etiam in actis passionis eius, quæ feruntur à Lino conscripta, quæ quidem fuere aliquando fortasse sincera, quæ autem modo extant, Manichæorum reperiun-*

Linus acta SS. Petri, & Pauli conscripsit, at quæ extãt, fuere deprauata.

De Scriptoribus Ecclesiasticis.

Tom. [illegible]. ad annum Christi 69 num. 6.

reperiuntur tincta fuligine, sicut & de actis illis S. Andreæ queritur S. Augustinus. Ita Cæsar Baronius, qui numero decimo hæc addidit causæ nostræ opportuna. *At quoniam sicut multa in eis (Lini scriptis) esse vera facilè suademur, ita eadem multis mendacijs esse obuoluta cognoscimus: idcirco illa tantum, quæ antiquorum Scriptorum testimonio probata, vel traditione firmata esse noscuntur, nostris chartis intexemus*; sicque postmodum in reliqua annalium serie, ea ex actis Lini profert, quæ probata, & rebus apta iudicat. Cur nos ergo epistolas ceu partem veram actorum Sancti Lini defendere prohibemur, quæ Sanctorum Hieronymi, & Augustini grauissimorum sanctitate, doctrina, & antiquitate Patrum testimonio obfirmatæ sunt, quæque ab omnibus superioribus sæculis legitimæ habebantur, quibus multo facilius erat, quam nostro hoc sæculo ob maiorem longioris temporis obscuritatem, veritatem earum cognoscere? Damus igitur quidem Baronio in vna epistolarum aperta mendacia deprehendi, dum asseritur centum duntaxat duas arsisse domos Neroniano incendio, & quatuor insulas, cum tamen ex quatuordecim Vrbis regionibus quatuor tantùm integras remansisse testetur Tacitus, ex quo fit vt longe maior exustarum domorum, & insularum numerus extiterit: & dum rursus eadem epistola data habeatur V. Calendas Aprilis sub Aproniano, & Capitone Consulibus, ex quo pariter dicendum esset, eam ante incendium quinque annos scriptam esse. Quinto enim Neronis anno hi Consulatum gessere, cum alioqui teste Tacito, qui res gestas Neronis per annos singulos accuratè digessit, hoc anno sub Consulibus Memio Regulo, & Virginio Ruffo ea de Vrbis incendio accidisse exploratum habeatur, vt bene Baronius. At cur error vnius epistolę fidem cæteris abrogabit? quibus vti veris Sancti Patres assentiuntur? an in solas hasce epistolas rigida illa sententia militat. *Qui peccauit in vno factus est omnium reus*. Quod si asserant, cur illi ipsi repudiata ea parte ex Actis Beati Lini, quę mendax deprehenditur, cæteris Patrum testimonio roboratis partibus vtuntur? Cur Manichæorum imbuta fuligine epistola illa duntaxat putari non potest? cur ab alijs tractu temporis postmodum adiungi scatens mendacijs vna non potuit? vt in apertam mendacij suspicionem cæteræ traherentur? Quare Posseuino concedimus superfluam reperiri in eadem citata epistola inscriptionem Consulatus, cum Apostolus, & Seneca in eadem Vrbe essent, hocque scribendi officio vterentur ad minuendum colloquij desiderium; at cur ex eadem deprauationis radice emanare non potuerit hæc inanis inscriptio?

Ad annū Christi 66. num. 11.

In epist. D. Iacobi.

In apparatu sacro.

Illud tamen quod de Augustini, & Hieronymi sensu interpretatur Posseuinus, dum ait. *Quod si DD. Hieronymo, & Augustino maius fuisset otium expendendi, quæ de ijs epistolis circumferebantur, haud dubium est, quin idem suspicati fuissent, quæ veritas filia temporis huic sæculo nobis attulit*; non est ei ita liberè concedendum, non modò, quòd oculatiores, & in rebus diiudicandis acutiores quibuslibet sæculi nostri hominibus vel doctissimis fuerint Hieronymus, & Augustinus, verum etiam quia neutri eorum ad rem maturius expendendam otium defuerit, quod de Diuo Hieronymo satis constitisse arbitror ex ijs, quæ de Seneca scripta reliquit, quæque nobis superius commemorata sunt. Nec vereri de Augustini otio quispiam potest, si cogitet illum longæua ætate, & ad Episcopale munus iam diu euectum sic diligentem in omnes suos libros cautionem edidisse, qua errores, si qui erant, corrigeret, obscuriora explanaret, tolleret dubia, vt quæque minutissima retractarit,

Posseuini opinio confutata.

ctarit, quorum pleraque tanti momenti non erant, quanti istæ litteræ censentur. Ergo arbitrabimur, Augustini sacrum illud, celandique nescium pectus hoc non animaduertisse, non litteris, non memoriæ prodidisse, cum mente, cogitatione, veri studio scripta, sententiasque suas rigida censura diligentissimè notaret, ac emendaret. Multo minus eiusdem auctoris iudicio standum est, cum scribit Augustinum de Ciuitate Dei lib. 6. cap. 11. ijs epistolis nullam prorsus fidem tribuisse, cum Seneca nusquam in suis libris Christianorum mentionem fecerit, in epistolis autem id persæpè agatur. Verum clarus, & patens Augustini codex est, & vndecimum libri sexti caput clarissimum; at quibus ex Augustini verbis hoc argumentetur, colligatue Posseuinus ignoro. Augustini certe verba sunt. *Christianos tamen, iam tunc Iudæis inimicissimos in neutram partem commemorare ausus est, ne vel laudaret &c.* De his verò Pauli, & Senecæ epistolis æternum eo loci Augustini est silentium, qui non de omnibus Senecæ libris, sed de libello contra superstitiones à Seneca conscripto duntaxat loquitur, cum ait. *Christianos in neutram partem commemorare ausus est.* Cur ergo ex Augustini sententia asserendum nusquam de Christianis factam à Seneca mentionem?

Lib. 6. de Ciuit. Dei cap. 11.

Auctoris iudicium.

Qui hæc forte legerit meam mentem hisce de litteris satis intelliget. Sentio enim Senecam, & Paulum mutuo datis, & acceptis litteris inter se collocutos, cum agere coram, & ratiocinari per Neronis tyrannidem, atque feritatem, qua Christianos ad interitum perquirebat, non liceret, vt Lini, Hieronymi, Augustini, Senensis, & aliorum testimonijs euincitur. Eas tamen, quæ vulgo leguntur, non omnes Paulo, & Senecæ puto adscribendas, quamuis vnde error hic, & execrabilis litterarum deprauatio ortum habuerit, difficile sit iudicium. Hoc apprimè suadent, & mendacia, quæ in illis Cæsar Baronius annotauit, & iudicium Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ censuit eas Pauli epistolas non habendas esse in canone; non enim canonis Ecclesiastici castitas falsum, dubiumue aliquod recipere potest. Reor postremo, ex legitimis epistolis, quæ interciderunt aliquas nobis superesse in ijs, quæ nunc habentur, cum videam à Diuo Hieronymo laudatum in illis exstare decretum, quod mihi indicio est vel integras aliquas ex sinceris epistolis, vel partes nonnullas earum, quæ tempore Hieronymi circumferebantur, relictas nobis superstites.

Senecam non religione Christianum, sed superstitione Ethnicum fuisse.

CAP. XIII.

Redeo nunc ad illud, ex quo superioris difficultatis dissoluendæ orta est occasio, arbitrorque ex mutua beneuolentia, qua Seneca Paulum, & Paulus Senecam prosequebatur, colligi non infensum Catholicæ religioni fuisse Senecam, quamuis propugnatorem, nec alumnum eiusdem extitisse videam. Veritatis huius non leuis coniectura est stylus, & ratio scribendi, qua vtebatur Diuus Paulus vno tenore, vt

aiunt, cum Seneca agens, non vt ſuo commilitone planè fideli, & expiato ſalutaribus vndis, ſed velut cum amico, cui nullum in Chriſtianos odium, ſed beneuolentiæ ſtudium eſſet. Hinc reor, factum vt Tertullianus, & S. Hieronymus ſæpe Senecam noſtrum, hoc eſt Chriſtianæ diſciplinæ non infenſum dixerint: quamuis & noſter etiam ab ijſdem nuncupari potuerit, quod in multis doctrinæ ſuæ decretis cum Chriſtiana religione conſentiat. Sed ais, Diui Hieronymi teſtimonio, quo Senecam inter Sanctos, & Eccleſiaſticos Scriptores recenſet, illuſtrius quid ſignificari. At maiora, & plura, quam opus eſt, confecta argumentatio infert, quæ non modò diſciplinæ orthodoxæ ſtudioſum, ſed etiam Beatorum felicitatis participem Senecam ſuadet. Quod ſi hæc de Seneca arbitrari turpe non fuerit, propterea quod catalogo Sanctorum adſcribatur: cur non etiam beatos Philonem, & Ioſephum Honoratum hæreticum, & Tertullianum eſſe arbitrabimur, quorum nomina, & ſtudia inter Sanctorum opera reponit Hieronymus? Nec opponas eadem ratione Triſmegiſtum, Platonem, Pythagoram, & cæteros Ethnicæ philoſophiæ corypheos noſtros ab ijſdem Patribus eſſe appellandos, quoniam anthonomaſticè id Annæo Senecæ meritò tribuendum fuit, quippe qui cæteris anteiuit omnibus æquitate præceptorum, quæ Chriſtianam fermè religionem æmulantur, & vitæ laudabiliter traducendæ induſtria: quis enim philoſophorum conſcientiæ ſuæ latebras ad vitia corrigenda, & ad vitam ſanctè inſtituendam quotidie ſcrutatus eſt? at perpetuus, maximeque familiaris hic mos Senecæ fuit, quem ſibi Chriſti fideles vindicant. Hoc eodem ſenſu vota aliorum ſcriptorum, quę retulimus, intelligenda ſunt, cum vel noſtrum, vel Chriſtianum Senecam dixerê; non enim ad Chriſtianam religionem aggregandus eſt. Etenim quod ſcripſimus de amicitia, quæ inter Paulum, & Senecam interceſſit, argumentum eſſe debet non fidei catholicæ, cuius eſſet cultor Seneca, ſed D. Pauli charitatis eximiæ experimentum, quo arte omni, vt cæteros, ita Senecam ad Chriſti cognitionem, & amorem inuitabat. Certe Seneca, vt ex monumentis eius conſtat, non mores ſuos, non vitæ, non iuuentutis, non virilitatis, non ſenectæ ſuæ formam rationem, & religionem tacuit, & adhuc arbitrabuntur nonnulli eum fuiſſe Chriſtianum, qui (ſi litteras excipere quis velit) ne iſtud quidem ſomniaſſe viſus eſt. *Certe*, inquit Eraſmus de Seneca loquens, *cum non alius de contemnenda morte ſcripſerit vnquam, vel ſæpius, vel fortius, qui conuenit adeò fuiſſe meticuloſum, vt ne in ſcriptis quidem extrema Senectæ proditis vnquam ſubindicarit ſuam profeſſionem, tam cautum, vt nihil ſubolecerit Neroni, qui cum illum decreuiſſet de medio tollere, & cauſas commentitias prætexeret, Chriſtianiſmi crimen non obiecit*. Pulchre quidem Eraſmus, cuius allatis probabilibus coniecturis, qua ratione occurrant, qui contrarię ſententiæ fauent, non video, ni Senecæ aut iniuſti metus, aut mendacij notam inurant. At quamuis huius ſim opinionis, non illis tamen Scriptoribus aſſentior, qui vt Senecam iure Ethnicum cenſent, ita plus æquo arguunt eos, qui illius ſcriptis, & ſententijs oblectantur. Ita enim ſcribunt. *At quoniam noſtro hoc æuo imbuti plurimi ea opinione fuerunt, vt Senecam non ſolum extollerent, verum etiam eius dicta ſæpè in libris pijs tamquam condimentum insererent &c.* Quaſi verò id temerè, & imprudenter faciant, qui Ethnici philoſophi egregie diſſerentis de rebus vitæ humanæ, boniſq; moribus conducentibus dictis, & ſententijs vtuntur, eaſq; rebus pijs inſerunt, cum Turonenſe Concilium, cui tot ſanctitate, & ſcientia grauiſſimi Patres interfuere cap. quintum

Cur Seneca à Patribus noſter dicatur.

In iudicio de Seneca.

Poſſeuinus in Apparatu ſacro

Turonenſe 2. hẽ in tomo 2. Conciliorum.

decimū Senecæ testimonio obfirmare voluerint. *Aliqui laici dum diuersa perpetrant adulteria, hoc, quod de se sciunt, in alijs suspicantur, sicut ait Seneca, pessimum in eo vitium esse, qui in id, quo insanit, cæteros putat furere*; cur ergo alijs idem obseruantibus reclamandum, qui tanto vti duce Concilio vtuntur? quiq; passim à proseminatoribus verbi diuini hoc fieri magna cum laude experiuntur in dies.

Enimuero poterant, quæ hactenus retuli, persuadere omnibus in castra Christianæ militiæ, dum viueret, non se recepisse Senecam. Verum ne difficultatis quippiam in assertione nostra superfit, iudicium simul, & sententias Patrum, quæ maximi facienda sunt, referam, quibus nostræ sententiæ fauent. Tradit enim hoc in primis Tertullianus in ipso de carnis resurrectione primi capitis initio, qui non modò Christiano cætu dignum Senecam, sed Platonicis philosophis scientia, & veritate imparem putat, docens eum cum vulgi opinione male opinari, mortalem esse humanum spiritum. Id etiam clarè expressit Lactantius, qui cum præclaram Senecæ de Deo sententiam protulisset, ita locutus est. *Quid verius dici potest ab eo, qui Deum nosset quam dictum est ab homine, veræ religionis ignaro?* An clarius testimonium desideras? Talem fuisse Senecam longa oratione confirmat Augustinus. qui Senecam Varroni præferens, quod liberius, & acrius suorum temporum superstitiones, quam Varro Poeticam theologiam obiurgarit sic exorditur. *Libertas sane, quæ huic* (Varroni) *defuit, ne istam vrbanam theologiam theatricæ simillimam apertè, sicut illam reprehendere auderet, Annæo Senecæ, quem nonnullis indicijs Apostolorum nostrorum claruisse temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte, non defuit. Affuit enim scribenti, viuenti defuit.* Quid autem est, *affuit scribenti, viuenti defuit*, quam Senecam scriptis suis gentium reprehendisse superstitiones, re autem, & operibus, ijsdem laborasse criminibus, & vitijs. Iure igitur in illum quadrat, quod ipse idem Seneca in alios philosophos, aliud verbo, & opere aliud agẽtes in exhortationibus suis iecit auctore Lactantio. *Plerìq; philosophorum tales sunt diserti in conuicium suum, quos si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes in indicium sui professos putes: adeò redundant ad ipsos maledicta in publicum missa, quos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena*, huius autem malæ artis studiosum Senecam ex tactis & tangendis postmodum patebit.

De vero cultu lib. 6. cap. 24.

Lib. 6. cap. 10. de Ciuit. Dei.

Lib. 3. de falsa sapientia c. 15.

In Senecæ libris plures Fidei nostræ omnino repugnantes sententias lectoribus obuiam dari.

CAP. XIV.

NVnc de erroribus eiusdem aliquid attingendum; quod vt cōmodè agatur, vnū cōstituamus opus est. Clarū videlicet esse ijs, qui huius philosophi monimenta peruoluerē, veris non semel falsa miscuisse Senecā. Non in vno in loco ait, sapienti nihil dijs opus esse. Plenum oī bono esse sapientē, & summa adeptū: manus sibi inferre gloriosum. Multis in rebus dijs ipsis præstare sapientiam: mundum animal esse diuinissimum, & omni-

& oĩbus numeris absolutũ: sabbata Iudæorum irridenda: minima quæq; non curare Deũ: ambigere, quid humanus animus sit, & cuius substantiȩ: oĩa vitia esse paria. Sed huius ordinis errores persequi quid opus est? Quis sapiens, ni diuinum ei lumen effulgeat, veritatis iter perpetuò triuit? An non nostri etiam ipsi doctores aliqui, fidei, sacræq; doctrinæ illustrati radijs, ea quandoq; litteris prodidere, quæ cum vero pugnare postmodum constitit? Ea est humanæ intelligentiȩ tenuitas, & commune multis alijs hoc vitium, quod de Seneca retulimus. At non illi fœdissimè lapsi sunt, vt hic, in fidei nostræ decretis, quæ Senecȩ temporibus elucebant. Ille enim plures Deos agnouit (quamuis singularis Dei notitia non careret) vt scripta illius docent, in quibus de Dijs gentium more loquitur, quod Firmianus Lactantius [Lib. 1. cap. 5.] memoriæ prodidit de Seneca loquens. *Nunc satis est demonstrare summo ingenio viros attigisse veritatem, ac propè tenuisse, nisi eos retrorsum fucata prauis opinionibus consuetudo rapuisset, qua & Deos esse alios opinabantur, & ea, quæ in vsum hominis Deus fecit, tamquam sensu prædita essent, pro Dijs habenda, & colenda credebant*. O scelus, & peccatorum tenebris, & caligine obcæcatam huius viri mentem, cui suis scriptis alios cauere docuit flagitium, in quod nullo impellente postmodum se proiecit, quod apertè declarat B. Augustinus sic scribens. *Sed iste, quem philosophi quasi liberum fecerunt, tamen quia* [Lib. 6. cap. 10. de Ciuit. Dei.] *illustris populi Romani Senator erat, colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat, quia videlicet magnum aliquid eum philosophia docuerat, ne superstitiosus esset in mundo, sed propter leges Ciuium, moresque hominum non quidem ageret fingentem scenicum in theatro, sed imitaretur in templo, eo damnabilius, quod illa, quæ mendaciter agebat, sic ageret, vt eum veraciter agere existimaret. Scenicus autem ludendo potius delectaret, quam fallendo deciperet*. Vbi vides lector conscientiæ synderesi, naturalisque legis iudicio instillante, ne idolis cultum diuinum tribueret, iuisse præcipitem Senecam in idololatriæ scopulos, ne communi plebis, cæterorumq. errantium consuetudini repugnare videretur. Quod autem facinus hoc vno animi scrupulo agitatus Seneca non perpetrasset?

Nempe hæc illius sunt in exhortationibus. *Faciet sapiens, quæ non proba-* [Apud Lactantium lib. 3. de falsa relig. cap. 15.] *bit, vt etiam ad maiora transitum inueniat, nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit, & quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtatur agendæ rei causa*. Deinde post pauca: *Omnia quæ luxuriosi faciunt, quæque imperiti, faciet & sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito*. Speciosissimæ proculdubio regulæ, queis amplissimus ad omnia vel turpissima vitia campus aperitur, & quibus omnino sacræ litteræ aduersantur docentes neque verbo, neque opere mentiendum. Nihil enim interest, quo animo facias, quod fecisse vitiosum est.

Di

De subterraneis locis, & de humani animi immortalitate Senecæ peruersæ opiniones, deque æterno illius interitu iudicium.

CAP. XV.

De cõsolatione ad Marciã c.19.

Subterranea loca fabulas censet.

NVnc innuendum breuiter, quod de subterraneis inferorum locis stultè, & impiè habet Seneca, qui supplicia iusto Dei iudicio scelestis, luendisque peccatorum reatibus parata sunt deliramenta, & Poetarum fabulas appellat. Consolatione ad Marciam. *Cogita nullis defunctum malis affici. Illa quæ nobis inferos faciunt terribiles, fabula est. Nullas scimus imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec obliuionis amnem, nec tribunalia, nec reos vllos in illa libertate tam laxa, nullos iterum tyrannos. Luserunt ista poetæ, & vanis nos agitauere terroribus. Mors omnium dolorum & solutio est, & finis, vltra quam mala nostra non exeunt, quæ nos in illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur, iacuimus, reponit.* At longe diuersam tranquillitatem nactum illum, multoque diuersum rerum ordinem, & statum apud inferos deprehendisse, si Senecam quis alloqueretur, nunc eiulans ille ipse planè diceret, cum perpetua caligine obsitus, obscurissimoque tartari specu inclusus flagrantia non igne solùm, sed & pice æterni cruciatus flumina experiatur, Neroneque ipso Cacodæmonum turbam suo periculo esse sentiat deteriorem: digna illius præmia, qui Catholicam veritatem, quam ex Sanctorum Petri, & Pauli decretis percipere poterat, amplecti renuit.

Epist.102.

Senecæ quãdoque immortalitas animorũ grata.

Sed omnium teterrimus Senecæ error fuit, opinari, hominis animum, non secus, ac brutorum esse mortalem, quippe qui vna cum carne occidat, perinde ac deficiente lucernæ oleo extinguitur lumen. Non sum ignarus animorum immortalitatem astruenti sententiæ aliquando non repugnasse Senecam, qui ad Lucilium amicum rescribens, digna quæ hic adscribantur, ex multis pauca hæc habet. *Iuuabat de æternitate animorum quærere, immo me hercule credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum rem gratissimam promittentium, magis, quam probantium. Dabam me rei tantæ. Iam eram fastidio mihi, iam reliquias ætatis infractæ contemnebam in immensum illud tempus, & in possessionem omnis æui transiturus*; & post multa, quid futurum sit in corporis interitu piè, vereque describens ait. *Cum venerit dies ille, qui mixtum hoc diuini, humanique secernat, corpus hoc vbi inueni, relinquam: ipse me dijs reddam, nec nunc sine illis sum, sed graui, terrenoque detineor. Per has mortalis qui moras illi meliori vitæ, longiorique præluditur. Alia origo nos expectat, alius rerum status. Nondum cælum nisi ex interuallo passi sumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam prospice. Non est animo suprema, sed corpori,* & mox, *Dies iste quem tamquam extremum reformidas, æterni natalis est.* His cogitationibus, quas velut ob amici oculos ponit, excitat Lucilium ad contemplãdam futuri æui sempiterni felicitatẽ, in qua nihil humile, nihil crudele, sed pace, lętitia, æternoq. splẽdore plena erũt oĩa.

Eodem

Eodem spectare videntur, quæ ad Lucilium scribens habet epistola 36. *Quòd si tanta cupiditas longioris æui te tenet, cogita nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox processura sunt, reconduntur, consumi. Desinunt ista non pereunt. Et mors, quam pertimescimus, ac recusamus, intermittit vitam non eripit, veniet iterum qui nos in lucem reponat dies, quem multi recusarent, nisi oblitos reduceret*, & mox. *Aequo animo debet rediturus exire.* Sed quamuis hæc Senecæ sententia de futura corporum resurrectione, si quis eam piè interpretetur, intellıgi possit, consumpta tamen humana carne vna non extingui spiritum, vt libere dicam, ex hoc loco satis non constat, si enim tota rei series, argumentaque, quibus ad hoc probandum vtitur Seneca, spectentur, ea rediturum certè hominem persuadere velle contendunt; at cum nullum discrimen agnoscat inter animæ, & corporis interitum Seneca, cur similis, & eadem non erit putanda, iuxta Senecæ placitum, animi, & corporis reparatio? vt inductæ ab eodem similitudines docent, & probant Stoicorum placita, quibus oblectabatur.

Impius Senecæ error de humani animi mortalitate: deque æterna illius miseria auctoris iudicium.

CAP. XVI.

At veræ, certissimæque sententiæ, vt par erat, non perpetuò acquieuit, sed secum ipse discordans in oppositum errorem lapsus est, & vnam, eandemque nondum nati, & mortui hominis dictitat esse conditionem, ad hunc modum cum Lucilio de mala valetudine sua verba faciens. *Quid hoc est? inquam tam sæpè mors experitur me? faciat. At ego illam diu expertus sum. Quando? inquis. Antequam nascerer. Mors est non esse. Sed quale sit, iam scio, hoc erit post me, quod ante me fuit. Si quid in hac re tormenti est, necesse est & fuisse antequam prodiremus in lucem. Atqui nullam sensimus tunc vexationem. Rogo non stultissimum dicas, si quis existimet lucernæ peius esse cum extincta est, quam antequam accenderetur? Nos quoque & accendimur, & extinguimur, medio illo tempore aliquid patimur. Vtrinque verò alta securitas est. In hoc enim, mi Lucili, ni fallor, erramus, quod mortem iudicamus sequi, cum illa & præcesserit, & secutura sit. Quidquid ante nos fuit mors est. Quid enim refert, vtrum non incipias, an desinas? Vtriusq; rei hic est effectus, non esse.* Hæc autem Senecæ opinio de solo carnis interitu intelligi non potest, cum nimis aperta hominis, qui nondum vitam ingressus sit, & qui vita cesserit, huius philosophi iudicio, sit paritas, cum tamen superstes relinquatur post carnis interitum hominis animus, qui cum nullibi esset nec dum concepto corpore, postmodum Dei creantis, & e nihilo excitantis virtute producitur in perpetuum duraturus. Enimuero huius hæresis Senecam fuisse tradit Tertull. *Multo coactius Seneca. Post mortem, ait, omnia finiuntur, & ipsa*, & libro de resurrectione carnis eundē lapidem euoluens inquit. *Planè cum vulgo interdum & sapientes sententiam*

Epist. 54.

Animi immortalitatem negauit Seneca.

De anima c. 10.

Cap. 1.

suam

suam coniungunt. Nihil esse post mortem Epicuri schola est. Ait & Seneca; omnia post mortem finiri etiam ipsam. Hanc opinionem ex Seneca collegisse Tertullianum video non solum ex ijs, quę proximè attulimus, sed etiam ex citato anteà ad Marciam loco. *Mors omnium dolorum, & solutio est, & finis. Mors nec bonum, nec malum est. Id enim potest aut bonum, aut malum esse, quod aliquid est, quod verò ipsum nihil est, & omnia in nihilum redigit &c. nulli nos fortunæ tradit.* Qui plus æquo Senecæ beneuolentia, & amore capiuntur rem hanc alioqui clarissimam eò detorquent vt, & adducta testimonia, huiusq; generis similia, cum allatis conciliare nitantur. Cæterum quàm retorta sit hæc eorum interpretatio res ipsa loquitur subinde vel inuiti coguntur asserere Senecam dubium, & ancipitem fuisse de hac catholica veritate, quam qui in litem reuocat, & cætera pariter fidei nostræ fundamenta & dubia, & nutantia reddat, necesse est. Præsens enim dogma omnium catholicarum veritatum caput, & firmamentum est. Sed inquis: faciamus errasse Senecam. Potuit tamen meliorem mentem induisse, cum per ea tempora viueret, quibus Sanctorum Petri, & Pauli prædicationibus semina religionis Christianæ erumpebant. Potuit, fateor, at non repudiasse errorem illius testentur monimenta quæ opinionibus veritati contrarijs neq; in melius numquam commutatis scatent. Tum si mihi ad id asserendum cætera deessent argumenta, mors ipsa Senecæ satis superq; persuaderet, quæ non Christianam disciplinam, sed temerariam Ethnicorum animi elationem sapit, qui non aliena, sed propria vi sibi illata cadere gloriosum arbitrabantur. Ita enim de morte Senecæ, quam sibi ipse consciuit, apud Tacitum legimus. *Post quæ eodem ictu (Seneca, & Pompeia Paulina vxor) brachia ferro exoluunt. Seneca quoniam senile corpus, & parco victu tenuatum lenta effugia sanguini præbebat, crurum quoque, & poplitum venas abrumpit. Sæuisque cruciatibus defessus ne dolore suo animum vxoris infringeret, atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam dilaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. Et nouissimo quoque momento suppeditante eloquentia aduocatis scriptoribus, pleraque tradidit, quæ in vulgus edita eius verbis inuertere supersedeo,* & post. *Seneca interim, durante tractu, & lentitudine mortis. Statium Annæum diu sibi amicitiæ fide, & arte medicinæ probatum, orat prouisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret, allatumque hausit frustra frigidis iam artubus, & clauso corpore aduersum vim veneni: postremo stagnum calidæ aquæ introijt, respergens proximos seruorum, addita voce, libare se liquorem illum Ioui liberatori. Exin balneo illatus, & vapore illo exanimatus sine vllo funeris solemni crematur.* At grauissimum scelus fuisse vulneribus, venenato poculo, calidoque balnei vapore sibi vitam adimere naturalia iura clamant. *Non occides.*

Cap. 19.

Lib. 15.

Ais extrema vrgente necessitate, iussuque Neronis, non autem sponte id à Seneca actum; secus mors Sampsonis, qui Christi Domini typus, & figura erat nigro lapillo notanda foret; quinimmò, vt de cæteris taceam Apolloniæ Alexandrinæ Virginis, quæ e carnificum manibus se iecit in ignem, nec esset detestanda, quam solemni ritu, & gaudio Ecclesia veneratur. Sed nihil interest, coactè ne, an sponte, quod naturali legi negatiuæ (vt aiunt) aduersatur, moliaris, semper enim, ni diuina accedat auctoritas, mortiferi criminis noxa opus consequetur. Quare aliud de Sampsonis, Apolloniæ, & aliarum Virginum morte debet esse iudicium, quippe diuino nonnisi accedente illustratu sibi mortem intulerunt, vt de Sampsone non obscuris verbis

bis tradit Augustinus, qui inuestigans qua ratione, & quo consilio ea facta credenda sint, quæ cum fieri non liceat, tamen à Sanctis facta noscuntur, idem, quod nobismetipsis obiecimus, sibi opponit, atque dissoluit argumentum. *Sed quædam, inquiunt, sanctæ fœminæ tempore persecutionis, vt insectatores suæ pudicitiæ deuitarent, in rapturum, atque necaturum se flumen proiecerunt, eoque modo defunctæ sunt, earumque martyria in Catholica Ecclesia veneratione celeberrima frequentantur. De his nihil temerè audeo iudicare. Vtrum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, vt earum memoriam sic honoret, diuina persuaserit auctoritas, nescio, & fieri potest, vt ita sit. Quid si enim hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed diuinitus iussæ, nec errantes, sed obedientes, sicut de Sampsone aliud nobis fas non est credere? Cum autem Deus iubet, seque iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset?* Quod autem tanquam certum credidit Augustinus, equidem de cæteris sanctis Virginibus, quæ sibi mortem consciuerunt, nunc ambigere, religioni haberem: alter quo titulo ab Ecclesia anniuersaria celebritate eorum mors coleretur? At quis de Senecę obitu hæc somniauit vnquam, qui gentilium erroribus adhærens Ioui liberatori extremo spiritu liquorem libans nouo, & inexpiabili scelere obstrictus in tartarum concessit biennio ante gloriosum Sanctorum Petri, & Pauli certamen, & triumphum annos natus sexaginta?

Lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 26.

S. Pelagia cum suis apud Diuũ Ambr. lib. 3. de Virg.

Sophronia lib. 8. hist. Eccles.

Sexagenarius moritur Seneca

Non me præterit Dionem consignasse litteris Senecam non semel cum Agrippina Neronis matre congressum, immò auctorem Neroni fuisse, vt matrem e medio tolleret: fœdissimæ adulationis laborasse vitio, Neroniq; scelera molienti blandiri solitum, ac denique eo captum amore, quem natura damnat, & execratur. Tacitus rerum Neronis accuratissimus scriptor re ipsa ambigit, an Seneca, & Burrus antequam primo nauali machinamento Nero Agrippinam interficere attentasset, sceleris gnari essent. Cæterum post, Seneca Neronis consilium adiuuisse haud dubitat. Taciti verba sunt. *Quod contra subsidium sibi,* (de Nerone loquitur) *nisi quod Burrus, & Seneca expergiscerentur, quos statim acciuerat, incertum an & ante ignaros. Igitur longum vtriusque silentium, ne irriti dissuaderent, & eo descensum credebant, vt nisi preueniretur Agrippina, pereundum Neroni esset. Post Seneca hactenus promptior respicere Burrum, ac si sciscitaretur an militi imperanda cædes esset.* Quod protinus actum esse, Nicetæque tantum sceleris impositum subdit Tacitus. Quod etiam ad vitium adulationis spectat, qui consolationem ad Polybium libertum legerit, fateatur necesse est, Senecam in turpissimam adulationem fusum. Atque equidem, vt verum fatear, non video quo modo reprehensionem effugere possit, si quis cum eo summo iure agere instituat, vt Agellij, ac Quintiliani censuris præbeat aures. Cæterum Senecæ reliqua, quæ in eum coniecit Dion, crimini dare, iniquum est, cum clarissimi Scriptores Tacitus, Suetonius, & alij ne hoc quidem de Seneca somniasse visi sint, quem Sancti Hieronymus, & Augustinus continentissimæ vitæ laudibus prosequuntur.

Apud Xiphilinum.

Seneca an Agrippinę necis conscius.

Lib. 14.

DE EPICTETO STOICO PHILOSOPHO.

Epicteti religionem in Deum, studia in homines, & præcipua suæ philosophiæ decreta expressam Euangelicæ legis fuisse imaginem.

CAP. XVII.

A partu Virginis anno 85. S. Cleti anno 5. Domitiani Imper. anno 2.

SI mihi mens esset huius capitis argumentum, quod amplissimum est, latè prosequi, possem ex Arriani dissertationibus comprobare, nihil ferme eorum, quibus naturæ, seu decalogi leges constant latuisse Epictetum, at quoniam nimis longum opus esset, ideo mei moris, & instituti non immemor, pauca ex pluribus attingam, ex quibus tanquam ex vngue Leonem agnoscet lector, qui, & quantus hic philosophus fuerit. Nam licet Stoicæ sectæ studiosus, conditione seruus Epaphroditi satellitis Neronis Imperatoris (quamuis alij non Satellitem eum, sed Cubicularium putent) & altero pede mutilatus esset ex fluxione, vt Suidas ait, Patria Hieropolitanus Phrygiæ, multos tamen liberos homines in Dei colenda maiestate facilè superauit.

Epicteti conditio, genus, & patria.

Docuit enim in primis in quo erga Deum pietatis summa consisteret: *Pietatis erga Deos id maximum esse Scito, vt de ipsis bene sentias, putesque & eos esse, bene, ac rectè gubernare, tum vt ita te compares parere eis, atque omnibus cedere, quæ fiant, neque inuitum sequi, quasi omnia ex optimo consilio fiant:* hæc verò quàm probe radicem tangant pietatis haud difficile iudicium; qua enim ratione pietas erga diuinum numen in animis hominum insidere posset, ni optimam de Dei natura imbibant opinionem? at quo modo imbibent, nisi & in rerum natura dari eum, rebusque humanis suaui prouidentia prospicere existiment? sed an non rueret, funditusque tolleretur rursum excitata pietas, ni cuique stabilis, firmaque sententia animo esset, non solum diuinis præceptis obsequi, verumetiam hilari vultu humanos quoslibet euentus ferre, cum hi diuinæ prouidentiæ vim non effugiant? Nullo autem negotio pulchre nos edocet, fieri posse, vt toti à diuina voluntate pendamus, cum rem aliquam aggredimur, addito Socratis testimonio, in quouis incæpto hæc optanda sunt. *Duc me ò Iupiter, & tu fatum eo, quò sum à vobis destinatus. Sequar enim alacriter. Quòd si noluero & improbus ero, & sequar nihilominus. Necessitati qui probè se accommodat, est diuinarum rerum conscius. Illud & tertium illud ò Crito si dijs ita visum fuerit, ita fiat.* Quæ autem de necessitate hominibus iniecta in hoc Epicteti testimonio habentur, ea non

Enchirid. c. 36.

Pietas in Deum

A diuina voluntate prorsus om̃ia fieri.

Enchirid. c. 66.

Epictetus illam sibi iam vsurpat. Fiat voluntas tua.

de absoluta, & antecedenti, vt Theologorum schola loquitur, sed de consequenti, quæ liberum arbitrium non lædit, sicut nomine Iouis, & Fati, si catholicè sapimus, Deus, & efficax eius diuina voluntas intelligenda sunt. Cæterum quę tradit Epictetus ea ex sacris litteris hausisse videtur, eadem enim, ac illa est fortissimi ducis Iudæ Machabæi plena pietatis sententia: *Sicut fuerit voluntas in cælo sic fiat.* Adiuinis litteris mutuatur plera que Epictetus. 1. Machab. 3.

Porro hic philosophus diuinæ pietatis adeo egregius cultor fuit, vt Dei laudandi, & eum in rebus omnibus celebrandi traheret argumentum: interroganti enim cuidam, qua ratione vescens etiam dijs placere posset, respondit, *Si iuste, & grate, æquabiliter, continenter, modestè comederis, id ipsum nonne etiam est Dijs placentem cibum capere?* Non absimili instituto aperuit Epictetus, quo modo valeant mortales in qualibet re creata mentis laudibus prosequi diuinam prouidentiam: *Ex quauis re condita in hoc mundo facilè est laudibus celebrare prouidentiam si quis duo hæc in semetipso habeat, facultatem nimirum contemplatricem eorum, quæ sunt data cuique, & præterea gratitudinem à se exhibendi.* Scatent passim huius philosophi decreta grauissimis diuinæ prouidentiæ gratias agendi sententijs, quas Arrianum illius auditorem peruoluentes reperient. Egit hoc Sanctus Carolus Illustrissimæ Borromæorum Familiæ decus, sacrosancti Purpuratorum Patrum Senatus splendor, vigilantissimus Patrij gregis custos, Reipublicæ Christianæ præsidium, ac totius vniuersitatis morum censor integerrimus, qui ineunte suæ ætatis vere Ethnici philosophi demiratus sententias, eas quàm diligentissimè consectabatur. In omnib. Deus laudandus est. Lib. 1. dissert. cap. 13. Cap. de proui. dentia. Petrus Glussianus lib. 1. vitæ S. Caroli cap. 4. S. Carolo grata Epicteti opera.

Vsque adeo autem omnibus, qui illius consuetudine vsi sunt, gratus fuit, vt nemo vnquam iratum, nemo immodicè ridentem, nemo mærentem, nemo impatientem, nemo intractabilem senserit vnquam. Quin immò ad ignoscendum ijs, qui peccassent in alios, omnes hortabatur. *Mancipium, inquiens, recusas sustinere fratrem tuum, qui Iouem habet parentem, tamquam filius ex eadem stirpe generatus, & ex eodem de supernis satus?* Eos verò, qui alios etiam errantes non ferrent, ad bonam frugem reuocare solebat, eis miserum, & infelicem vitæ illorum finem objiciens, quo rectè ad orcum itur. *Vides quo respicias? nempè in terram, in Barathrum in ærumnosas istas leges mortuorum, Deorum autem leges non consideras.* Quocirca ignoscere peccatoribus, & eorum misereri oportere generatim edicebat. Lib. 1. dissert. cap. 13. Comitas Epicteti. Fratribus male agentibus ignoscendum.

De illius autem decretis, quæ nunc Theologorum scholæ sunt dogmata, quid loquar? A numine diuino omnia conspici, neque arcanas hominum cogitationes esse illi incognitas asseruit, rei totius hanc afferens rationem, quæ non solum animorum immortalitatem, sed etiam eorum conditionem, & ortum docet. *At verò animi similiter sunt nexi, & colligati ex Deo, quandoquidem particulæ ipsius sumus, & ex ipso dilibuti. Vtrum igitur non omnem motum illorum tamquam domesticum, & cognatione quadam naturæ affinem Deus exploratum habebit?* Tum subtiliori etiam ratione vsus, quæ à minori ad maius ducitur, eandem assertionem confirmat. *A formis animo nostro impressis commotus homo memoriam infinitarum rerum complectitur.* Ergo Deus (mens infinita) non potest omnia contueri, ac vniuersis præsto adesse, & quandam penes ipsum omnium rerum dispensationem habere? Præterea ait à Deo omnia proficisci. *Vide, quòd sic rato ordine omnia fiant quodam tamquam iussu Dei, vt cum præcipit stirpibus florere florescant sanè, quando reuiuiscere reuiuiscant.* His, & alijs permotus diuinis beneficijs ad patientiam Deum omnia intueri. Lib. 1. cap. 14. Lib. 1. c. 16. Animi sensa Deo cognita. Cap. 14.

Aduersa forti animo sustinenda. mortales omnes hortabatur, quamuis sæpe numero aliquid aduersi, quod hi auersarentur, accideret. *Vos tantis, ac tam eximijs affecti beneficijs non in-*
Cap.14.lib.1. *rabitis, aut irati non præstabitis? Et quidnam vobis? Non rebellaturos vnquam, aut incusaturos, aut indignè laturos vllam rem ab ipso* (Deo) *vobis ol latam, nec non libenter facturos, & perpessuros, si ferat ita necessitas, omnia.* Confer ista lector, si placet, cum his, quæ diuini verbi proseminatores publicè tractant, & mox de Epicteti decretis, ferto iudicium.

Illud mihi planè compertum est, his præclariora etiam tractasse Epictetum. Audi enim quid de homine, quem & Dei partem esse, & Deum in se-
Lib.2. cap.8. ipso gestare confitetur, edisserat. *Homo Dei pars Deum gestat. Homo cum tam eximium sit, atque adeo viuum ipsius Dei opificium, debet dare operam, ne*
Homo viuum Dei opificium. *dicto, factoue vllo opificē suum dedecoret, sed potius vt ipsum honoret.* Quòd si ab eodē scisciteris modū Deo exhibendi honorē. *Hominis est, respondet, per-*
Deus iugiter laudandus, & benefica. *petuò Deum laudare, eique hymnos ob immensa ab illo accepta beneficia canere.* Egregium autem, & immortale contulisse Deum in mortales beneficium
Lib. 1.c.16. rursus admonet Epictetus, cum vnicuique nostrum tutorem, ac curatorem Deum assignasse tradit, cuius bonitati, prudentiæ, & virtuti omnia nostra commissa sint, vt nos perpetuò regat, gubernet, comitetur, & ad bene, lau-
Angeli Custodis præsidium. dabiliterque operandum alliciat, quem licet Dæmonem Epictetus vocet, attamen illum ipsum, quem nos Custodem Angelum dicimus, sine dubio intelligebat (nomen quippe Dæmonis, vt aliàs monuimus, æquè pro bonis, ac malis Angelis vsurpabant olim antiqui Scriptores Ethnici) *Quin etiam suum cuique curatorem Dæmonem (Larem appellant Latini) apposuit Deus, qui custos esset vigilantissimus, & quem latere nihil posset, aut fallere. Etenim cuinam alij aut meliori, aut diligentiori quemquam nostrum committere custodi po-*
Lib.1. cap.14. *tuisset. Quamobrem clausis ianuis, ac valuis, cum in tenebris consideritis, noli-*
Homo ad beatitudinem natus. *te dicere vos solos esse, non enim estis, non certè estis, sed Deus intus, & vester Dæmon non abest.* Tandem quod caput est, se, cæterosque homines ad beatitatem fictos, & formatos esse cognouit, omnibusque ita esse pro viribus persuasit.

Epicteti vitæ innocentia, & integritas varijs argumentis comprobata.

CAP. XVIII.

Mores Epicteti. QVi mores fuerint Epicteti, iam, opinor, ex superiori capite quilibet argumentari potest; eum enim, qui in Deum non verbo, non opere, non corpore, non animo iniuriosus fuit, innocentiæ candorem assecutum esse necesse est, at huiusmodi viuendi rationem familiarem fuisse Epicteto ex præceptis, ac decretis eiusdem clarè patet. Nunc allatis pauca addenda, & ea inprimis, quæ ad elidendam animi ela-
Mundi contemptus. tionem custodiebat; nullus enim gentilium aduersus inanem gloriam Epicteto gloriosius decertasse visus est, qui vnius virtutis, probæque vitæ deside-

rio inflammatus, cætera spreuit. *Si proficere vis*, aiebat, *ne molestè feras, si propter ea, quæ extrinsecus sunt, demens, aut stultus videaris*, & mox, *ne vllius rei cuiusquam gnarus videri*, & tamen Epictetum bonis artibus, ac philosophiæ studijs ornatissimum fuisse, quis ignorat? *Præpositus est tibi*, ait, *quispiam in conuiuio, aut in salutatione, aut consilio, si hæc bona sunt, gaudere te oportet, quia his potitus sit ille, si mala nè ægrè feras, quia tibi non acciderunt*: hęc si mente percurrerent superbia elati humilitatis iter haud ita laboriosum experirentur. Quoties autem de officijs, quę ad custodiendam bonorum morum constantiam mirè conducunt, disputauit? Hinc iusiurandum planè refugiebat, & vt idem agerent cęteri conabatur. *Iusiurandum refuge si possis, prorsus, si minus, cum licet*. Hinc impiorum hominum commercia caue peius, & argue, fugiebat dicens. *Scias necessarium esse eum, qui cum inquinato conflictatur, & ipsum inquinari*. Corporis autem sui puritatem, & castimoniam amasse videor intueri ex decreto, quod Magni Pauli Apostoli hac de re consilio est perquam affine. *Circa rem veneream, quantum in nobis sit ante nuptias purè agendum est. Quòd si cogimur, quæ tamen sunt legitima assumenda. Ne sis tamen molestus vtentibus, neque redargutor, neue sæpius obijce, te non vti*. Sed videat quęso pudicitię, & candoris sui sedulus custos, quod nam ad repellendas insurgentes humanę fragilitatis illecebras sibi, alijsque auxilium comparet Epictetus. *Tu*, inquit, *vtrumque tempus animo voluta, & qua voluptate potiereris, & qua iam potitus pœnitentia afficieris, teq; ipsum tuie increpa*.

Enchirid. c. 16. Humilitas. Enchirid. c. 17. Iusiurandum non esse. Cap. 30. Cap. 38. Cap. 40. Cap. 41. Malorum fugiẽda commercia. Vxoribus vtentes nõ arguẽdi. Carnis voluptates vitandæ.

Verum in magnam me admirationem trahit consilium, quod de condonandis iniurijs, quas sępissimè alienę existimationi detrahentes in alios iacere solent, re executus est Epictetus. Hoc autem quale sit, & quibus dignum laudibus meditare. *Si quis ad te deferat. Ille de te malè dicit, ne excusa, quæ dicuntur. Sed responde. Ignorat ille, & alia, quæ mihi adsunt mala, alioquin non sola hæc diceret*.

Enchir. c. 44. Obtrectatoribus quo modo occurrendum.

At inquis: disputare de virtute, quàm ex virtute viuere promptius est. Cur non igitur, sobrietatis, tollerantię, aliarumque virtutum alijs auctor esse potuit Epictetus, quas tamen ipse non sectaretur? Verùm hoc de Epicteto opinari non licere, & res ipsa loquitur, & illius viuendi ratio, & omnium, qui de illo meminere, Scriptorum vota clara sunt, de quibus paulo post. Quin immo hac eadem cogitatione motus aiebat. *Commendare, & probare se debet vnusquisque alijs vitæ probitate, & integritate, quo modo bona moneta se ipsam probat, & commendat*. Hinc eos, qui secus agebant nomine philosophi planè indignos arbitrabatur. Adeo autem Epictetus humanum fastum, inanemque gloriam aderat, vt non solum Roma Hieropolim migrarit, ne Romanę vrbis luxum cerneret, verum etiam vt tandem superato humanarum rerum tędio ad solius Dei contemplandam maiestatem incumberet, præclaram eam quam postea Sanctus Augustinus vsurpauit sententiam æmulatus. *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec reuertatur ad te*; immò, ni fallor, Pauli Apostoli secutus vestigia, cuius illæ sunt voces. *Cupio dissolui, & esse cum Christo*. His enim similia tractans Epictetus aiebat. *Cognationem nobis esse cum Deo, inde enim profecti sumus. Permitte nobis, vt eodem reuertamur, vnde discessimus. Concede vt his liberemur vinculis, quibus alligati astringimur, ac prægrauamur*, & mox. *Vos*, inquit, *cum sitis homines Deo attendite, quando is significarit ac liberauerit vos de hac seruitute, tum ad ipsum discedite, in præsentia verò patientes estote*. Tandem

Lib. 2. c. 3. Epicteti sñia ab Augustino vsurpata. Epictetus S. Pauli sñiam habet. Lib. 1. dissert. 9.

mortales

mortales omnes vel allici ad virtutem, vel reuocari à vitijs facillimè posse docuit, si duo verba, quibus philosophia omnis clauditur, in animo infixa altius retinuissent. *Sustine, & abstine*, in quorum enodando sensu hîc non immoror, quòd ea statim à grauissimis Scriptoribus illustrata, & enodata in medium proferenda sint à nobis.

Epicteti consilia duobus verbis comprehensum.

Scriptorum de Epicteti virtutibus, & probitate testimonia.

CAP. XIX.

Auctor præfat. in Epicteti opera.

Lucernæ Epicteti quale pretium.

Lucianus.

NVnc quid de Epicteto senserint Scriptores, videamus. Auctor præfationis in Arriani opera appellat eum virum sanctissimæ, & integerrimæ vitæ, ab omni arrogantia, & fastu alienissimum, atque tradit tantæ eum fuisse existimationis apud omnes homines illius æui, quo vixit, vt lucerna eius fictilis tribus dragmarum millibus olim diuendita fuerit. Tradiderat idem ferme anteà Lucianus, (quamuis de lucernæ pretio non planè hi duo conueniant) libro aduersus indoctum edito, vbi admirandum senem Epictetum appellat, licet ei mos philosophos illudendi perfamiliaris fuerit. *Quorsum verò attinet Orphea tibi, aut Neanthum proponere, cum nostra ætate vixerit, & ni fallor, adhuc superstes est, qui Epicteti Stoici Lychnum fictilem trecentis denarijs mercatus est, sperans futurum scilicet, vt si noctu ad istam lucernam legisset, mox Epicteti sapientiam somniaret, & similis efficeretur admirando seni.* Iacobus Frisius litteris prodidit, instituta, quibus vitam suam moderabatur Epictetus, maximam omnibus admirationem mouisse, memoratque Antoninum Pium totius orbis Dominum Epicteti vsum esse præceptis. Gulielmus Xylander eundem Imperatorem philosophandi genus Epicteto familiare consectatum in epistola sua testatur de Cæsare loquens. *Nec absimile est nostri auctoris genus philosophandi ei, quo vsum esse Epictetum (qui ætate Antoninum non ita multum antecessit, cuiusque se vsum præceptis noster ingenue præ se fert) Ammianus memoriæ prodidit, vti Antoninus ipse Pius libro primo de vita sua paulo post initium scriptum reliquit.* Sed longe mihi gratior omnibus accidit in commendandis Epicteti studijs, & vita, Augustinus Eugubinus, qui de Dei definitione, quam attulerat Epictetus loquens, non dubitat, eam appellare oraculum, quod ab Epicteto, ceu à Propheta illustratu diuino editum sit. Quòd si tibi hæc parua videntur, accipe ab eodem Eugubino maiora, nam de nostri huius philosophi studijs dicturus, hoc in primis de illo contexuit elogium, quo & diuinum hominem, & plenam rationis, solidæque veritatis illius doctrinam fuisse testatur. *Sed dimisso Plutarcho diuinus eiusdem tempestatis alius philosophus audiendus Epictetus, non ille quidem Christianus, sed philosophus tamen, & vir bonus, qualis Plutarchus. Bonus autem philosophus, & qui ablatam veritatem à natura ducem intueatur, eamque sequatur, adeò congruet cum hodierna theologia, quia non commentitia, sed plena rationis est, vt id putem, quemadmodum mihi fuit, plerisque mirum*; & rursus cum ex Epicteti sententijs comprobasset agendas esse Deo gratias, mox ad eiusdem contemplandam sapientiam conuersus. *O sapientiam, clamat, cum vera, germanaque hominum sapientia vbique sui similem radijs suis omnium passim mentes collustrantem.*

In Biblioth. ann. Dom. 90.

In vita Antonini.

Lib. 6. de perenni philosophia cap. 10.

tem. Quid aliud sonat theologia Mosaica, & hodierna cultum, memoriamque Dei semper inculcantes? Ecce vox naturæ, vox cælestis, quæ dixit oraculum ore prophetarum, dixit etiam natura ore philosophorum. Aelianus Spartianus in Hadriano fuisse hunc philosophum summo in honore apud Hadrianum Imperatorem testis est. Macrobius serui conditionem non esse contumelijs afficiendam astruens hæc de Epicteto habet. *De Epicteto autem philosopho nobili quod is quoque seruus fuit, recentior est memoria, quàm vt possit inter oblitterata nesciri, cuius etiam de se scripti duo versus feruntur, ex quibus illud latenter intelligas, non omni modo dijs exosos, qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur, sed esse arcanas causas, ad quas paucorum potuit peruenire curiositas.* Hoc, quod fortassis mirum alicui accidit, ad verbum simile pertractans argumentum ab eodem Aulus Gellius mutuatus est lib. 2. Noctium Atticarum cap. 18. Sed quod de suo adiecit Gellius ad ostendendam Epicteti morum castitatem, non est hic à nobis tegendum silentio. *A Phaorino,* ait ille, *ego audiui dicere, Epictetum philosophum dixisse, plerosque istos, qui philosophari videntur, philosophos esse. græca verba desiderantur &c.* quod significat, factis procul, verbis tenus. Præterea eodem capite maximum philosophum eum appellat Gellius, & meritò, quippe qui ferre æquo animo non poterat, virtutem, liberalesque artes in homine vitijs addicto residere, volens vitæ probitatem cum doctrina, & scientijs veluti quodam coniugio copulandam esse, ne euanescerent virtutes, & in aliam rerum faciem transirent. *Declarabat maximus philosophorum litteras, atque doctrinas philosophiæ, cum in hominem falsum, atque degenerem tamquàm in vas spurcum, atque pollutum influxissent, verti, mutari, corrumpi, & quod ipse græco &c dixit vrinam fieri, aut si quid est vrina spurcius.* Quibus malis vt occurreret Epictetus aduersus duo vitia grauissima, quibus mortales infici solent, opportunum subsidium tulit, quod ore eiusdem Gellij, vt cætera, suscipiat lector. *Præterea ille idem Epictetus, quod ex eodem Phaorino audiuimus, solitus dicere est, duo esse vitia multo omnium grauissima, ac teterrima. Intolerantiam, & incontinentiam, cum autem iniurias, quæ sunt ferendæ, non toleramus, neque ferimus, aut à quibus rebus, voluptatibusque nos tenere debemus non tenemus. Itaque, inquit, si quis hæc duo verba cordi habeat, eaque sibi imperando, atque obseruando curet, is erit plerumque impeccabilis, vitamque viuet tranquillissimam. Verba duo hæc dicebat. Patere, & abstine.* Quam aptè hæc cum cæteris conueniant ex his, quæ nos pro innocentia Epicteti dicentes hucusque tradidimus, quilibet æquus rerum existimator sentiet.

Vid. Hist. August. circa medium.

Macrobius Saturnal. lib. 1. 11.

Aulus Gellius omnia à Macrobio mutuatus.

Cap. 18. Noctis Atticarum. Virtutes in homine vitijs dedito perire.

Epicteti præceptum, Patere, & abstine.

Epicteti laus ex Patribus ducta.

CAP. XX.

EGo allatis Scriptorum votis addam Patrum testimonia, qui honorificam de Epicteto mentionem fecere, Origenes contra Celsum de more disputans, Epicteti in dicendo facilitatem, & simplicitatem, vtpote omnibus perutilem laudat. *Itaque videre licet Platonem doctorum tantùm terri manibus. Epictetum vulgo quoque lectorum admirabilem esse vtilitatis nomine, quod se præceptis illius admonitos proficere sentiant.* Vbi id animaduertere licet, non modo arrisisse origini Epicteti disserendi rationem, verum etiam præcepta, & leges, quas omnium consulens vtilitati tradiderat: Gregorius Nazianzenus in Epicteti tolerantiæ laudem hæc carmina contexuit

Lib. 6. contra Cels. sub init.

De Virtute ant. 18.

Crus fractum Epicteto insuper narras, prius
Quam vi doloris ederet verbum indecens
Namque asserebat ille, (sic accepimus)
Seruum esse corpus, liberam, at mentem suam.

Apertius est illud eiusdem Gregorij ad laudandas Epicteti virtutes testimonium, dum de Stoicorum magnitudine, & animi præstantia agens, demiratur admirandam patientiam, animique magnitudinem, quibus excelluit hic philosophus, *Ob eamque causam non eos tantùm admiror, qui apud vos pro virtute periculis sese obtulerunt, aut calamitatem fortiter tulerunt, sed externos etiam, qui similes eorum extiterunt. v.g. Anaxarchum, Epictetum, Socratem, vt ne plures recenseam,* & post recensitos Anaxarchi cruciatus, hæc de nostro philosopho tradit. *Alter cum crus ipsi frangeretur velut in alieno corpore philosophabatur, citiusque crus fractum esse visum est, quàm ipse vim doloris persensisse*, hoc autem facinus edidisse Epictetum amore virtutis ex eodem testimonio clarè audiuimus. D. Ioannes Chrysostomus laudans eos, quibus est studium in paupertate versari, eosque diuitibus meliores, ac doctrinæ Christianæ capaciores esse astruens, non alio quàm Epicteti testimonio probat, vulgatum illius carmen recitans. *Hic autem*, de paupere loquitur, *humiliter sapit semper, & per omnia dimissior est. Certum quod ita est id, quod & externus versiculus testatur.*

Epistola ad Philagriũ 64. alias 58.

Epicteti constantia.

Hom. 13. in acta Apost. cap. 5.

Seruus quidem Epictetus corpore incuruus
Paupertate Irus, & amicus immortalium. Et ita quidem habet pauper.

At si paupertate sua diuino numini charus fuit Epictetus quis poterit illius vitam vocare in crimen? Magni præterea fecisse B. Augustinum huius philosophi auctoritatem testis est Viues, qui refert eum in suis commentarijs aduersus Stoicos Epicteti vsum testimonio.

Lib. 9. cap. 6. in comm. de Ciuit. Dei.

Blasphemia

Blasphemia Celsi Saluatori nostro Epictetum præferentis, Vbi locorum Epicteti anima degat.

CAP. XXI.

VIdimus virtutes, & studia Epicteti, quibus vtcunque laudari potuit; nunc, quod huius tractationis summa est, docendum, an ista tanti fuerint, vt mereri beatitatem potuerit. Celsus Christi diuinitatis nequissimus hostis, cuius noxia, impia, sacrilegaque dogmata in sui operibus accuratè refellit Origenes, eo nequitiæ, & temeritatis prolapsus est, vt mentiri ausus fuerit non modo Herculem, & Aesculapium, cæterosque gentilitatis heroas, sed etiam Epictetum Christo Domino præstantiorem, digniorem que fuisse, cui diuinitas consecraretur. *Quanto erat satius, si placebat nouare aliquid de alio quopiam egregie defuncto, digno que hac opinione (quod Deus esset) recipere diuinitatis consecratæ fabulam? Si non placet Hercules, aut Aesculapius, & priscorum virtus inclyta &c. Quid Epictetus, cui cum herus torqueret crus subridens imperterritè perfringes inquit, cumque ille fregisset. Non ne prædicebam inquit, quod perfringes? Quid tale vester Deus inter pœnas profatus est.* At Celsiana impietas apertè nimis se prodit, quamuis, vt illi velamen pararet aliquod, simularit sacrarum litterarum ignorationem, in quibus sacerrimæ illæ voces leguntur. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*, quibus humani generis Saluator cruci affixus, & extremo affectus supplicio Patrem Aeternum enixè precatus est, ne carnificum suorum scelera vlcisceretur, gloriosius ne verò, & Deo ipsi gratius esse queat, crus perfringentem irridere, an carnificibus suis veniam efflagitare, mentis cæcitate omnino captus blasphemiæ auctor non vidit? Sed quorsum nos ista, quibus res est cum catholicis? Infame monstrum cum auctore suo ad gehennam trudamus, & si quid spei salutis Epicteti nobis relinquatur, perquiramus. Nam de diuina miseratione in Epictetum bene sperare nos suadent recensita hactenus opera virtutum, quibus naturæ leges inuiolatè custodisse videtur pro sua virili laudabiliter vitam traducens; huiusmodi autem conatibus aspirare Deum, communis est theologorum sententia. De Epicteto hoc non inepte sentiendum innuit Eugubinus, qui cum egregia huius philosophi placita laudasset, dixit. *His omnibus non modò singularis, vniusque Dei confessio, hominis, quem natura doceret, ore prædicatur, sed cuncta ferme theologia confirmatur*; nihil vero ad sempiternam beatorum obtinendam felicitatem magis opportunum esse potest mortalibus, quam vnius diuinæ mentis confessio, cultus, catholicorumq; dogmatum professio, quorum studiosus Epictetus fuisse videtur, cui si diuinam adfuisse gratiam concedamus, iam e seculi tricis ad Deum tutò euolasse, facillimeque rore cælesti potuit perfundi, cum ea ætate viueret, qua religionis nostræ præcipua capita Apostolorum Princeps, & Vas electionis Paulus suo sanguine imperium Romanæ vrbis, in qua tempore Neronis degebat Epictetus, mercati sunt.

Origenes lib. 7. contra Celsum fol. ante finem.

Sic ne spes salutis æternæ Epicteti.

Argument: pro salute Epicteti.

Lib. 6. de peren ni philosophia cap. 10.

G Sed

Auctoris opinio.

Sed cum nullus Sanctorum Patrum, nullus Scriptorum alicuius nominis hunc Stoicæ sectæ philosophum fidelem, aut nostræ religionis alumnum fuisse doceant, adscribam ego cælitibus eum, qui in toto iam orbe radiantem Christi fidem suscipere renuit? sine cuius aperta confessione, propalato iam Euangelio, ad cælum nulli patere potest accessus.

At inquis. Neminem Scriptorum mandasse litteris, Epictetum extremo vitæ suæ articulo ad Christianam militiam non confugisse, cur ergo erit ille à nobis omnino à cætu fidelium segregandus? Nempe quia paganismi erroribus irretitum cessisse e vita tacito quodam consensu insinuare Scriptores omnes videntur, Arrianus, Cælius Rodiginus, Macrobius, Aulus Gellius, & alij, Sanctique Patres. Et licet non me fugiat, argumenta ab negatiua auctoritate petita (vt aiunt) sæpè nullius esse roboris, attamen in rebus ad salutem spectantibus, fortissima semper mihi visa sunt illa, quibus suadetur, Ethnicum, & infidelem diaboli laqueis irretitum perijsse, propterea quod Scriptorum nullus de illius conuersione, & pœnitentia meminerit vnquam. In re autem nostra infelicis huius philosophi exitus mentio non obscura extat apud Eugubinũ ad hunc modũ de Epicteto scribentem. *Ex his videre est Epictetũ lucem Euangelij iam toto orbe radiantem non vt Christianus, fuit enim philosophus Stoicus, sed vt is cui veritas non inuisa, sed grata esset, & cui certum esset, nullius hominis auctoritatem tantopere venerari, vt iudicium veri obtunderet.* Quid si propriam ille ipse in operibus suis condemnationis sententiam prodit? Lustret quæso lector Enchiridion, & Arriani dissertationes, & dubio procul intuebitur, falsa veris, bonis mala, vtilibus inutilia, & pestifera miscuisse. Nam etsi pleraque de Dei maiestate ritè effatus sit, communi tamen gentilium errore deceptus passim Deos plures, falsa numina, improbasque suorum temporum religiones, nominat, colit, veneratur. De mysterijs enim Cereris Eleusiniæ, quæ præcipiat Epictetus cap.21.lib.3. videre est, & vna cum parcis vnicuique futuram sortem à Ioue definiri cum cæteris insaniens tradit lib.1.cap.12. Dæmonum responsis mirum in modum captus non modo cuiuslibet diuinationis genus amauit, sed vt in hoc idem crimen ruerent, alijs persuasit. *Ad diuinationem accedendum Maximo igitur vati hoc est ipsi Phytio intendi, qui cum de templo expulit, quĩ amico opem non tulit.* Phytium autem oracula edentem ad se confugientibus Dæmonium fuisse nullus est, qui nesciat. Potuit plenus fallaciarum, & doli Cacodæmon crudelem in amicos fugare è templo virtutis, & pietatis propagandæ falso prætextu, vt hinc aucta apud asseclas auctoritate sua in quodlibet scelus eos facilius daret præcipites; vsu enim, & experientia probatissimi Scriptores compertum esse tradiderunt, consueuisse Dæmonas vel quæ specie videantur, vel quæ re bona sint, quedam efficere, vt noceant postmodum, sintque apud Deum in nos testes, grauiusque supplicium in gehenna peccatoribus euadat.

De perenni philosophia lib.6. cap.10.

Epicteti error.

Enchir. cap.36.

Dæmonis versutia.

Epicteti

Epictetus à quo sit mutuatus placita, quæ rationi, diuinæque legi consona esse vidimus.

CAP. XXII.

POstremo haud arduum fuerit demonstrare e quo fonte emanarint iusta, & sana placita Epicteti, quæ nos supra retulimus. Veteris enim, & noui fœderis sententias memoria repetere si quis voluerit, clarè intuebitur, ex his decreta sua hausisse Epictetum. De Mosis autem historia mutuatum, quæ de hominis creatione, cuius auctorem Deum fatetur, cæteraque sacræ theologiæ affinia docet Eugubinus de perenni philosophia. Verùm vti inde plura didicisse Epictetum non abnuo, sic omnia, vt putat Eugubinus, non ita facilè crediderim, cum plurimas noui testamenti sententias vsurpasse Epictetum certum sit, etsi non iisdem planè verbis, quibus sacra scriptura vtitur. Libenter damus Eugubino illud Epicteti dictum, scias necessarium esse, qui cum inquinato conflictatur, & ipsum inquinari, haustum ex illo Ecclesiastici loco, Si cum bono bonus eris, & cum peruerso subuerteris. Illud præterea, Si Diis ita visum fuerit, ita fiat, ex Machabæis deceptum. Sicut fuerit voluntas in cælo ita fiat. Rursus illud, ex quauis re condita in hoc mundo facile est laudibus celebrare prouidentiam ex Psalmographo acceptum. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentum, & omnia in sapientia fecisti &c. Sicut etiam illud: Eodem accedit, quod cognatio nobis est cum Deo, inde enim profecti sumus, erutum ex Mosis geneseos historia de hominis formatione. Sed omnia prosequi, quæ e veteri testamento in suam philosophiam transtulit Epictetus, nullum est operepretium. *Lib. 6. c. 12. de perenni philosophia.*

Nunc probemus sacra noui fœderis volumina non ignota fuisse Epicteto adnotatis eorum nonnullis sententiis. Nam illas Beati Pauli sententias. Omnes, qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur, & iterum. Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes, vos nobiles, nos autem ignobiles, æmulatum esse Epictetum, hac breui illius sententia patet. *Si proficere vis, ne moleste feras si propterea, quæ extrinsecus sunt, demens, aut stultus videaris.* Præcipit salutis nostræ Vindex esse à iureiurando abstinendum, sit sermo vester est est, non non. At hoc idem mandat suis Epictetus. Iusiurandum refuge. Contemplari præterea licet in Epicteti dictis Christi Domini mandatum, quo discipulos admonuit ne de cibo, potuque essent solliciti. Nolite solliciti esse in crastinum dicentes, quid &c. *Cum vos hodie ad saturitatem comederitis non eritis flentes de crastino solliciti cibo. Mancipium si consequeris illum habebis vtique, si nullum obtinueris discedes, patefacta erit ianua, quid luges?* Mitto cætera; vix enim ex allatis hucusque Epicteti sententiis vna, aut altera, si attenta animi cogitatione eas perscruteris, tibi occurret, cui vel affinis, vel similis, vel fermè eadem e sacris litteris aliqua non respondeat. *Nouũ testamentũ Epicteto cognitum.* *Enchir. cap. 26.* *Enchir. cap. 38.* *1. dissert. cap. 9*

Hinc claret, quam iusto Dei supplicio in Gehenna torqueatur Epictetus,

qui licet Christianæ doctrinæ arcana, quæ per ea tempora cælesti incremento in multorum animis radices figebant, attigerit, tamen sub Stoicorum vanitate, quam sub Christi vexillo maluit militare.

Suo præstanti ingenio plura legi diuinæ cõsona agnouit

Arbitror præterea naturalis intelligentiæ acumine, quod in Epicteto erat eximium, pleraque tractasse nullo docente alio. In hanc classem refero ea, quæ ad normam præceptorum decalogi tractauit Epictetus, cur enim naturalis virtus vera cognoscendi, & agnita perficiendi ei adminuenda erit, quæ etsi protoparentis nostri culpæ vitio læsa, & vulneribus affecta fuerit, haud tamen fuit extincta?

Ab alijs philosophis didicit.

Tandem assidua cæterorum philosophorum, qui illius æuum præcesserãt, lectione profecisse Epictetum reor, ex illis enim multa hausit, didicit, perscrutatus est, quæ ei magni philosophi famam peperere. Meam hanc opinionem firmant vota, decreta, consilia Socratis, Platonis, Xenonis, aliorumque gentiliciæ theologiæ principum, quæ ab Epicteto annotata apud Arriani illius auditoris eruditissimi dissertationes, non semel obuiam, vt mihi sic occurrere possunt.

DE
APOLLONIO TYANÆO.

De Apollonij Tyanei gestis, & portentis, quibus in admirationem ductus Hierocles, eum Christo Domino similem, & æqualem fuisse temere effutiuit.

CAP. XXIII.

Anno salut. 212. Zepherino Papa, & Antonio Carracalla regnantibus.

APollonij vitam octo libris comprehensam historico stylo adeò diligenter conscripsit Philostratus, vt non modò vera, sed etiam vero similia, mira, portentosaque passim inserat, ea, opinor, mente, vt ab omnibus, qui in sua scripta incidissent, supra humanam naturam ceu diuinum numen haberetur Apollonius. Id ei ex sententia euenit, cum Hierocles magnitudine, & rerum ab Apollonio gestarum præstantia permotus Saluatori nostro, qui verus Deus, verusq. homo est, eum & contulit, & etiam prætulit. In Hieroclis insaniam, temeritatemque inuectus est ex parte Eusebius Cæsariensis octo historiæ Philostrati libris totidem, at breuioribus libris in eum disputans.

Eandem Hieroclis petulantiam scitè redarguit Lactantius, qui suppresso Hieroclis nomine, qui vnus è Areopagi Iudicibus fuerat, tradit, eum mordacius molitum Christianæ religionis impugnationem, atque duobus libris eosdem insectatum, quos afflixerat; Et rursum contra Hieroclis scripta pugnans

gnans Lactantius præcipuum scelus, quo fecit Apollonium Christo similem, execratur, delirum caput Hieroclem appellans. *Item cum facta eius* (Christi) *mirabilia destrueret, nec tamen negaret, voluit ostendere Apollonium vel paria, vel etiam maiora fecisse. Mirum quod Apuleium prætermisit, cuius solent & multa, & mira memorari. Cur igitur, ò delirum caput, nemo Apollonium pro Deo colit? nisi forte tu solus illo scilicet Deo dignus, cum quo te in sempiternum verus Deus puniet.* Diuinar. instit. lib.5. cap.2. & 3

Ipse instituti mei non immemor ea solùm decerpam, quæ Apollonij finis, qualis fuerit, poterunt esse argumenta. Post Virgineum partum sub Vespasiano, & Tito Imperatoribus Romanis floruit, quemadmodum ex epistolis eius ad Titum datis, & ab eodem acceptis apud Philostratum constat. Apollonius ipse Apollonij filius fuit matre illustri natus, qui optima valetudine ad summam vsque senectutem peruenit: octoagesimo enim, seu nonagesimo. vel vt etiam alij scripsêre, centesimo ætatis suæ anno Ephesi, aut in Lindo putatur excessisse visu, & aspectu in senectute gratior, quàm in ipso iuuẽtutis flore esset. Magnum futuræ Apollonij sanctitatis omen editum ipso natiuitatis eius exordio narrat Philostratus, cum ait. *Cum prægnanti matri pariendi tempus instaret per somnium monita est, vt in pratum ad colligendos flores proficisceretur, quod cum illa postridie fecisset, ibique diutius esset versata, famulæque floribus colligendis intentæ pratum pererrarent, ipsa somno capta in herba procubuit. Cygni verò, qui in prato pascebantur, quasi in chorum dispositi dormientem circumsteterẽ, & alis, vt eorum mos est, sublatis ingenti clangore omnia circumstantia loca replebant. Leniter per prata spirante zephiro eorum cantu excitata mulier simul somno soluta est, & puerum peperit*, quem vt sacrum, Deoque gratum grauiori etiam omine ostenderet portentis portenta addens subdit Philostratus. *Locorum autem accolæ perhibent illa pariente fulgur e cælo in terram decidisse visum repente in subliniorem atheris partem delatum euanuisse, hoc ipsum, vt arbitror, portendens, quod in proximo partu editum fuerat, sublimius omnibus, quæ sunt in terra futurum, & iuxta Deos habitaturum.* Ecce nimis apertam tanti ominis Philostrati interpretationem, quæ nec irrita, nec inanis, sed verissima, ipsoque rerum exitu comprobata fuisse videtur. In ipsa enim pubertatis, atque iuuentutis ætate senis grauitatem præ se tulit, liberalibusque disciplinis, moribus que castitate eximia excultus, adeo coluit corporis sui puritatem, vt non à muliebri contagione solum, sed ab omnibus etiam venereis voluptatibus se asseruarit impollutum. Virilem ætatem adeptus nihil non egit, vt cunctis mortalibus prodesset, verè, sanctèque (id enim Philostrati verbum est) philosophando. In peregrinationibus susceptis Aegyptum, Babylonem, Arabiam, Persiam, ad Caucasum vsque penetrans, teste B. Hieronymo, Ioniamque circumiens prædicationibus, adhortationibus, exemplisque virtutum omnes ad benè, beatèque viuendum, & ad bonarum artium studia inflammabat. Certè Philostratus censet Apollonium Zenone, Platone, Pætone, Callisthene, Diogene, Cratete, cæterisque antiquæ scientiæ, & probitatis hominibus maiorem, præstantioremque fortitudine, & rebus aduersus tyrannos gestis. Is enim veri, supremique rerum omnium Domini cognitione pollens, Babyloniam ingressus auream regis statuam, quam latriæ cultu venerabantur omnes, solus renuit adorare; immò Gymnosophistis Aegyptiorum astantibus eorum simulachra contumelijs affecit, Aegyptios irridens, quod tam immanes, & ridiculas bestiarum imagines colerent parique reprehensione bacchanalia, & mu-

Quo tempore floruerit.

Apollonij parentes.

Portentum in natiuitate Apollonij visum.

Lib.1. Historiæ cap.4.

Aliud portentũ

Apollonij castitas.

Peregrinationes

Epist. 103.

Lib.7. cap.2.

Lib.1. c. 19. Religio Apollonij.

Lib.6. cap.9.

liebres

liebres Athenienſium ornatus excepit. Viſus eſt prætereà ad immortalitatem aſpiraſſe, ægrotantem enim regem inuiſens varios, iucundoſque ſermones cum eo de animi immortalitate, rebuſque ſaluti animorum conducentibus miſcuit. Quòd ſi ad æternam ſalutem acquirendam aliquid prodeſſe poſſunt lucubrationes, præclaraque litterarum in publicam vtilitatem alicuius monimenta, ne iſtud certe ad beatitatem Apollonio defuit ſubſidium, perpetuis enim laboribus huic operi inuigilaſſe teſtis eſt Philoſtratus. Sed non hic fuit Apollonij virtutum finis, quippe gratijs, quas gratis datas appellant, abundauit, maxime verò ſcientia prædicendi futura, occulta dignoſcendi, & virtute curandi ægritudines, morbos, peſtilentiamque ipſam. Horum teſtes quandoque fuerê Epheſij, qui deſtinatis ad Apollonium legatis lue teterrima liberati ſunt. Teſtes ſunt Helleſponti Vrbes, quæ diu terræ motibus agitatæ e graui periculo ab eodem ereptæ ſunt. Teſtis eſt Pharion, quem ad ſupplicium iniuria ductum e mortis faucibus liberauit, veritatem in occultò latentem velut prophetico ſpiritu aperiens. Teſtes ſunt ex mulieres, quas prope Caturietas Nili e Satyri laſciuia, libidine, atque petulantia, cum mitem, cicuremque reddens, vindicauit. An maiora deſideras?

Lib.1.cap.24. De animorũ immortalitate loquitur. Lib.3.cap.12. Quibus gratijs abundaret. Apollonij mirabilia. Lib.5.cap.8.

Romæ degens Apollonius mortuam puellam in publico hominum conuentu ad vitam reuocauit eodem auctore Philoſtrato. Quid inter concionandum Epheſijs paterculatum ignotas voces hominibus ſumma omnium admiratione interpretatus eſt. Mitto in præſens recenſere quo animi robore, quaue conſtantia eorum animos, qui cum Apollonio in carceribus detinebantur, conſolatoria oratione permulſerit, & ad tolerantiam tamquam ad diuinum inuentum excitarit. Deſino alia, quæ fidem humanam vincunt, huc transferre à Damide prius, & poſtmodum à Philoſtrato prodita, quæ virtutum, & probitatis Apollonij non obſcura videntur eſſe argumenta. Illud ſilere nulla ratione poſſum, quod ſi fide dignum eſt, quæſtionem noſtram de ſalute Apollonij penitus abſoluit. Fertur enim cum ex hac mortali vita immineret decedendi neceſſitas, in templo quodam haſce veluti canentium virginum ſuaues, & iucundas voces audiuiſſe. *Veni e terra, veni in Cælum, veni.* Quod ſi cælos penetrauit Apollonius ſine dubio ſortis beatorum particeps factus eſt.

Mortuam puellam vitæ reddit Lib. 4. cap. 16.

Apollonium Tyanæum à pluribus pro Deo habitum.

CAP. XXIV.

His prodigijs, ac facinoribus, in quibus conſcribendis pari diligentia, & labore Philoſtratus, Damis, & Hierocles certarunt, tantum claruit Tyanæus, vt non pauci illum in Deorum numero collocarent. Sic enim ex Hieroclis ſententia tradit Lactantius, qui cum probaſſet concupiſcere omnes nominis ſui immortalitatem, de qua non curaſſe Apollonium ſcripſerat Hierocles. *Stultum, ait, igitur eſt, id putare Apollonium noluiſſe, quod optaret vtique ſi poſſet: quia nemo eſt, qui immortalitatem recuſet, maximè cum eum dicas & adoratum eſſe à quibuſdam ſicut Deum, & ſimula-*

Diuinar. inſtit. lib.5. cap.3.

simulacrum eius sub Herculis Alexiaci nomine constitutum, ab Ephesijs etiam nunc honorari. D.Iustinus Martyr, qui proximè Hieroclis,& Tyanæi tempora consecutus est, egregius fuit gentiliciæ huius insaniæ testis, dum inquit. *Ipsum autem Dæmona, qui in eius signo insidebat, & in diuinationibus homines decepit, faciebatque vt Apollonius pro Deo coleretur, eique diuini honores tribuerentur, eius extinctis diuinationibus mutum reddidit, & vna cum illo cæterorum Dæmoniorum, qui à gentilibus Deorum nomine colebantur, potentiam euertit, quemadmodum res ipsa declarat.* Quo Iustini testimonio quid clarius? Idipsum ex Philostrati claret historia, in qua tradit sub ipsum Apollonij natiuitatis exordium ictu fulminis primo in terram cadentis,& rursum tollentis se ad astra, mortalibus clarum Apollonij diuinitatis omen ostensum. & lib. vltimo fastigium toti operi imponens. *Omnium autem, ait, sermonibus, tamquam Deus colitur Apollonius.* Eidem sententiæ subscripsit Eusebius, qui de opinione loquens, quam Damis comes Tyanæi de illius natura conceperat. *Plane, ait, se aduertisse Damis affirmat, Apollonium supra communem hominum sortem diuinitate quadam præditum esse.* Visum hoc idem est Alexandro Imperatori, qui in Larario suo, non minus Apollonij, quam cæterorum numinum, quæ colebat, effigies collocarat. Vt auctor est Aelius Lampridius, qui Seueri Alexandri viuendi vsum describens. *Primum, inquit, si facultas esset, id est si non cum vxore recubuisset, matutinis horis in Larario suo (in quo & diuos principes, & optimos electos, & animos sanctiores, in queis & Apollonium, & quantum scriptor suorum temporum dicit, Christum, Abraham, & Orpheum, & eiuscemodi Deos habebat, & maiorum effigies) rem diuinam faciebat.* Verùm Flauij Vopisci studium, & operam, quam ad diuinitatem Apollonij omnium mentibus inculcandam, collocauit, silere nequimus. Is enim in Aureliano capta Tyanæi laudandi occasione, suam in primis erga sanctitatem,& diuinitatem Apollonij mentem detegit, tum hoc de illius prærogatiuis, & virtutibus excellens litteris consignat elogium, quo Tyanæ vrbis, cuius euersionem Aurelianus cogitauerat, Apollonij miraculo salutem stetisse scribit. *Verùm Apollonium Tyanæum celeberrimæ famæ, auctoritatisque sapientem, veterem philosophum, amicum verum Deorum, ipsum etiam pro numine frequentandum recipienti se in tentorium, ea forma, qua videtur, subitò astitisse, atque hæc latinè, vt homo Pannonicus intelligeret, verba dixisse. Aureliane si vis vincere, nihil est quod de ciuium meorum nece cogites. Aureliane, si vis imperare, à cruore innocentum abstine. Aureliane clementer te age, si vis vincere. Norat vultum philosophi venerabilis Aurelianus, atque in multis eius imaginem viderat templis. Denique statim attonitus & imaginem, & statuam, & templum eidem promisit, atque in meliorem redijt mentem.* At ne quis mira hæc, & quæ simplicibus futilia videri possent Apollonij portenta, in litem vocet, addit plura, quæ nutantem lectoris animum confirmare possunt ad fidem. *Hæc ego à grauioribus viris comperi, & in Vlpia Bibliothecæ libris relegi, & pro maiestate Apollonij magis credidi. Quid enim illo viro sanctius, venerabilius, antiquius, diuiniusque inter homines fuit. Ille mortuis reddidit vitam. Ille multa vltra homines & fecit, & dixit, quæ qui velit nosse, græcos legat libros, qui de eius vita conscripti sunt. Ipse autem, si vita suppetat, atque ipsius viri fauori vsquequaque placuerit, breuiter saltem tanti viri facta in litteras mittam: non quò illius viri gesta munere mei sermonis indigeant, sed vt ea, quæ miranda sunt, omnium voce prædicentur.* Quid plura? An non parem suis dijs fecere, Apollonium gentiles, cum certis ritibus eiusdem diuinitatis

In lib. 9. q. 25.

Hist. cap. 4.

Lib. 2. in Hier.

In Histor. Caesar.

Flauius Vopiscus.

implo-

implorantes auxilium? vt locuples testis est Anastasius Nicænus, qui ad sua vsque tempora ritus, cæremoniasque sacrorum, queis Apollonij præstantia colebatur à gentilibus, in vsu fuisse, tradit. *Apollonij autem in hodiernum vsque diem in nonnullis locis peraguntur sacra: alia quidem ad auertendas bestias quadrupedes, & volucres, quæ possunt homines lædere: alia verò ad sistendos fluxus fluminum, quæ cursu feruntur inordinato: alia autem ad auertenda illa, quæ sunt ad perniciem, & interitum hominum comparata. Non solum autem in vita eius hæc per ipsum fecerunt Dæmones: sed etiam post eius mortem ad eius monumenta manentes quædam fecerunt signa in eius nomine ad eos decipiendos, quos Dæmon facilè seducit, & pellicit ad res huiusmodi.* Arbitror ex eadem opinione profectum, quod Antoninum Caracallam Imperatorem fecisse, monumentis prodidit Dio, quem refert tantam de Apollonio concepisse existimationem, vt ei magnificis sumptibus excitandum monumentum curarit. His omnibus consensisse Roma ipsa mihi videtur cogitanti inscriptum Apollonio publicè marmor, quod nostris etiam temporibus visitur (vt scribit Marianus) in quo vates, & propheta appellatur. *Romæ autem magno in pretio eum fuisse, sicuti Simonem Magum paulo antea constat ex marmore, quod nostra etiam ætate Græcè inscriptum prope arcum, cui à Camillo nomen est, iacet. Propheta enim in eo nuncupatur.* Postremo adsunt huic sententiæ Baronius, qui ex præfatione D. Hieronymi in epistolam ad Ephesios ostendens eius ciuitatis, & regionis accolas malis artibus fuisse addictissimos, docet nullibi carius Apollonium præstigiarum suarum merces, quam ibi vendidisse, tantamque ex magia sibi comparasse existimationem, vt ab omnibus velut cæleste numen haberetur, statua cohonestatus.

Lib. quæst. q. 23 in Biblioth. Patrum tom. 1.

A Dæmone patrata Apollonij miracula.

Dio. Hist. Rom. in Caracalla.

In scholijs ad epist. S Hieronymi ad Pammachium.

tom. 1. Annal. ad annum Christi 56. 57.

Quæ de Apollonij miraculis tradita sunt, suspectæ fidei esse. Si vera fuerunt, qua virtute suffultus ea potuerit operari. Quodque Apollonius magicæ artis fuerit peritissimus.

CAP. XXV.

EVsebius Cæsariensis in opusculo, quod edidit in Hieroclem multiplici argumentorum classe contendit, dubia, immò falsa esse non pauca eorum, quæ de Apollonio scripsit Philostratus. Quandoque enim non obscurè argumentatur Cæsariensis pugnantia sæpe tradidisse Philostratum, dum sibi in enarrandis rebus non constat: Interdum probat fabulosa potius, quàm vera illa esse: sæpius in Cacodæmonis versutias, & potestatem, qui Dei operam æmulari assolet, ea conijcit, quæ miraculi speciem habent: Ambigit nonnunquam de Philostrati fide, quippe dum solus adeò miranda de Apollonio memoriæ prodidit, viris prudentibus falsitatis, & erroris scrupulum quodammodo inijcit; cum vix credi queat, Romanorum Scriptorum neminem ne verbum quidem fecisse de re omninò digna memoratu, cum tamen ij ipsi minutiora etiam Romæ Apollonij tempori-

Eusebij de Philostrato, & Apollonio iudicium.

bus

bus acta litteris mandarint. Tandem fatetur ingenuè se arbitrari hunc quidem fuisse philosophum, si superfluæ laudes, quibus eum supra hominis conditionem efferre conatus est Philostratus, tollantur, secus eas non Dei, sed Dæmonis amicum, & familiarem Apollonium sapientibus viris declarare. *Si quis igitur*, ait Eusebius opus in Hieroclem claudens, *cum hæc ita se habeant, inter philosophos Tyanæum reponat, hoc sibi prædictum sciat, si quidem illi adimat superfluum laudis apparatum, quali scilicet hunc Philostrati historia amiciuit, nullam fore prorsus à nobis inuidiam, si quis autem eum insumat, veritatis metas egressus supra facultatem philosophi Deum asserere, is per imprudentiam magiæ notâ hominem infamabit. Sicut & hæc ipsa, quæ de illius vita, ac moribus fabulosè scribuntur, non aliud sanè à prudentibus viris, quam calumniæ argumenta censenda sunt.* Vbi vides lector tantum abesse, vt rebus de Tyanæo a Philostrato conscriptis assensum præstet Eusebius, quin magis commenta, & fabulas eas esse non dissimulet. Diuus Ambrosius eadem in dubium vocat. Etenim ex sacris Euangeliorum historijs docens Christum per muros clausis cœnaculi ianuis se se infudisse, & postmodum eadem virtute se à discipulorum oculis subito eripuisse, non absimilia in profanis historijs etiam de Tyanæo recenseri fatetur: & mox à maiori ad minus conficiens argumentationem ita concludit. *Nam quod Mago* (hoc est Apollonio) *licuit* (*si tamen verum est*) *Domino nostro non licebit?* cuius testimonij verba illa, *si verum est*, dubia hæc visa esse Ambrosio declarant. Vulgata illa eadem esse dixit de sacris miraculis ad Deogratiam scribens Augustinus, quamuis ad libitum excogitata, & inuenta sine certo veritatis fundamento ea fuisse credat. *Et tamen si hoc, quod de Iona scriptum est Apuleius Madaurensis, vel Apollonius Tyanæus fecisse diceretur, quorum multa mira nullo fidei auctore iactant.* Horum Patrum assecutus est sententiam Marianus in scholijs ad epistolam D. Hieronymi ad Pammachium aduersus errores Ioannis Hierosolymitani, vbi de Tyanæo loquens sic ait. *Rodi vixit, floruit sub Vespasiano, & eius filiis. Huius vitam Damis peregrinationis illius comes primum, mox Philostratus scripsit mendacijs, & ludamentis plenam: fictam enim magna ex parte fuisse proditur, vt celebrem aliquem magnum philosophum haberent gentiles, quem Christo Saluatori mundi opponerent, & vt vera, diuinaq; Christi miracula falsis, diabolicisq; signis extenuarent, infringerentq;*

Qui. fuerit Apollonius ex Eusebij sententia.

Tractatu in Symb. Apost. cap. 29.

Epistola 49.

Marianus.

Id ipsc disertis verbis scriptũ reliquit Baronius. *Vis quisquã satis dignè valeat vnquã exprimere, quantũ humano generi obfuerit Philostratus scribendo res gestas Apollonij Tyanæi, easdem amplificando mendacus, vt videatur planè inuentũ fuisse Diaboli.* & paulo post cũ Apolloniũ appellasset Antechristum, quẽ Cacodæmon, vt Euangelij lucẽ tenebris inuolueret, sectum sibi asciuerat. *Suum, ipse, ait, statuens Antechristum pseudoeuangelium quoq, actorum ipsius per mẽdacissimum hominem scribendum curauit.* quod antea non vno in loco tradiderat, mendacijs, ac fallacijs plena Philostrati commentaria esse cõquestus. D. Certè Hieronymus, quamuis hæc vera necne fuerint diligentius scrutari noluerit, apertè tamẽ fatetur ab Apollonio signa, & prodigia facta esse. *Nõ est autem grande facere signa. Nam fecerẽ signa in Aegypto Magi contra Moysen, fecit & Apollonius, fecit & Apuleius. Infinita signa fecerunt.*

Tom. 1. ad annũ Christi 68. nu. 11.

Com. in Psal. 81.

At vnde nactus est Apollonius præclaram illam virtutem tot mirabilium effectricem? B. Iustinus Martyr in explanatione quæstionum sibi à gentibus positarum, cum hanc tandem quæstionem posuisset, perfectæ naturalium facultatum scientiæ, qua pollebat Apollonius, causam tribuit, hoc inter Sal-

Discrimē inter Christi & Tyanæi miracula.

uatoris nostri, & Apollonij miracula discrimen assignans. Quòd Christus sua propria diuina, & connaturali auctoritate sine ope, sine opera, sine auxilio rerum creatarum, sublunalisq; materiæ; hic verò non nisi accedente, & adiuuante materia miracula operaretur. Illi famularentur, & obtemperarent; huic auxiliarentur, & opem ferent elementa. Ad quia gratius lectori erit Martyris Iustini sententiam proprijs eiusdem expressam verbis agnoscere, quo modo hanc ipse soluat quæstionem, aduertamus. *Si Deus creatæ naturæ opifex est, & Dominus, quonam pacto ea, quæ Apollonius fecit, in naturæ creatæ partibus esse possunt.* & mox: *Apollonius quidem vt vir scientia naturalium facultatum præditus, consensionum; & contrariarum affectionum, quæ in eis sunt, ex ea arte effecta, edebat, non diuina auctoritate. Itaq; in omnibus perfectionibus ei necessaria erat naturæ accommodatæ assumptio, qua adiutrice id, quod absoluebatur, implebat, Conseruator autem noster Christus pro diuina sua auctoritate, ac iure mira, insitataq; opera perficiens, nusq; materiam requirebat, sed imperium eius, ac prædictionem res & sequebantur, & sequuntur. Et res quidē, quas Apollonius efficiebat, quoniam ex arte virium naturalium factæ sunt, ad functiones corporeas hominum non euertit Deus &c. In his autem cum Diuinæ Christi potestatis indicia quasi vestigia impressa habeamus, non debemus Christi miracula in nuda, simpliciq; expositione sita esse dicere.* Hactenus ex Iustino cuius sententia & si in eo reijcienda non sit, quod habet de scientia naturalium facultatum, & applicatione secundarum causarum loco, tempore, & mutua earum interse actione (certum quippe est omnibus mira, & quæ portentosa imperitis videantur, effici posse ab eo, qui vires rerum naturalium agnitas, penitusque perspectas habet, ceu magiam naturalem callentes experiuntur, ex quo capite non nulla Apollonij mirabilia fortassis effluxerunt) attamen propositæ quæstioni non planè satisfecisse videtur, & in ijs præcipue rebus, quas nullo materiæ famulatu, nullaq; rerū naturalium virtute operatus est Apollonius, cuiusmodi sunt; puellæ mortuæ spiritum rursus largiri: e Domitiani conspectu, & potestate euanescere statim: ad eius præsentiam statim reserari, mox, claudi templorum fores, cæteraq; huiusmodi, quæ citra omnē materiæ vsum egit Apollonius.

Quæstio 25.

Sanctorum Patrum in Apollonium Tyanæum testimonia.

CAP. XXV.

Apollonius Magus.

QVare ad aliam causam confugere cogimur, quæ Dæmonis virtus fuisse videtur, quæq; Apollonio vbiq; præsto fuit ex percusso inter eum, & Cacodæmonem fœdere, quod inter magos, & magiæ præceptores Dæmonas percuti probatissimi scriptores prodiderē. Ducor in hanc opinionem auctoritate grauissimorum Patrum Eusebij Cæsariensis, Suidæ, Augustini, Hieronymi, Ambrosij, & aliorum, qui Tyanæum magicæ prauitatis studiosissimum asserunt; hoc enim docuisse, semel, bis, & tertio repetiuisse Eusebiū testantur, quæ tota serie libri aduersus Hieroclem conscripti digesta sunt. Talem futurum Apollonium nec in lucē editum patuit, cum illius prægnans mater astantem Dæmonem intuita est, qui

Protheum

Protheum Aegyptium simulans mulieri dixit, se illum ipsum esse, quem tunc illa gestaret in vtero, quemadmodum meminit Suidas, qui etiam præstigijs deditum Tyanæum addit, cum recenset regiones, quas inuisit. *Post in Aegyptum abijt; inde Babylonem ad magos: inde ad Arabes, & ex omnibus illis locis infinitas illas, & celebratas præstigias coegit*. Enim verò insanæ, diabolicæq; artis amatorem fuisse Apollonium non tacuit Augustinus. *Et tamen si hoc, quod scriptum est de Iona Apuleius Madaurensis, vel Apollonius Tyanæus fecisse diceretur, quorum multa mira nullo fidei auctore iactant, quamuis & Dæmones nonnulla faciant Angelis Sanctis similia, non veritate, sed specie, non sapientia, sed plane fallacia: tamen si de istis, vt dixi, quos magos, vel philosophos laudabiliter nominant, tale aliquid narraretur, non iam in buccis crepares risus, sed typhus*, vbi non ob aliud, & Dæmonis, versutiarum, & magorum mẽtionem fecit Augustinus, quam quòd inter planorum, & magorum classem sine dubio referendum esse Tyanæum nouerat, sicut lib. de diuersis quæstionibus epist. 5. ad Marcellinum disertis verbis scriptum reliquit. *Quis autem vel risu dignum non putet, quod Apollonium, & Apuleium, cæterosque magicarum artium peritissimos conferre Christo, vel etiam præferre conantur*. Similem habet intellectum illud, quod in Symbolum Apostolicum habet Ambrosius de Christi apparitionibus Apostolis corporaliter exhibitis loquens. *Illud autem quod post resurrectionem ad discipulos clausis ingressus est ianuis, eiusdem virtutis (diuinæ) fuit, cuius & vt ex eorum oculis euanuit. Dicunt autem homines seculi huius, quod Apollonius Magus cum ante Domitianum Imperatorem in Consistorio staret, repentè non comparuit. Hæc tamen nos diximus, non quò Magum Dæmone repletum Domino nostro comparemus, sed vt hæreticorum insaniam reijceremus. Nam quod Mago licuit (si tamen verum est) Domino nostro non licebit?* Eidem sententiæ fidem facit B. Hieronymus. *Apollonius Tyanæus scribitur cum ante Domitianum staret in Consistorio repentè non comparuisse. Noli potentiam Domini Magorum præstigijs adæquare, vt videatur fecisse, quod non fecit*. Idem planè repetit in commentarijs in Psal. 82. *Non est autem grande facere signa. Nam facere signa in Aegypto Magi contra Moysen, fecit & Apollonius, fecit, & Apuleius. Infinita signa fecerũt: Concedo tibi Porphyri, Magicis artibus, signa fecerunt, vt diuitias acciperent à diuitibus mulierculis*.

Suidas in verbo Apoll.

Epist. 49 ad Deogratias.

Lib. de diuersis quæst. epist. 5.

Cap. 39.

Ad Pamachium aduersus errores Io. Hierosol.

His addimus Lactantium, cuius ista est sententia de Apollonij arte, quam profitebatur. *Non potuit ergo post mortem Deus credi, quia & hominem, & Magum fuisse constat*. Addi potest & Cedrenus, qui docet Apollonium, vbi è Domitiani conspectu euanuisset, Byzantium, moxq; Antiochiam profectũ in illis ipsis Ciuitatibus solita Dæmonis arte instructum ea effecisse prodigia, quæ omnium in se animus conuertebant. Accessit præterea huic sententiæ Domitianus Imperator, qui cum optimè teneret Apollonium præstigiatorem, ac Magum esse, Romam protinus eum venire iussit has eidem præcipuas criminis causas obijciens. Quod vaticinandi causa, & occasione de futuro Neruæ Imperio puerulum de medio sustulisset, esletq; magus, ac præstigiator, proq; Deo, vel cælesti nomine coli vellet. Cæterorum vestigia secutus est Anastasius Hicænus eo loco, quem anteà retulimus, & Dio, qui Caracallæ studium, quo magiæ callentes fouebat, recensens, incantationibus, & præstigijs delectatum Tyanæum non tacuit. *Magis, & præstigiatoribus ita delectabatur, vt Appollonium Cappadocem, qui floruerat Domitiani temporibus, laude, & honore affecerit (hic præstigiator fuerat solers, & magus) eiq; monu-*

Diuinar. Inst. lib. 5. cap. 3.

In Chronicis.

Apud Baroniũ Tom. 1. ad annum Christi 90.

Anastasius Nicænus.

Hist. Dio.Rom. lib. 77. Anton. Caracall. 22.

mentum faciendum curauerit. Tandem huius veritatis assertores fuerê Lucianus; & cum alijs Cardinalis Baronius, qui de Tyanæo frequenter loquens, eum magia excellentem, præstigiatorem, impostorem, Dæmonis amicum, & familiarem immò velut certum Diaboli inuētum, humanæq; naturæ exitium fuisse pluribus astruit. Postremò accedit ad huius opinionis confirmationē Marianus, qui dum scribit Apolloniū ea futura præsentire cōsueuisse, quę Dæmonum vires non excedūt: apertè fatetur eum consuetudine Dæmonis oblectatū. *Cæsaris cæde à Dæmonibus Apollonio nunciata inter disputādū statim exclamasse. Euge Stephane pulchre: Stephane percute peccatorem, pulsasti, vulnerasti, & interfecisti*. Et mox. *Nam & pronuntiasse eum aliqua, ea scilicet, quæ vel naturæ cognitione, vel ingenij acumine, coniecturisq;, vel tamquam res ab ijs ipsis perpetrandæ sciri à Dæmonibus futura possunt, Philostratus in ea testatur vita*. Huc etiam spectasse, opinor, Martyrem Iustinum citato anteà loco, dum in signo eorum, quæ egit Apollonius, insedisse Dæmonem scribit. Quid enim illud est, nisi Dæmonum ductu, & calliditate instructū Tyanæum ea, quæ egit, mortalibus ostendisse?

Sed domant. paulò post initium. Citatis locis & ad annum Christi 99. nu. xi.

In scholijs ad epist. S. Hieronymi ad Pamachium.

Iust. Martyr.

Magum Apollonium etiam ex ipsa Philostrati historia peruinci.

CAP. XXVI.

OMnium iudicio constat, signa, & prodigia, quæ vel per se, vel per felices Angelos ad preces, & supplicationes mortalis alicuius operatur Deus O. M; non obscura esse signa diuini amoris, quo prosequitur eos, quorum intercessionibus miracula eduntur. Nam licet planè verum sit, gratiam edendi miracula, si substantiam cōsideremus, vel nullius, vel modici roboris esse ad salutem edentium miracula, cum fieri possit, vt ij etiam, qui mira hæc diuinæ virtutis opera exequuntur, in tartarum cadunt, (quemadmodum suo Iudas Isacriotes periculo expertus est, qui à Christo Iesu missus vna cum cæteris Apostolis ad homines in viam virtutis reuocandos non semel, vt alij Apostoli fecerē, rerum vires naturales anteuertentium effector fuit, quemadmodum ex Euangelicis historijs colligitur, cum ex parte munere prædicationis peracto Christo Domino, quæ egissent miracula, retulerē Apostoli) Nihilominus vix consueuit diuina maiestas præsentiam suæ diuinitatis ostendere, cum is, qui Deum precatur, flagitiosus, & nequam est. *Scimus enim*, aiebat Euangelicus ille cæcus, qui pupilla oculorum à Christo recepta, mensis cæcitatem expulit; *Quod peccatores Deus non audit. Sed si quis Dei cultor est & voluntatē eius facit, hunc exaudit* & rursus *nisi*; *ait, hic esset à Deo non poterat facere quicquam*. Cæterum si in diuina tam antiquæ, quam recentis paginæ sacræ exempla mentis oculos conijciamus, quibus infinitam in creaturas virtutem suam per miracula palam esse voluit Deus, haud dubium erit, quin sanctissimis duntaxat hominibus annuerit cæleste numen. Infinita prope, dum Aegyptiacum iugum e ceruicibus populi sui tolleret, miracula operatus est Deus: quis ignorat? at Sanctissimum, Deoq; charissimum Mosem Israelitæ ducem habebant.

Iudas Isacriotes edidit miracula.

Ioann. 9.

Non

Non absimilia intuiti sunt Hebræi terrã promissionis oppugnantes: at totius militiæ principes pientissimi Iosue, Gedeon, Iudas, cæteriq; Hæbreorũ inclitæ sanctitatis viri fuerẽ? Mortua cadaueris membra olim rursus reuiuiscere mulieres aliquæ conspexerunt, vt ex veteri testamento patet. At non ab alijs, quam ab Elia, & Elisæo præcipuis pietatis, virtutum, diuiniq; honoris cultoribus, & sanctissimis Prophetis hæc facinora profecta sũt? Quis prodigia poterit recensere ab Apostolis facta? legat vnusquisq; sacras litteras, & non Apostolos solùm, sed Apostolorum etiam vestimenta, & vmbrã virtutis diuinæ instrumentã, quibus Deus hominum salutem operabatur, fuisse animaduertet: at iam mente, & animo conceptam Sancti Spiritus flãmam pascebant Apostoli. Extincta corpora Sancti Martinus, Dominicus, Franciscus, aliorumq; Sanctorum pleriq; ad pristinam vitam reuocauerũt: fateor. At cui ignota insignis tantorum virorum vitæ Sanctitas, & innocentia?

Assolet tamen vesanus ille Diuinitatis æmulator Satan, quô in idololatriæ profundum asseclas suos trudat, boni Angeli ementitus speciem, quæ primo intuitu miracula iudicentur, peragere: quamuis nullo modo ad miraculorum veritatem pertineant, licet communi loquentium more, eo quòd mira, & inusitata sint, vulgò miracula dicantur. In his, Deo permittente, multas homines decipiendi rationes quærit pro Angelici ingenij præstãtia, (quæ etiã in Dæmonibus integra, & perfecta mansit,) prout se se tulerit occasio ad mentem suam implendam opportuna. Hinc sexcentis modis hominibus illudit, qui opera illius vtuntur, eorum sensus mira celeritate fallens: mentis imagines, & simulachra perturbans, rebus vita carentibus per fallaciam, dum in illis humanas voces format, vitam, loquendiq; facultatẽ velut tribuens: sæpè virtute sua, quæ corporeos oculos fugit, corpora, homines, cæteraq; huiusmodi clam aufert: ducit aliò interdum. Deniq; certa Theologorum assertione innixi dicamus, quæ locali motione fieri queũt, Dæmonũ subesse viribus vt in eis quidquid voluerint, nullo negotio exequãtur. Dæmonis virtus & fallacia in edendis mirabilibus.

At inquis, quo ex signo dignosci poterit, an à Deo, & Angelis, an à Dæmone potius ea oriãtur portẽta, quę vtrisq; cõmunia esse possunt? qualia videntur, quæ de Apollonio meminit Philostratus; æquè enim è Domitiani conspectu exempli loco, sanctus, ac nequam Angelus Apollonium in ictu oculi potuit auferre, pari vtreq; ratione quædam futura ennunciare Apollonio valuit, & cætera agere, quæ inter portenta Apollonij recensentur. Quæ [illegible] boni Angeli [illegible] lis differentia.

Seclusa Dei reuelatione, & gratia Spiritus discernẽdi, cæteris quæ excogitari possẽt, meo iudicio, certior ea, tutiorq; via est, que ex probitate, & improbitate, virtutibus, & vitijs, bonis, ac malis moribus, & ex ipsa ad extremum arte, in qua se se is exercet, qui effector mirabilium habetur, trahi potest. Nam sicut fieri non potest, vt nequam hominibus vel hoc maximè exoptantibus faueant, præstoq; sint ad edenda portenta felices Angeli: ita pariter iustorum hominum haud solent esse ministri in efficiendis rebus quæ vires humanas superant, infelices Angeli, consueto siquidem diuinæ prouidentię ordini (ni fortasse occulto Dei iudicio secus quandoq; accidat) repugnare videtur, vt iniustis, & peccatoribus iusti, & probi; iustis autem, & pijs hominibus mali spiritus deseruiant, & adiungantur; quæ est enim, vt ait Apostolus, communicatio lucis cum Belial?

De Tyanæi moribus, & vitijs.

CAP. XXVII.

HInc propius ad rem nostram accedentibus nobis illud videtur diligẽter perpẽdẽdũ, quæ Apollonij studia; qui mores fuerint, quodq; disciplinæ genus adamarit, & ex illis certum nostrum de præsenti difficultate poterit esse iudicium. Imprimis autẽ ex ipsa Philostrati historia animaduerto, eius farinæ virum fuisse Apollonium, qui in multis grauissimè defecerit: errauit enim in ipsis naturæ principijs, quæ & si supremam vnam in cœlis mentem, à qua vniuersa gubernentur, mille modis dari suadeat; attamen pro Deo solem, cæteraq; gentilitatis idola diuinis honoribus coluit, sacra eis faciens, inani, falsaq; religione omnia Græcorum delubra visitans, Dodonæum, Pythicum Amphiarai Thophonij musarum in Nelicone.

Tyanæi errores.

Lib. 1. Hist. Philo. ca. 15. & lib. 6. cap. 5.

Lib. 3. cap. 8.

De humano autem animo quàm apertè mentitus est? docens se in alio corpore nauis fuisse gubernatorem, cui fabulæ, vt maiorem fidem astrueret, leonem mansuetissimum, qui olim fuisset Amasis rex Aegypti, se deprehendisse testatus est, quem etiam plorasse coram se asseruit.

At si mores illius consideremus, quales per Deum immortalem esse poterant, cum in peregrinationibus suis maximè illis vsus sit familiarissimè, qui magiam, præstigias, cæteraq; Diabolicæ calliditatis machinamenta profitebantur: hoc studio Babyloniorum magos, & Arabes adijt: hoc animo Thespesionem Gymnosophistarum principem, & magicarum artium præceptorem conuenit, qui in ipso consessus initio solitis præstigijs iussit vlmũ arborem Apollonium salutare, nec frustra. Quod si talia Apollonij studia fuerẽ, vt Philostratus scripsit, cur à Magiæ nota male sibi constans vindicat Apollonium, qui cum illius prærogatiuæ, & dotis, quam agilitatem Theologi dicunt, corporibus beatis debitæ particeps nõ esset, sine Dæmonis auxilio, cum ante Domitianum esset, non abijsset inaspectabilis? Puteolis Demetrio, & Damidi mærentibus non apparuisset præbens se tangendum, & palpandum, quo se non spiritum, sed Apollonium esse confirmaret. Prçtereà quo modo in pugilari, vbi descripta habebatur Apollonij accusatio, ne vestigium quidẽm vllum litterarum repertum esset, ni eiusdem Diaboli calliditas ex industria accusationis memoriam obliterasset? qua item ratione Ephesi degens ipsa eadem hora, qua Domitianus trucidabatur à Stephano Clementis liberto, necatum esse tyrannum astantibus præmunciasset?

Sed audio Philostratum hæc, quæ non nisi docente, & operante Diabolo scire poterat Apollonius, non incantationibus, & Diabolicis vaticinijs tribuere, sed certis coniecturis, quas Apollonio Dij immortales, vt ipse loquitur, ostendebant. At quæ esse poterant huiusmodi coniecturæ, quæ rem lõgissimis spacijs discretam velut ob oculos eius ponerent? certe cum hoc assequi nullis vel imaginationibus, vel coniecturis humanus animus possit, ni motor simulachrorum adsit vel Deus, vel bonus, vel malus Angelus, iam satis conuincitur, id Dæmonum auxilijs præstitum Apollonio, cui non Deum,

non

non beatos Angelos his in rebus suffragatos esse probauimus. Ad hæc Dæmonas illos fuisse Deos, quos Philostratus tales appellat, eadem ratiocinatione concluditur. Qua item potestate Apollonio à templi custodibus in iecta vincula sua sponte decidissent: quibus adminiculis templi portæ eidẽ vltrò patuissent, ni comes illius Cacodæmon & vincula dissoluisset & clausas fores virtute sua patentes reddidisset? Verùm quid plura? an non iusto Dei iudicio speciem dedit Apollonius eius nequissimæ artis, quam perpetuò coluerat, cum ad Domitianum ingressus simillimus Dæmoni, immò Dæmon ipse Imperatori visus est. Audi quid in hanc sententiam de Apollonio optimè meritus Philostratus tradat. *Cumq; sacris adhuc intentus Domitianus vasu se se conuertisset, specie Apollonij stupefactus o Aeliane clamauit. Cur Dæmonem ad me duxisti?* Ea est diuinæ prouidentię ratio, vt nefarios huiusmodi homines, quales animo, mente, & studio sint, signis quibusdam & indicijs in publicam vtilitatem quandoq; declaret. Lib. 7. cap. 14.

Tandem finis vitæ Apollonij, si scriptoribus, quorum vota, & sententias adducit Philostratus, auctoritas tribui potest, magum eum fuisse comprobat; quippequi talis fuit, qualem Dæmonis mancipia merentur; Palladis siquidem ędes ingressus repente ex hominum conspectu disparuisse, nec deinceps in terris visum fuisse ex eadem Philostrati historia constat. At dic quęso Philostrate quonam locorum vir adeò illustris, & egregius se receperit, quibusue auxilijs e mortalium se exemerit numero: an ad cælestem patriã, fateris quidem, sed falleris turpissimè, cui enim mortaliũ, Regina ipsa hominum, & Deipara Virgine excepta, carne, ossibus, & cæteris humanis mẽbris circumsepto cælos penetrare datum est? An ad ignem purgantem: Siles & meritò, tuam huius ignis silantio indicans ignorationem, quem nos ad torquendos piorum animos, qui planè in hoc seculo Dei iustitiæ non satisfecerunt, vt meritas pœnas luant, ad tempus recta fide destinatum credimus: at in præsens non corporum, sed spiritus, & animorum ille ignis vltor est? ergo ad gehenam à Dæmonio sublatum Apollonium, raptumque dũtaxat super est opinari: in hunc enim iure quadrat illa Psaltis sentẽtia. *Veniat mors super illos, & descendant in infernũ viuentes. Quoniam nequitia in habitaculis eorum in medio eorũ*, quod alijs magicarum artium peritis non semel accidisse ostendi posset innumeris experimẽtis, ni res doctis aperta, nobisq; non adeò necessaria videretur. Psal. 54.

Sed vt vt fuerit Tyanæi mors, cum incerto exitu clauserit extremũ diẽ plurimumq; desideant in eo tradendo scriptores. Illud certissimum arbitror, cum miserrimis afflictatum modis vitam posuisse vti non abscuris verbis innuit consueto loquendi more suo Lucianus, cuius opinionem Baronij sententia obfirmatam audiat lector. *Verum non nisi, ait Baronius, malo exitu eum vita functum esse perfacilè conijci potest ex Luciano, dum vitam Apollonij tragœdiam appellat; & cum de alio mago Tyanæi discipulo: Erat, inquit, ex eorum numero, qui cum egregio Apollonio Tyanæo illo versati erant, totamq; illius tragœdiam pernouerant. Vides quanam è schola tibi hominem refero.* Hæc Lucianus vt de re omnibus nota amicum alloquens, qui ea omnia optime nouerat. Ad annũ Christi 99. nu. 12.

Quid de puella censendum, quam a mortuis excitasse visus est Tyaneus.

CAP. XXVIII.

AN verò Diaboli præstigijs puellam mortuam Romæ ad vitam reuocarit rursus quæstio esse potest. Philostratus præsentem rem, ceu verissimam enarrans propositæ quæstioni ita respondet, vt re ipsa ne ille quidem huic rei fidem adhibuisse visus sit. *Verum verò scintillam animæ inuenerit Apollonius, quæ ministros, & medicos latuerit; siue decidens forte pluuia dispersam, & pene iam extinctam animam calefaciens in vnum congregauerit, difficile coniectu est.* Igitur Philostrato teste exanimem puellam virtute Apollonij reuixisse commentum est, qua enim ratione eam, quę nec dum mortua erat, e mortuis euocauit? at latente quoquo modo in humanis membris animo, non mortua, sed viua puella dicenda est, quamuis ab omni vitali officio vacare animus videatur. Si in id miraculum alter coniiciat, quod pene extinctã puellam pristinæ valetudini restituerit Apollonius, quod suis artibus non valuerẽ medici, hallucinatur apertè qui hoc Apollonio tribuere audet, cum non Apollonij, sed Dæmonis fuerit ista virtus. Eusebius Cæsariensis in apertum dubium istud reuocat ea ratione ductus, quod adeò insigne portẽtum solus Philostratus litteris tradiderit, alijs omnibus scriptoribus (quorum ingens Romæ per ea tempora numerus erat) hac de re omnino silentibus, quod mendacij suspicione non vacat.

Lib. 4. cap. 16.

Si flauium Vopiscum excipias, qui nimiam Philostrati scriptis fidem præstans vltro deceptus est. Quid enim auctoritatis, (si pro veritate res expendatur) remanere poterit ijs, quæ de Tyanai gestis & vita conscripsit Philostratus, qui confictorum mendaciorum culpa & vitio non semel arguitur non solum ab Eusebio Cæsariensi, sed etiam ab eruditissimo Cardinali Baronio, cuius hæc, quæ rem præsentem confirmant, notatu digna sunt dum de Philostrati fide & historia loqueretur. *Addit insuper ab eodem Apollonio tũc puellam feretro impositam à mortuis excitatam: licet ipse auctor qui hæc scribit, an verè mortua esset se affirmare non audere fateatur. Sed tamen hæc esse puto, quàm quod ait hoc anno sub Consulatu Thelesini eundem præsagisse de fulgure in Neronis mensam decidente, quod ante sex annos accidisse, nempe anno Domini sexagesimo secundo Nerone quart. & Cornel. o Cosso Coss. auctor est Tacitus, qui exactius cæteris per annos singulos ex Consularibus fastis diligenter res gestas est prosecutus. Cum igitur in his leuioribus Philostratus de Apollonio mendacij arguatur. cuius fidei cætera sint, quæ adeò mirãda ab eo de eodem impostore sunt prodita, facile quis intelligere poterit.*

Tom. 1. ad annum Christi 68. nu. 10.

Tacit. lib. 4.

Si ex hipotesi portentum istud concedatur, rem ita peractam opinarer, Apollonium vel sua peritia, vel acerrima ingenij sui perspicacitate, vel Dæmonis afflatu perspecto corpore puellæ, quæ extincta putabatur, in eo alijs ignota signa sopiti, & latẽtis spiritus animaduertisse, quę duraturam adhuc vitam pollicebantur, quibus agnitis, & perspectis, ne puellæ corpus humo

contege-

contegeretur, prohibuit, cunctis astantibus incolumem rursus puellam spõdens; quod postea re factum est, non aliqua aut Apollonij, aut Dęmonis ope, sed virtute animæ puellæ ipsius adhuc in corpore degentis. Vulgatũ quippe est apud omnes, nonnullos grauibus morbis afflictos eo vsq; redigi, vt extincti, & enecti prorsus videantur, nullum in eis vitalis caloris signum appareat, nulla arteriarum, nulla cordis agnoscatur motio, pallor insurgat, frigore membra rigeant; quamuis certissimis experimentis non semel patuerit, in eorum præcordijs latitasse animam, quæ depulsa tandem morbi violentia velutè grauissimo somno euigilans, corpori, quod extinctum videbatur, vitalia exercendi munera rursus facultatem tribuat.

DE PLOTINO.

Anno post Virgineum partum 234. Fabiano Pontifice & Gordiano Imp.

Quid facilè suadeat ad cælestem Patriam Plotino patuisse iter.

CAP. XXIX.

Plotinus ex Aegypto oriundus patria Lycopolitanus omnium ethnicorum, qui Platonicam disciplinam sectarentur æuo suo facilè princeps Ammonium virum Christianissimum, qui Alexandriæ publicè profitebatur, annos vndecim audiuit Origene condiscipulo familiarissimè vsus: dein Romæ clarus habitus, ac postremo in Campaniam secedens Argina consumptus diem obijt annos natus sexaginta sex Claudij imperatoris anno secundo, vt scribit Porphyrius. Si cæteris antiquioribus iuniorem hunc philosophum conferre vellem, nullo labore ostendi posset, eorum nulli fuisse secundum: at quia Iulius Firmicus Maternus breui quidem, sed illustri verborum compendio huic muneri satisfecit, dum suam ad Plotinum orationem reuocat, illum ipsum de Plotino hæc scribentem audiamus. *Ad te nunc singularem virum, Plotine, veniemus, vt allegationes nostras recentium exemplorum patrocinijs muniamus. Quas ille philosophiæ non attigit partes? cum doctrina eius vita sequeretur insignia? Cũ, id quod docebat, non aliena, sed propriæ virtutis ostẽderetur exemplo? cuius ex ore tamquam ex adyto quodam diuinæ sententiæ proferebantur? fuit namque ille vir ad omnia virtutis ornamenta compositus, & omni diuinarum dispositionum studio formatus, iustus, fortis, prouidus, temperatus, & qui se crederet fortunæ impetus prouidentiæ posse ratione superare*, & mox. *Nulla illum diuitiarum desideria ceperant, sed has esse putabat diuitias, quibus animus ornatus auctorem possit propriæ originis inuenire.* Quo Firmici testimonio quid egregius ad Plotinum commendandum potuit excogitari? Si namq; sana illa vitam rectè instituendi decreta,

Aetas Plotini 66. ann.

In vita Plotini.

Lib. 1. astronom. cap. 3.

quibus toto vitæ suæ curriculo vsus est re, ac vitæ exẽplo custodiebat. Si pat-erat scientiæ, & probitatis in eo coniugium: si omnibus numeris absolutus vir, si virtutum, quæ vsitato vocabulo à nobis Cardinales vocitantur, polluit insignijs: si pessumdedit terrenas opes, pro quibus in scelus omne ruunt plerique mortalium, vt his tricis liber immortalis animi sectaretur diuitias, quibus in cognitionem assurgeret diuinæ maiestatis, quę animorũ est auctor: iam quis ambigat, sanciora Euangelicæ veritatis præcepta non modò assecutum, sed etiam executum esse Plotinum, qui anno post Virgineum partũ ducentesimo trigesimo quarto floruit, quo in orbem pene vniuersum Christianæ veritatis splendor diffundebatur.

Theodoretus. Cuius beneficio à Deo Patre per verbum omnia condita nouit Plotinus, teste Theodoreto, qui de prouidentia Dei lib. 6. nonnulla Plotini furta detegens docet illum suppresso sacrarũ litterarũ testimonio, ex quibus multa hauserat in sua monimenta nonnihil transtulisse, dum ait. *Ita igitur ex vna mente atq; ex Verbo, quod ab ea prodijt, omne hoc emersit, secretumq; est*; quæ expendens Theodoretus. *Hæc vero,* ait, *& Plotinus de sacrarum litterarum adytis compilauit. Nempe enim audiuit docentem nos Euangeliorum sacram doctrinã, quòd per Verbum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil*; in quod argu-

Citato loco. mentum hæc latius prodidit. *Plotini rationem non temere verbosus numerando subduxi, sed qui ostendam Plotinum non modo Hebræorum Patrum (quod Plato fecit) sed piscatorum quoq;, ac sutoris nostri perdoctum traditiones, inde ni-*

Ab Hebræis, & Apostolis Plotinus nonnulla sumpsit. *mirum scisse, quod ex mente, verboq; quod verbum ex mente gignitur, & emanat, omnia & constituta, & discreta sunt, congruentemq; harmoniam consecuta.* Et rursus cum aliam Plotini sententiam protulisset subdit. *Hisce autẽ suis verbis Plotinus aliud quoq; furtum patefecit. Videtur enim mihi audisse Dauid ita continentem. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.*

Exhortat. ad auditores. Quamquam Marsilio Ficino placuerit opinari è cælesti numine emanasse, quę Plotinus ad posteritatem dedit, agens enim de Plotini & Platonis doctrina. *Idem,* ait, *itaq; numen per os vtrumq; humano generi diuina fudit oracula.* Quid igitur mirum, si spiritali sacrarum litterarum cibo recreatus & diuino illustratus afflatu eorum non absimilia, quæ Vas Electionis ingenti desiderio optabat dicens. *Cupio dissolui, & esse cum Christo,* de Plotino scri-

In vita Plotini. pta legamus. *Delicias,* inquit Porphyrius, de magistro agens, *inanem gloriã, vitamq; contemnebat, & pudore afficiebatur, quod anima eius in corpore esset.* Qua affectus verecundia, quid dixerit, cum animam ageret, agnosce ex eodem Porphyrio. *Cũ verò morti Plotinus appropinquaret, quemadmodum nobis Eustochius retulit, qui Puteolis habitabat, ac fermè tardius ad eum accesserat. Adhuc te, inquit, expecto, atq; equidem iam adnitor, quod in nobis diuinum est, ad diuinum ipsum, quod viget in vniuerso redigere, spiritumq; his verbis emisit.*

Dū animam redderet moriens Plotinus ait. O præclaram ex hac vita abeuntis etiam Christiani viri vocem. O sententiã aureis litteris in cordibus mortaliũ insculpendã. Sed huius pij desiderij nõ solùm in extremo mortis articulo, sed etiam quandiu vita mansit, egregium specimen dedit Plotinus, qui optans corporeis vinculis exolui, quibus ceu compedibus impediebatur, aiebat fugiendum esse ad patriam cælestem, quẽmadmodum annotauit B. Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 16.

S. Augustinus. *Vbi est illud Plotini vbi ait fugiendum est igitur ad clarissimam patriam, & ibi pater, & ibi omnia*: nouerat enim beatitatem, quæ in visione Dei sita est, statum esse omnium bonorum aggregatione perfectum, sine qua nulla veræ felicitatis

felicitatis, nulla veri boni ratio consistit. *Illa namq; visio Dei*, ait Augustinus, *tantæ pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, vt sine hac, quibuslibet alijs bonis præditum, & abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere*. ergo summa votorũ huius philosophi diuinæ naturæ erat contemplatio. De Ciuitate Dei cap. 6. lib. 10.

Inanis autem gloriæ contemptorem fuisse Plotinum; an non vel inde patuit, cum a Cortino pictore omni studio per optante simulacrum suum nũquam excipi passus est? Porphyrius in vita Plotini.

Quod si in liberiorem campum nostram de iustis Plotini decretis orationem deducere velimus, quis pro vna suprema, diuinaq; mente asserenda, cuius hæc regantur imperio, præfracte magis pugnauit? quis gloriosius Plotino triumphauit? legant qui velint vtrũq; de prouidentia librum, repetant librum septimum enneadis 4. & librum quintum sextæ enneadis lustret oculis, & mente, & vt breui præcidã, considerent quæ ab illo scripta sunt opera, & cum catholicis præceptis mirè congruentem de Deo, ac illius attributis Plotini doctrinam non poterunt non fateri. Etenim Dei immensitatem & vnitatem adeò clara argumentatione suadet, vt rudes etiam, & ignaros cogat ad veritatis assensum. Vnum quidquid, ait idemq; numero esse simul, & vbiq; totum communis indicat mentis humanæ conceptio, quando omnes naturali quodam instinctu clamant, in vno quoque nostrum esse Deum, adeo vt vnus in omnibus, idemq; sit Deus. A quo factam huius mundi dispositionem solita prouidentia, de qua neminem sanæ mentis conqueri posse varijs rationibus suadet. Ait enim mala concedere Deũ, vt eis benè vtatur, & ad consummatam vniuersi perfectionem. *Est autem maximæ cuiusdam potestatis, ac virtutis bene vti posse, quæ mala sunt, informiaq; effecta posse in vsum vertere aliarum formarum*; quam Plotini sententiam miris laudibus cumulauit Theodoretus citato de prouidentia loco. Quid? An non libro secundo de prouidentiæ cap. 9. scitè prodidit, cæteris inferioribus causis non esse inficiandam propriam actionem, ac præsertim hominibus, qui omnibus modis à prouidentia ad sui creatoris agnitionẽ prouocantur, licet supremum numen vi sua bona omnia operetur? Plotini Theologia. Arianus de prouidentia cap. 2. & 3. Theodoret.

Quoties autem aduersus eos, qui interitũ humanis animis impiè assignant, acutissimis disceptationibus pugnauit. *Animã, verò, inquit, cognatam diuinioris, sempiternaq; naturæ ex eo patet, quod non sit corpus vt nobis est demonstratum*: & rursus hæsitantes de hoc catholico dogmate homines per ludibrium exagitans subdit. *Quapropter si vel omnes homines, vel plurimi talibus essent præditi, animus nullo modo foret incredulus, vt aliquãdo diffideret, animæ nostræ naturam esse penitus immortalem*, qua de re ambigentes non sanæ mentis viros esse pronunciat. Enim verò Plotinus ex ijsdem prouidentiæ radicibus intulit, quod nos diuina etiam auctoritate credimus, præmia videlicet bonorum hominum, & malorum æterna supplicia in futuro seculo. Verùm quia totum hunc locum tractat ex Plotino Theodoretus, lubet hic illius verba apponere. *Mox ostendit bonorum præmia, inquit enim illis quidem, qui viri boni euaserint, bonam fore vitam, in posterumq; repositam illis esse. Malis autem contraria fore omnia. Adijcit præterea iniqua esse malorum hominum vota, qui æquum putẽt se se ab alijs saluos fieri, cum tamen ipsi omnem propriæ salutis curã abiecerint*. Postremo, velut hanc disceptationem claudens nec vniuersum, nec illius conditorem accusandum esse, si homines felicitatem non adipiscãtur, sed omnem culpam conijciendam esse in homines docet. *Sed in* Enneadis 4. lib. 7. cap. 10. Animi immortalitas à Plotino defensa. Alterius vitæ præmia & supplicia æterna agnouit.

illorum imbecillitatem culpa est referenda, qui nequierunt fortiter depugnare, eôq; peruenire, vbi virtutis præmia sunt proposita. Cætera Plotini dogmata, quæ vel prorsus eadẽ, vel non absimilia sunt religionis nostræ decretis, apud Arianum cuilibet legenda relinquimus contenti hęc pauca perstrinxisse, ex quibus de alijs conijcere vnusquisq; poterit. Adeo enim doctè, subtiliter, ac scitè reconditas difficultates ad veritatem explicat, vt nõ dubitarit Marsilius Ficinus in exhortatione ad auditores,& passim in commentarijs, quibus huius philosophi opera illustrauit, appellare diuinos libros & placita illius diuina oracula eo quod in illis diuina hominibus secreta referentur.

Quod spectat ad sanctitatem morum huius philosophi adijcio, Plotinum omnia mundi oblectamẽta,& quæ ab hominibus fortunæ bona vocantur, sic auersatum, vt Sapientis vestigia secutus, licet vario verborum non sententiarum sono perbellè pronunciarit illud, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Plotini insignia virtutum, quarum in eo splendor micabat eximius, tãtum apud gentiles valuerẽ, *vt multi viri, mulieres & mulleres generis nobilitate pollentes, cum morti iam propinquarent, filios suos tùm mares, tùm fœminas vna cum omni eorum substantia, Plotino tamquam sacro cuidam, diuinoq. custodi traderent, atq. commendarent*; eôq; peruenit præiudicata opinio de Plotini supra cæteros mortales excellentia, vt illi tamquam Deo aras excitarint, dicarintq; templa, vt meminit Sardianus Eunapius in vitis Sophistarum cum inquit. *Plotini aræ etiam num calent.*

De prouid. lib. 1. cap. 15.

Porphyrius in vit. Plotin.

Qualis Plotini mens fuerit de Christiana religione.

CAP. XXX.

CAeterum quia sine Mediatoris Iesu Christi fide omnia virtutum insignia ad optinendam beatorum gloriam homini non sufficiunt, non solùm quia, *sine fide impossibile sit placere Deo*, vt ait Apostolus, sed etiam quod D. Augustino teste *Quisquis ergo ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum, propterea* esto faciamus morales virtutes haud desideratas in Plotino, venari tamen operæ pretium est; an ad militiæ Christianæ castra transierit, ad quæ se recipere tunc temporis tenebatur.

Epist. nomine Cirtensis Concilij ad Donatistas.

Mihi non prorsus negligenter illius gesta perscrutanti, haud quippiam tale occurrit, ex quo nouerim Plotinum religionis nostræ fuisse cultorem. Suppetunt tamen coniecturę aliquot non spernendę penitus, quibus hoc argumentari, seu potius suspicari non temerè videar. Etenim Ammonij viri clarissimi simul,& christianissimi instituta, disciplinas,& decreta non modò audiuit, sed etiam fideliter custodiuit, teste Porphyrio ita scribente. *Cum verò Erennius & Origenes,& Plotinus olim inter se constituissent, ne Ammonij dogmata ederent, quæ audita ab eo tamquam in primis purgata præcipuè comprobauerant. Plotinus quidem stetit promissis, familiariter quidem nonnullos excipiens salutantes, instituta verò Ammonij secreta, integraq; conseruans.* Ac credere

In vita Plotini.

dere arduum non est inter hæc ipsa Ammonij dogmata, quorum fidelis custos Plotinus fuit, aliqua fuisse, quibus Christus Dominus noster assereretur. Ad hæc familiaris inter illum, & Origenem intercessit consuetudo: at illud ob oculos Origenis obuersatum nouimus, vt Ethnicos hilariter exciperet, quô studio, & opera sua sacris eos informaret institutis, vt meminit D. Hieronymus libro de scriptoribus Ecclesiasticis dum ait de origene loquens. *Concursusq; ad eum miri fierent, quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione secularis litteraturæ in fide Christi eos institueret.* Quid? non solum præceptore Christiano, & condiscipulis eiusdem disciplinæ studiosis, sed etiam auditoribus, ac discipulis vsus est Plotinus, qui nostræ religionis dogmata amplexabantur ceu ad Dioscorum scribens litteris consignauit Augustinus. *Tunc Plotini Schola Romæ floruit, habuitque discipulos multos acutissimos, & solertissimos viros*, & mox: *aliqui Dominum Iesum Christum ipsius veritatis, atq; sapientiæ incommutabilis, quam conabantur attingere agnoscentes gestare personam, in eius militiam transierunt.* Fieri autem vix potuisse putarim, vt hæc, quæ certis comperta sunt testimonijs æquo animo ferret Plotinus, si Christianorum placita execrabatur. Præterea stultæ gentilitatis deos, deasque despectui ducere solidæ pietatis, veræq; Christianæ scholæ artis est, cuius rei de Plotino apertum testimonium suppeditat Porphyrius dum ait. *Cum Amelius sacrorum obseruator esset, atq; per Kalendas sacra faceret, & quandoq; rogaret Plotinum illuc secum accedere; illos, inquit Plotinus de Dijs loquens) decet ad me, non me ad illos accedere. Qua verò mente tam excelsa de se loqueretur, neq; intelligere potuimus, neq. ausi sumus interrogare.* En? quo honore, qua reuerentia, & pietate erga vana gentilium simulachra, fictosq; Deos afficeretur Plotinus? Nempe (si hoc nobis interpretari fas est, vt in simili aliâs fecisse Thodoretum vidimus,) sacra regij vatis cantilena psal. 113. & mentē & aures suas demulcens Plotinus inanium Deorum cultum non ad religionem, sed ad impietatem nouerat attinere. Hanc vtramq; vltimam de Plotini erga Christianos studio, & contra inanes gentilium Deos iurgio assertionem breuibus compręhensam verbis latius prosequitur Marsilius Ficinus in commentarijs lib. 9. enneadis secundæ in summa libri totius cum ait. *Plotini mentem non fuisse à Christiana lege penitus alienam ex eo conijcere possumus, quòd cum Ammonij semper Christiani discipulus fuerit, & Christianissimi Origenis semper amicus conuenisse dicitur vna cum Origene, atq; Herennio se nūquam ab institutis Ammonij discessurum, idq. sicut promiserat seruasse. Præterea gentilium Deorum cultum alto animo aliquando contempsisse Amelio cohortante Porphyrius ipse eius discipulus testis est Deniq. ab hæreticis multis Platonem suum partim deprauantibus partim etiam contemnentibus frequentius irritatus respondit quidem latissimè, nihil tamen in respondendo commune Christianis inseruit, sed propria duntaxat ad hæresim, cum alioquì inpune in Christianos inuehi ea tempestate liceret, & offerretur occasio.* Ita Marsilius.

Plotini & Origenis consuetudo.

S. Hierony.

Epist. 56. in fine.

In vita Plotini.

Marsil. Ficinus.

Plotinum neglectis religionis nostræ decretis gentilium erroribus mancipatum magicis artibus vacasse: modò illius sæuitiam experiri, cuius patrocinium viuens tanto studio affectarat?

CAP. XXXI.

SEd hæc, quæ primo intuitu aut fidelem, aut fidelium Christianorum amatorem Plotinum asserere videntur, considerata altius infidelem declarant non enim ei ad salutem æternam profuit re, aut scriptis Christi alumnos non agitasse, quorum fidem palam profiteri, vitæq; traducendæ normam sequi omnino tenebatur: nec eidem valuit præceptoris, & amicorum fide Christi pollentium familiaritas, & consuetudo, si eâdem religionem, religionisq; auctorem Dominum colere non instituit, cen non instituisse illius fidelis, & amantissimus Porphyrius auditor passim prædicat, dum suum, hoc est, eiusdem superstitionis, quam ipse Christiano nomini infensissimus à pueritia custodiret, participem, & professorem appellat; dum eum veluti arcanorum Platonicę scholæ vindicem, & custodem amplectitur; dum deniq; præceptorem suum non minus â gnosticis, quàm à Christianis viris secernit. Enim vero ab fide cathol ica alienum, & superstitione gentilē Plotinū fuisse firmissimè crediderunt quotquot Patres de illo meminerē, quamuis eorum nonnulli placita illius aliquando laudibus exornent, quæ Christianam pietatem, & disciplinam redoleant, vt B. Augustinus, Theodoretus, & alij fecerunt, quorum votis adhærens Nicetas in quadragesima secunda oratione Gregorij Nazianzeni testatur fuisse in eo solā bonitatē, nō quæ à gratia, euāgelicaq; lege, sed quæ á natura proficisceretur.

Nicetas.

Quod si sublimius aliquid de hoc philosopho Iulius Firmicus Maternus iunior siculus sentire fortassis videtur, haud est iniquo animo ferrendum, cum ethnicus ipse Ethnici Philosophi patrocinium suscipiens ei laudes tribuat, quas non meretur. Cæsar Baronius miserrimi interitus Plotini, (cuius corpus corrupti sanguinis tabe sensim emarcuit) causam, quam, à fato vlciscente ortam Iulius Firmicus autumat, improbans, ac meliorem, & saniorem rationem assignans transit ad hanc opinionem. *Sed aliunde prorsus infelicis Plotini exitus causa à prudentioribus petenda est. Quod enim auditor Christiani philosophi Ammonij omnium celeberrimi; quodq; Platonicæ philosophia antistite familiarissimè vsus Origene inter Christianos versatus, fieri tamen Christianus abhorruit, nec quidem suorum discipulorum exemplo, qui ex schola Platonis transierunt ad Christum, nonnihil admonitus, acquieuit profiteri discipulum piscatorum; sed his omnibus præferens familiaris dæmonis cultum merito numine vlciscente eiusmodi memorabiles dedisse pœnas quisque sapiens iure censebit.*

Tom. 2. ad annū Christi 271.

Mortis Plotini causa ex Iulio Firm.

Sententia ex Baronio.

Cæterùm non solùm à Christo Domino, verùm etiam ab eiusdem præcep-

tis

tis animus Plotini perpetuò abhorruit. Quid enim Ecclesiæ dogmatibus adeo contrarium potest reperiri, quàm, (vt voluit Plotinus) asserere, post mortalem hanc vitam animum hominis perpetuis reuolutionibus cieri, quas in transmigratione animorum in varia corpora fingit Platonico veneno infectus? Quid enim tam miserum quàm in corpus velut in carcerem trudi spiritū, vt in exilio verius, quàm in vita corporali viuere videatur? huc enim tendunt, quæ disputat lib. septimo, cui titulum donauit de animæ discensu in corpora: & huc reuocandum est, quod exequitur cap. 15. enneadis tertiæ lib. 2. contendens non esse dolendum, si breuiori quodam tempôris spatio mortem quis anticipet in senectute futuram, abeundo quidem velocius, sed vicissim aliâs rediturus; quô etiam spectasse arbitror, quod libro primo de dubijs animæ ait. *Iupiter verò pater laborantes animas miseratus earum vincula, quibus laborant, solubilia fabricauit, atque ita intermissiones laborum certis temporum interuallis instituit, in quibus liberè viuerent à corporibus, vt ipsæ quoq. ibi forent, vbi est mundi anima semper circa hæc sollicita nūquam.* Et licet non me fugiat huius Plotini sententiæ laudatorem fuisse B. Augustinum lib. 9. de Ciuitate Dei cap. 10. non tamen ille radicem, finemue, ex quibus ea sententia ortum habuit, quod nos tantùm reprobamus, sed nudam sententiam approbauit; qua videlicet diuina miseratio in ea ostenditur, quod immortalis hominis spiritus mortali socio iungeretur. *Ita hoc ipsum* (verba sunt Augustini) *quod mortales sunt homines corpore ad misericordiam Dei patris pertinere arbitratus est, ne semper huius vitæ miseria tenerentur.* Sic Augustinus.

Plotini errores

S. Augustinus

Sed numquid non turpiter lapsus est Plotinus, cum passim dictitat animos nostros diuinæ naturæ particulas esse eiusdem dignitatis participes. Verùm cæteros illius errores missos faciens præterire non debeo, Dæmonas ei mirum in modum fuisse in oblectamentis, quare non solum opus contexuit de suo cuiusq; nostrum Dæmone, verùm etiam toto vitæ curriculo alterius Socratis instar Dæmonio vsus est veteratore, quem sibi Deū præsto fuisse fallacijs illectus miser iactitabat. Clara res est apud Porphyrium, nec nostra probatione egens. Etenim huic infelicissimo adeò grata erat illicita, & iure diuino prohibita cum Dæmonibus consuetudo, qua hi magicis artibus inuocantur, vt de Plotino hæc ipsa prodiderit Porphyrius nequissimę arti vt quisquam alius addictissimus. *Et profecto Plotinus ipsa quoq; natura ab initio maius aliquid præter naturam possidebat. Aegyptius enim quidam Sacerdos Romam profectus per amicum quendam Plotino subitò notus, cū exoptaret suam Romæ sapientiam ostentare, suasit Plotino, vt secum accederet familiarem sibi Dæmonem, eo aduocante, protinus inspecturus, cui facilè Plotinus est obsecutus. Acta verò est in æde Isidis Dæmonis inuocatio, solùm namq. hunc locum Romæ purum ait Aegyptium inuenisse. Sed cum in aspectum proprium ipse Dæmon accerseretur, pro Dæmone Deus accessit, qui sanè non esset in genere Dæmonum. Sic ergo repente Aegyptius exclamauit. Beatus es ò Plotine, qui habeas pro Dæmone Deum, nec ex inferiori genere sis Deum sortitus familiarem. Narrabat verò non licuisse tunc quicquam interrogare, neq. diutius videre præsentem: quippe cum communis quidam ibi contemplator amicus aues, quas manu tenebat custodiæ gratia, suffocasset siue inuidia ductus, siuè timore perterritus.*

Plotini ex Dæmone consuetudo.

In vita Plotini.

Fuit autem Plotinus cultor Dæmonis adeò egregius vt Dæmon ipse Appollinis speciem simulans elegiaco carmine laudes mortuo sodali, & amico cantarit, hunc in modum orsus cantilenam. *Immortalem aggredior resonare*

Dæmon Plotinum laudat.

Porphyrius in vita.

car-

carminis hymnum. Ob amicum suauem. O miram Dæmonis calliditatem? qua grati animi specie cæteris gentilibus, vt reor persuadere conatus est: laudabilem,& expetendam esse Dæmonum familiaritatem exemplo huius philosophi, qui licet vt diuinus quidam genius ab omnibus coleretur, sic tamen Dæmonis amauit consuetudinem, vt ei Dæmon nec viuenti, nec morienti indiuidus comes abfuerit. Scitum est enim illud Porphyrij, postquā obitum Plotini narrauerat. *Interea draco sub lecto, in quo iacebat ille, per errans, mox in parietis foramē se prorsus occultauit.* Haud ambigam quin fuerit Plotini Dæmon serpentinis spolijs indutus. Sicut erudita interpretatione probat Cæsar Baronius hunc eundem Porphyrij locum expendens. *At quinam draco iste, qui decedente Plotino, recessit? familiarem Dæmonem eidem assiduo inhæsisse, & quidem ex diuinorum genere Dæmonum idem Porphyrius inferius pluribus docet. Sed ex forma ipsa cuiusnam generis fuerit Dæmon ille quis non intelligat. Vides quem princeps philosophorum, qui cæteris omnibus absq; aliqua cōtrouersia præstaret philosophis morum sanctitate, atq; doctrina nactus sit, vel ad sciuerit potius sibi familiarem Dæmonem, quo cum vixerit, atq; ex hac vita recesserit. Hæc quidem haud alicuius ex hostibus, æmulisue Plotini, sed discipuli amantissimi, præceptoris obseruatissimi, Porphyrij inquam testificatione explorata in medium afferuntur.* & rursus sugillans pene incredibilem Plotini arrogantiam, quam hauserat ab eo, qui ob superbiam è cælis in tartarum a Deo in præceps datus est. *En,* ait, *quas ex Dæmone illo superbiæ, & arrogātiæ spiritus hausit, vt quibus aliás imolarat, Deos quoq. contemneret, vt non mirū sit, si tanto mens fastu turgida Christianam religionem, & humilem exufflauerit. Sed habuit post exitum comitem eundem, quem viuens Dæmonem coluit forma draconis, quinam, qualisue esset, perspicuum, manifestumq. omnibus redditum.*

Tom. 2. ad annū Christi 271.

Quocirca non est, cur calculum meum expectet lector de æterno Plotini exitio, cum Vindice nostro teste, gehennale incendium diuina iustitia paratum sit Diabolo, & Angelis eius, qualem suisse Plotinum nimis claré edocent, quæ à nobis hactenus in medium sunt adducta.

Matthæi 25.

Primi Libri Finis.

FRAN-

FRANCISCI COLLII

AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS

DE ANIMABVS PAGANORVM

LIBER SECVNDVS

DE

Nabuchodonosore Babyloniorum Rege.
Dario. } *Persarum regibus.*
Cyro.
Tiberio Cæsare. } *Imper. Rom.*
Traiano.
Falconilla.

De Nabuchodonosore Babyloniorum Rege.

Iustam de æterna regis Nabuchodonosoris salute quæstionem oriri.

CAP. I.

NON est cur hoc loco coner ostendere tot capitalibus peccatis onustam fuisse Nabuchodonosoris vitam, vt iusto Dei iudicio gehennale mereretur incẽdium, cum sacras litteras non ignoranti notissimum sit, eum iniquissimum, plenumq; sacrilegijs omnibus, & omnium notarum peccatorem fuisse: de quo illa inenarrabilis temeritatis, & superbiæ verba audiuimus. *Et quis est Deus qui eripiet vos de manu mea.* Danielis 3.

Illud maioris negotij est, æterna huius requissimi regis supplicia, quibus obnoxius erat, vocare in quæstionẽ. Cæterum quæ in sacro eloquio in Nabuchodonosore laudanda proponuntur, nobis huius instituendæ quæstionis peropportunam occasionem exhibent. Sic enim habemus de Nabuchodonosore, posteaquam tres pueros deiectos in fornacem ignis vi diuina illibatos remansisse vidit. *Et erumpens Nabochodonosor ait, Benedictus Deus eorum Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt* Danielis 3.

corpora sua ne seruirent, & ne adorarent omnẽ Deum excepto Deo suo. A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quacunq; locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago dispereat, & domus eius vastetur, neq; enim est alius Deus, qui possit ita saluare. digna sane verba vnici Dei cultoris peccata sua deplorantis, & iustè, ac sanctè condentis eam legẽ, quæ ad æternæ maiestatis gloriam, honorem, & timorem spectat. vt prodidit S. Augustinus, qui docens reges bifariam Deo seruire posse, nempe vt homines, & vt reges sunt, clarè demonstrat promulgatam hanc à Nabuchodonosore legem diuino fauisse honori, dum inquit. *Quo modo ergo reges* Ep. 50.
Deo seruiunt in timore, nisi ea, quæ contra iussa Domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atq; plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia etiã rex est. Quia homo est, ei seruit, viuẽdo fideliter, quia verò etiam rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sicut Reges vt Deo seruiunt ex Aug.
seruiuit Ezechias lucos, & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo &c. Sicut seruiuit Nabuchodonosor, de quo iam diximus, omnes in regno suo positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt Domino reges, in quantum sunt reges, cum ea faciũt ad seruiendum illi, quæ non possunt facere nisi reges.

Sed ais, quid hæc præclara æterni numinis agnitio, & pro eiusdem gloria sancita lex ad æternam beatitudinem Nabuchodonosorem iuuare valuit, cũ postmodum eodem fastu elatus, & impius in Deum ob cõmissa scelera belluas sit imitatus, ac cum feris septem annorum circulo degerit: Rectè quidem, sed numquid rigido Dei flagello tactus non pœnituit? Vide, quid de seipso Rex fateatur. *Igitur*, ait, *post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos* Dani. c. 4.
meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui quia potestas eius potestas sempiterna, & paulo post in diuinas laudes iure merito iterum effusus. *Nunc igitur*, subdit, *ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli,* Mira Nabuchodonos. confessio.
quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare: vt suo experimento didicerat. Ex quibus sacrarum litterarũ testimonijs iusta spes æternæ salutis regis Nabuchodonosoris piorũ animis inijci potest.

Nonnullorum iudicio æternis gehennæ ignibus torqueri Nabuchodonosorem.

CAP. II.

ATtamen seculi nostri scriptores aliqui reperiuntur, qui Nabuchodonosorem sanctorum choro esse associandum negant propterea quòd omnino alienigena, & à vera, quæ tunc in Iudæis erat, fide, remotissimus esset. Cæterum (quod apud me maioris ponderis est) in eandem sententiam nonnullos sanctorum Patrum abijsse cognosco ex his, quæ scripserũt. Etenim D. Cirillus Alexandrinus lib. 2. in Esaiã Prophetam in commentarijs suis editis in caput 14. de Nabuchodonosore ceu

de perdito, ac æternis inferni supplicijs addicto homine nec obscure, nec inuolutè loquitur, illud Prophetæ dictum. *Non absolueris peccatis, nec mundus eris, neq; misericordia dignus*, de eodem Nabuchodonosore interpretans, quē patrasse scelera digna extrema Dei ira, digna ęterno supplicio vitijs ex æquo respondente asserit hancquestionem excitans. Cur adeo graui pœna multatus sit Nabuchodonosor cum diuina voluntate ageretur ad templi Hierosolymitani excidium, ad euersionem sanctæ ciuitatis, ac electi populi captiuitatem, cur enim Nabuchodonosori crimini vertendum, quod diuino consilio peractum est? *Qui igitur factum est*, inquit Cyrillus, *vt ex diuino nutu pędens Babylonius insanabili scelere perditus sit, adeoq; grauiter puniatur, vt amplius non conspiciatur ira ei inflicta?* Cui quæstioni satisfaciens respondet. *Voluit enim vniuersitatis Deus declinantem ad defectionem Israel arguere, & modico supplicio persuadere, vt denuo ad consuetum cultum legalem inquam recurreret. Iste autem licet ad hoc ductus fera more imitis erat, & effrenato furore agebatur.*

D. Ioannes Chrysostomus ait. Nabuchodonosorem, *postquam plurima, & magna pecauit, grauius in fine fuisse punitum*, quod de gehennæ supplicijs non dubites interpretari, quamuis post incredibilem illam animi elationē, qua se tamquam Deum coli præceperat, grauissima à Deo supplicia passus sit septennio belluinos mores imbutus. Cæterùm rursus Heremiæ Prophetæ vocens illas enucleans. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes aquilonis ait Dominus, & Nabuchodonosorem regem Babylonis seruum meum*, & prouidēs diuino numini obtemperātes, iustosq; homines hoc honorifico serui Dei titulo, vsitato loquendi more solitos appellari, ac iure veritus, ne inde quis hallucinaretur falso existimans Nabuchodonosorem ita appellarū ob diuinam gratiam, qua polleret, hæc habet Chrysostomus in proæmio ad propheticos Hieremiæ sermones. *Ipsum opus auctori suo seruum est, seruus igitur Nabuchodonosor per creationem, & opificium*: ea prorsus ratione, qua Lucifer, cæteriq; præuaricatores Angeli serui Dei nuncupari possunt. Hom. 4. in Matthæum. Cap. 25.

Clarior ad idem spectans est D. Hieronymi super hac ipsa Hieremiæ sētentia explanatio his verbis concepta. *Quodq; vocat seruum suum Nabuchodonosor, non sic seruus vocatur, vt propheta, & omnes sancti, qui verè seriunt Deo, sed quod in euersione Hierusalem Domini seruiat voluntati: secundum quod & Apostolus loquitur, quos tradidit Satanæ, vt discant non blasphemare*: Vides ab Hieronymo non sanctis, non prophetis, qui Deo charitatis vinculo annectūtur, sed Cacodæmoni assimilatum Nabuchodonosorem, qui etsi in Hierosolymitana euersione diuinæ vindictę obsequeretur, erat tamen eiusdem numinis inimicus: valetq; in illum iactata apud sacras scripturas sententia, *& de inimicis meis vindicabo inimicos meos*: ad quem sensum alludens idem Hieronymus pari modo nobiles, & speciosas primo obtutu appellationes declarat, quibus in sacra pagina insignitur Nabuchodonosor. Nam Hieremiæ 22. sanctum cum exercitu suo dictum Nabuchodonosorem reperies, *& sanctificabo super te interfectorem virum*, ad quem locum ita Hieronymus. *Sanctus autem vocatur Nabuchodonosor, & omnis eius exercitus, qui exequitur sententiam Dei*, & ab eodem Propheta Nabuchodonosor columba vocitatur. Quamquam cum Alexandrino Cyrillo interpretari possimus, Nabuchodonosorem dici sanctificatum, hoc est, ad gentes peccatrices funditus euertēdas electum; *Hic autem*, ait Cyrillus citato loco, *sanctificaui dicit pro segregaui, & velut selegi ad eorum, quæ constitui administrationem*. Cap. 5. Nabuchodonosor quo modo Dei seruus. Pri. Thimoth. p. Ex S. Hierony. Nabu. quo modo sanctus. Cap. 25. Lib. 2. in Esaiā cap. 14.

Verum insigne est contra æternæ Nabuchodonosoris vitæ spem Esaiæ vaticiniū, quo nec dū in hanc lucē editi Nabuchodonosoris disertis verbis scelera prædicens, eum ad infernalem Dæmonum carcerem ceu in præceps datum oculis subijcit sic scribens. *Infernus subter conturbatus est in occursum aduentus tui &c. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo in cælum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum &c. similis ero altissimo.* Quod vaticinium ad litteram de Nabuchodonosore iuxta propheticam parabolam intelligens Hieronymus ait. *Qui viderint Nabuchodonosorem regem babylonium non oculorum, sed cordis intuitu de cælo ad inferos corruisse.* Ita Hieronymus, qui tota capitis serie e damnatorum grege Nabuchodonosorem esse disertis verbis, & sententijs edocet, vocatq; illū stipem inutilem æterno igni paratam. Cum Hieronymo hunc ipsum Esaiæ locum pertractans sensit Cyrillus Alexandrinus ita scribens. *Hic enim ostendit homicidam Nabuchodonosorē esse sanguinibus plenum, vt totus fermè infernus, nimirum hi, qui apud inferos sunt, opus, & materia fuerint eius, quæ in ipso erat, crudelitatis. Non enim destitit superbus, & gentes, & reges stirpitus euellere, & miseris animabus inferos replere;* & mox reliquum vaticinationis prosequens in eodem inferno receptum Nabuchodonosorem vna cum interfectis á se hominibus tradit. *Omnes igitur gigantes, idest viribus insignes, & multis imperitantes gentibus, & per te sublati respondebunt, & dicent. Et tu captus es, quemadmodum & nos:* quibus verbis iā quid clarius exigi potest, cū hæc vera sit historia diuino afflatu ab Esaia vate conscripta, vt Cyrillus testatur? Idem senserē plurimi doctorum, quorū vota hic referre supersedeo,

Esaiæ 14.

Comm. in cap. 14. Esaiæ.

Præterea vna est catholicorum firma, & constans opinio in babylonici regis figura Luciferi casum describi, vt prodiderunt Origenes lib. 1. Periarchon cap. 5. super illis Esaiæ verbis; *quomodo cecidisti &c. manifestissimè ergo super hac ostēditur cecidisse de cælo is vtiq; qui prius erat Lucifer, & qui mane oriebatur.* Eusebius Cæsariensis lib. x. de Demonstratione Euangelica demonstratione octaua, & de præparatione Euangelica lib. 7. cap. 6. cuius titulus est de contraria virtute idest peruerso Angelo, S. Ambrosius enarratione in octonarium psal. decimum sextum ea verba illustrans, *non calumnientur me superbi,* Cyrillus Alexandrinus ad eundem Prophetiæ locum dum inquit. *Adaptare autem quis poterit, & quidem valdè meritò hæc, quæ dicta sūt historicè capiti eius, qui omnia comminuit, draconis inquam principis malorum. Erat enim exactor, & solicitator illis, quos iam diximus, modis, cessauit autem, & e medio sublatus est Deo illum percuciente plaga furoris insanabili.* Et postremo, vt de cæterorum votis sileam, suffragatur huic veritati Scholiastes ad cap. 6. lib. de præparatione Euangelica ita scribens. *Hunc autem locum,* nempe quo modo cecidisti de cælo Lucifer *de casu Angeli veteres pene omnes mysticè sunt interpretati.* At cum par fermè fuerit casus, & ruina vtriusq; & similis mortifera animi elatio, arrogantia, & impietas, cur ab sempiterno interitu vendicabitur Babylonius rex, cum certo fidei nostræ decreto constet, Luciferum, ac cæteros rebellantes spiritus de cælo deiectos in gehennam.

Luciferi casus in regis Nabuch. figura descriptus.

Plures

Plures sanctorum Patrum, ac aliorum scriptorum de sempiterno Nabuchodonosoris præmio bene sensisse.

CAP. III.

AT decertant alij ab tartareo igne immunē Nabuchodonosor demonstrare; & Tertullianus in primis in eo libro, cui titulum de pœnitentia fecit, in quo cum solita eruditione, & certis experimētis docuisset, admirabiles, & planè diuinos esse fructus animi sua crimina detestantis, ad extremum opus claudens ita de Nabuchodonosore loquitur. *Peccator restituendo sibi institutam à Deo exomologesin sciens prateribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiā Deo imolarat septenni squalore exomologesin operatus vnguiū aquilinum in morem efferatione & capilli incuria horrorem leoninum præferente. Pro malæ tractationis. Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.* At quid hæc postrema indicant, quid sonant aliud, quam suscepta septenni peccatorum suorum pœnitentia diuina gratia insignitum Nabuchodonosorem, quem intueri perhorrescebant mortales: cui ex aduerso obijcit Pharaonem Aegyptium, qui suæ impenitentiæ penas tulit sempiternas, rubri maris aquarum vi oppressus. Hanc Tertulliani opinionem secutus, ac ab eodem mutuatus etiam dictiones D. Pacianus Barcilonensis Episcopus, qui longe post Tertulliani seculum vixit Theodosio imperante in parænesi ad pœnitentiam, ita scribit. *Leonum in eo iubæ, impexa cæsaries, & barbarus horror exuperat, & longè incuruis vnguibus manus horrentes aquilas mentiūtur, cum fœnum in morem bouis ederet pallentium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in sua quondam regna restituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipsa illa malæ tractationis calamitate felicem.*

Cap. vltimo.

Quo tempore vixerit Pacian.

Verùm quia de Nabuchodonosoris pęnitentia sermo incidit dignū est memo atu, quod S. Epiphanius litteris prodidit. (nemo enim eorū, qui de pęnitētia Nabuchodonosoris tractauerè, videtur fusius, & enucleatius hanc rē examinasse, quàm Epiphanius, cuius super hac re testimonium, ne quid lector desideret, huc transferam) *Quocirca Nabuchodonosor à flagello sibi hoc misso retinēs etiam dum in corde suo humanum sensum ingenti luctu perculsus eiulauit, supplicabatq. Deo, diesq; noctesq; quadragies implorans Beemon, quod est Deus Israel, præsto namq; illi erat Spiritus Sanctus, & celabat eum, quod natus fuerat homo. Linguaq; eius ligata hæserat, ne verba faceret, & vox bruti dedicata est ei. Et reddita est proinde ac caro emortua à continuo eiulatu;* & mox, *Sex itaq; annos, & totidem menses supplex precatus est Dominum Deum, & confessus est impietatem suam, & post remissionem sceleris sui principatum illi Deus restituit. Ex eo igitur tēpore nec carnibus vesci, nec vinum potare voluit confitēs vsq; Deo.* Agnosce mirabilem, & admirare sceleestissimi regis aliâs celestem disciplinā, & pœnitentiam, quæ ad miserationem diuinam implorandam, & obtinendam illi peropportuna fuit.

De Vita, & interitu Prophetarum.

Auctor Synopsis, qui falsò putatur Dorotheus Tyrrensis, cuius nihil operum

Dorothæi Tyrrēsis opera necdam inuenta.

rum adhuc inuentū esse à prudentioribus, & peritioribus viris proditum est; plenus enim liber ille noscitur fallaciarum, vt patet meditāti quæ in Abdiæ, Ionæ, Isaiæ, & Hieremiæ vita digessit. Hic inquam antiqui æui haud dubiè scriptor, cum suum de Nabuchodonosoris pœnitētia arere videret ingeniū, de Epiphanij fontibus illud irrigauit hauriens quæ supra retulimus, quæ ne tędium lectori pariant omittuntur. Eadem est Petri Comestoris scholasticę historię auctor de pœnitentia Nabuchonodoris, & à cibis abstinentia opinio, quamuis alia ingerat, quę vt ei libuerit, accipiat lector.

Eandem opinionē palam defendit, & apertius, quàm alij persuadere conatus est S. Cyrillus Hierosolymitanus de baptismo cathechesi 2. cuius hec sunt verba, postquam infinita pene Nabuchodonosoris scelera, sçuitiā, idololatriam, rapinas, & templi Hierosolymitani ruinā recensuerat. *Numquid non millies mori meruerat? Vides scelerum magnitudinem? Conuertere deinde ad Dei clementiam. In bestiam transformatus est, in solitudine degebat? flagellatus est, vt seruaretur, Leoninos habebat vngues, raptor enim sanctorum fuerat: crines quoq; leonū habebat, leo enim rapax erat, & rugiens: fœnum tamquàm bos comedebat: pecus enim fuit nesciens quis regnum ei contulerat. Tinctum erat corpus eius rore, etenim prauidens à rore extinctum ignem non credidit, & quid factum est? Postea inquit. Ego Nabuchodonosor oculos meos in cælum leuaui, & altissimum deprecatus sum, & viuentem in æternum laudaui, & glorificaui. Cum autem agnouit altissimum, vocesq; gratias agentes ad Deum emisit, & deuenit ad eorum quæ patrauit, pænitentiam, infirmitatemq; suam agnouit, tunc restituit illi Deus regni honorem. Quid igitur Nabuchodonosori tantis obnoxio sceleribus, cum primum confessus est, peccata remisit, regnumq; restituit: tibi vero agenti pænitentiam non remittet, neq; regnum cælestie, si te pro dignitate gesseris, concedet? Benignus est Dominus, & velox ad indulgendum, tardus autem ad vindictam. Nemo itaq; desperet de sua salute.*

Nabuchodonosoris crimina.

Huic sententię fidem facit B. Augustini testimonium, quod verbis ipsius appositis hoc loco agnosce lector. Nam discrimen assignans, cur Deus tres pueros in babylonica fornace, ne igne lęderetur, insigni miraculo protexerit, non autem Machabęos martyres, qui regis Antiochi iussu iniquissimè trucitati sunt, ait. *Sed ne aliquis existimet illos Dei seruos, quos dicis à barbaris interfectos, sic illam mortem euadere debuisse, quo modo tres illi viri ab ignibus, & Daniel à leonibus liberatus est: sciat illa propterea facta miracula, vt eos verum Deum colere crederent reges, à quibus in illa supplicia tradebantur. Hoc enim erat in occulto iudicio, & misericordia Dei, vt illis regibus eo modo consuleret ad salutem. Antiocho autem regi, qui Machabæos pænis crudelibus interemit, noluit ita consulere, sed eorum gloriosissimis passionibus cor duri regis acriori seueritate puniuit.* Cuius testimonij verba illa, *vt illis regibus eo modo consuleret ad salutem*, mirè ad rem nostram persuadendam conducunt. Similia tractat auctor libri de prędestinatione, & gratia, qui legitur inter opera Augustini eiusq; etiam opus ducitur à nonnullis, quamuis immerito, cum cap. 16. citati libri auctor affirmet hominem potuisse iustè à Deo damnari, etiam si non peccasset, cuius tamen rei oppositum docet Augustinus epist. 105. 106. & libro secundo de peccatorum meritis, & remissione cap. 16. At quisquis operis illius auctor fuerit; is certè ad hanc firmandam opinionem ea scripta reliquit, quę non iniucunda arbitror futura lectori. *Vnde, ait, Nabuchodonosor pænitentiam meruit fructuosam? Nonne post innumeras impietates flagellatus pænituit, & regnū quod perdiderat rursus accepit? Pharao ipsis flagellis*

Epist. 111. Ad Victorianum.

Censura li. Aug. adscripti de prędestinatione, & gratia.

gellis est durior effectus, & perijt; cuius rei arcanam indagaturus rationem ingeniosa similitudine omne discrimen in diuinam conijcit voluntatem, & transnaturale auxilium ita scribens. *Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium Altum sapienti corde diiudicat, cur medicamentum vnius medici confectum alij ad interitum, alij valuerit ad salutem, nisi quia Christi bonus odor alijs est odor vitæ in vitam, alijs odor, mortis in mortem,* & post non pauca. *Hic quicunq;, respondet, illi vt mutaretur affuisse diuinum, huic vt induraretur, de fuisse præsidium.*

Præterea huic opinioni mirificè congruunt, quæ traduntur ab erudito iuxta, & antiquo scriptore libri illius de pœnitentia, qui sub nomine S. Ambrosij immerito prodijt, quiq; extat inter opera eius: is inquam auctor cap. 16. intimis sensibus peccata sua doluisse Nabuchodonosorem, ac toto cordis sui conatu Deum verum agnouisse, & meritis ad sydera extulisse præconijs ita scribit. *Cum Nabuchodonosor ille feralis, & alienigena princeps diuina animaduersione æmulatus sit, vt per emendationem vindicta cogeretur agnoscere, quem sacrilegium fuerat abnegasse, & virtutibus eum crederet, quem per ferociam spiritus ante nescisset, vsq; adeò, vt qui elatus spiritu pernicaci Deum se non timeret anteà prædicari, non auderet post modum super eius incomparabili maiestate mentiri, cum ingenti in se facti admiratione correctus non desijt solum Deum verum ex toto corde, decretisq; præconantibus confiteri?* Liber de pœnitentia non est D. Ambrosij.

Quid? hoc idem tot doctorum votis obfirmatum in scriptis suis & probasse, & laudasse videtur Theodoretus tractans illas voces. *Ego Nabuchodonosor. Non sine causa* inquit, *adiecit ego, vt omnes homines doceret, quasi ita dicat, ille ego qui tanta olim arrogantia dixeram, quis est Deus, qui eruat vos de manibus meis? qui somniaram fore, vt in cælum ascenderem, & supra astra ponerem thronum meum experientia doctus didici, quid deceat, meo supplicio sapere didici*; & rursum addit, Nabuchodonosorem diuina animaduersione resipiscentem non modo sceleris sui pertæsum, sed prophetæ munus obijsse diuina gratia insignitum. *Tantum vtilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonosor, vt prophetæ instar de Deo sentiat, & loquatur &c. squalens enim situ, vt par erat & sordescens detunsus, abiectisq; vnguium excrementis, sordibus ablutis, diuinæ gratiæ compos factus agnouit.* Hactenus ex Theodoreto, qui capitis quinti commentarium in Danielem claudens, cum hanc quæstionem posuisset. *Cur Nabuchodonosori Deus non Balthasari veniam dederit*, sic respondet. In Daniel. cap. 5.

Considerantes itaq; comperimus primum, quia Nabuchodonosor alterum impietatis pœnas luisse non conspexerat, idcirco dignum venia iusto Dei iudicio existimatum: sed ille summum Patris supplicium suspicatus nihil inde percepit vtilitatis, iure itaq; iustus iudex illi definito tempore supplicium præscripsit, istum autem nulla venia dignum censuit: alioqui & omnia futura prouidēs Deus, & perinde ea cognoscens atq; iam præterita præcognita illius pœnitentia, ita quæ ad eum pertinebat, moderatus est, istius autem præcognoscens perpetuam impietatem, morte sedat impietatis incrementum. Cur Deus Nabuchod nō Balthasari veniam dederit.

Aeterni

rum adhuc inuentũ esse à prudentioribus, & peritioribus viris proditum est, plenus enim liber ille noscitur fallaciarum, vt patet meditãti quæ in Abdiæ, Ionæ, Isaiæ, & Hieremiæ vita digessit. Hic inquam antiqui æui haud dubiè scriptor, cum suum de Nabuchodonosoris pœnitẽtia arere videret ingeniũ, de Epiphanij fontibus illud irrigauit hauriens quæ supra retulimus, quæ ne tędium lectori pariant omittuntur. Eadem est Petri Comestoris scholasticę historię auctor de pœnitentia Nabuchonodoris, & à cibis abstinentia opinio, quamuis alia ingerat, quę vt ei libuerit, accipiat lector.

Eandem opinionẽ palam defendit, & apertius, quàm alij persuadere conatus est S. Cyrillus Hierosolymitanus de baptismo cathechesi 2. cuius hęc sunt verba, postquam infinita pene Nabuchodonosoris scelera, sæuitiã, idololatriam, rapinas, & templi Hierosolymitani ruinã recensuerat. *Numquid non millies mori meruerat? Vides scelerum magnitudinem? Conuertere deinde ad Dei clementiam. In bestiam transformatus est, in solitudine degebat? flagellatus est, vt seruaretur, Leoninos habebat vngues, raptor enim sanctorum fuerat: crines quoq; leonũ habebat, leo enim rapax erat, & rugiens: fœnum tamquàm bos comedebat: pecus enim fuit nesciens quis regnum ei contulerat. Tinctum erat corpus eius rore, etenim præuidens à rore extinctum ignem non credidit, & quid factum est? Postea inquit. Ego Nabuchodonosor oculos meos in cælum leuaui, & altissimum deprecatus sum, & viuentem in æternum laudaui, & glorificaui. Cum autem agnouit altissimum, vocesq; gratias agentes ad Deum emisit, & deuenit ad eorum quæ patrauit, pœnitentiam, infirmitatemq; suam agnouit, tunc restituit illi Deus regni honorem. Quid igitur Nabuchodonosori tantis obnoxio sceleribus, cum primum confessus est, peccata remisit, regnumq; restituit: tibi vero agenti pœnitentiam non remittet, neq; regnum cælestE, si te pro dignitate gesseris, concedet? Benignus est Dominus, & velox ad indulgendum, tardus autem ad vindictam. Nemo itaq; desperet de sua salute.*

Nabuchodonosoris crimina.

Huic sententię fidem facit B. Augustini testimonium, quod verbis ipsius appositis hoc loco agnosce lector. Nam discrimen assignans, cur Deus tres pueros in babylonica fornace, ne igne læderẽtur, insigni miraculo protexerit, non autem Machabęos martyres, qui regis Antiochi iussu iniquissimè trucitati sunt, ait. *Sed ne aliquis existimet illos Dei seruos, quos dicis à barbaris interfectos, sic illam mortem euadere debuisse, quo modo tres illi viri ab ignibus, & Daniel à leonibus liberatus est: sciat illa propterea facta miracula, vt eos verum Deum colere crederent reges, à quibus in illa supplicia tradebantur. Hoc enim erat in occulto iudicio, & misericordia Dei, vt illis regibus eo modo consuleret ad salutem. Antiocho autem regi, qui Machabæos pœnis crudelibus interemit, noluit ita consulere, sed eorum gloriosissimis passionibus cor duri regis acriori seueritate puniuit.* Cuius testimonij verba illa, *vt illis regibus eo modo consuleret ad salutem*, mirè ad rem nostram persuadendam conducunt. Similia tractat auctor libri de prędestinatione, & gratia, qui legitur inter opera Augustini eiusq; etiam opus dicitur à nonnullis, quamuis immerito, cum cap. 16. citati libri auctor affirmet hominem potuisse iustè à Deo damnari, etiam si non peccasset, cuius tamen rei oppositum docet Augustinus epist. 105. 106. & libro secundo de peccatorum meritis, & remissione cap. 16. At quisquis operis illius auctor fuerit; is certè ad hanc firmandam opinionem ea scripta reliquit, quę non iniucunda arbitror futura lectori. *Vnde, ait, Nabuchodonosor pœnitentiam meruit fructuosam? Non ne post innumeras impietates flagellatus pœnituit, & regnũ quod perdiderat rursus accepit? Pharao ipsis flagellis*

Epist. 111. Ad Victorianum.

Censura li. Aug. adscripti de prędestinatione, & gratia.

gellis est durior effectus, & perijt; cuius rei arcanam indagaturus rationem ingeniosa similitudine omne discrimen in diuinam conijcit voluntatem, & transnaturale auxilium ita scribens. *Hic mihi rationem reddat, qui diuinum consilium nimium Altum sapienti corde di iudicat, cur medicamentum vnius medici confectum alij ad interitum, alij valuerit ad salutem, nisi quia Christi bonus odor alijs est odor vitæ in vitam, alijs odor, mortis in mortem*, & post non pauca. *Hic quicunq;, respondet, illi vt mutaretur affuisse diuinum, huic vt induraretur, defuisse præsidium.*

Præterea huic opinioni mirificè congruunt, quæ traduntur ab erudito iuxta, & antiquo scriptore libri illius de pœnitentia, qui sub nomine S. Ambrosij immerito prodijt, quiq; extat inter opera eius: is inquam auctor cap. 16. intimis sensibus peccata sua doluisse Nabuchodonosorem, ac toto cordis sui conatu Deum verum agnouisse, & meritis ad sydera extulisse præconijs ita scribit. *Cum Nabuchodonosor ille feralis, & alienigena princeps diuina animaduersione æmulatus sit, vt per emendationem vindicta cogeretur agnoscere, quem sacrilegium fuerat abnegasse, & virtutibus eum crederet, quem per ferociam spiritus ante nescisset, vsq; adeò, vt qui elatus spiritu pernicaci Deum se non timeret anteà prædicari, non auderet post modum super eius incomparabili maiestate mentiri, cum ingenti in se facti admiratione correctus non desijt solum Deum verum ex toto corde, decretisq; præconantibus confiteri?*

Liber de pœnitentia non est D. Ambrosij.

Quid? hoc idem tot doctorum votis obfirmatum in scriptis suis & probasse, & laudasse videtur Theodoretus tractans illas voces. *Ego Nabuchodonosor. Non sine causa* inquit, *adiecit ego, vt omnes homines doceret, quasi ita dicat, ille ego qui tanta olim arrogantia dixeram, quis est Deus, qui eruat vos de manibus meis? qui somniaram fore, vt in cœlum ascenderem, & supra astra ponerem thronum meum experientia doctus didici, quid deceat, meo supplicio sapere didici*; & rursum addit, Nabuchodonosorem diuina animaduersione resipiscentem non modo sceleris sui pertæsum, sed prophetæ munus obiuisse diuina gratia insignitum. *Tantum vtilitatis ex calamitatibus percepit Nabuchodonosor, vt prophetæ instar de Deo sentiat, & loquatur &c. squalens enim situ, vt par erat & sordescens detonsus, abiectisq; vnguium excrementis, sordibus ablutis, diuinæ gratiæ compos factus agnouit.* Hactenus ex Theodoreto, qui capitis quinti commentarium in Danielem claudens, cum hanc quæstionem posuisset. *Cur Nabuchodonosori Deus non Balthasari veniam dederit*, sic respondet. *Considerantes itaq; comperimus primum, quia Nabuchodonosor alterum impietatis pœnas luisse non conspexerat, idcirco dignum venia iusto Dei iudicio existimatum: sed ille summum Patris supplicium suspicatus nihil inde percepit vtilitatis, iure itaq; iustus iudex illi definito tempore supplicium præscripsit, istum autem nulla venia dignum censuit: alioqui & omnia futura prouidēs Deus, & perinde ea cognoscens atq; iam præterita præcognita illius pœnitentia, ita quæ ad eum pertinebat, moderatus est, istius autem præcognoscens perpetuam impietatem, morte sedat impietatis incrementum.*

In Danielem cap. 5.

Cur Deus Nabuchod nō Balthesari veniam dederit.

Aeterni

Aeterna Nabuchodonosoris salutis testimonia, & coniectura.

CAP. IIII.

EX quibus omnibus tam sanctorum Patrum, quàm aliorum scriptorũ testimonijs in vnum velut corpus collectis licet intueri mixtum esse sanctorum choro Nabuchonodosorem, cui, vt ad bonam frugem reuocaretur nec diuinum defuit præsidium, nec efficax voluntas, quæ præuenienti gratiæ cooperans totis medulis contremuit, ac scelerum suorũ magnitudine, ac prauitate territus vera religione, debitisq; honoribus verum Deum coluit cæteros gentilium Deos Daniele præceptore deridens. Ad hanc probandam opinionem nónulli adhibent in testem Iosephum lib. x. Antiquitatum Iudaicarum, quem mandasse litteris aiunt, Nabuchodonosorem toto vitæ actæ curriculo post incussa sibi diuina flagella agnouisse, & laudasse Dei virtutem, & prouidẽtiam; at quo libri decimi loco hæc scripserit Ioseph adhuc quæro, nec aliud quod Nabuchodonosoris pietatem, aut veri numinis timorem redoleat, apud eundem, quàm hæc vndecimi capitis verba hactenus inueni. *Nam cum in solitudine tempus prædictum exegisset, nemine septennio toto audente inuadere dominium, exorato Deo, rursum in regnum suum restitutus est*; nec alia, nec diuersa meminit libro contra Appionem Grammaticum, vbi de Nabuchodonosore sermonem rursus instituit. Adducunt præterea B. Hieronymum de institutione filiæ ad Lætam ita loquentem. *Latro de Cruce transijt in Paradisum. Nabuchodonosor rex Babylonis post efferationem corporis, & cordis, & belluarum in eremo conuictum in fine recepit salutem*, quæ postrema verba, si iure S. Hieronymo adscribi possent, res probè constaret, salusq; Nabuchodonosoris Heronymi posset testim onio comprobari, at non in meo solùm codice, sed in omnibus impressis, & imprimendis, quorum ingenti numero gaudet, vt cæteris omnium antiquorum monimetis Ambrosiana Bibliotheca, postremum allati testimonij verbũ, quod rei summa est, in Hieronymiana lectione desideratur: sic enim habet, *mentem recepit humanam*, at quã aliena hæc sint à proposito, nullaq; ratione regis Nabuchodonosoris beatitati opitulentur quis non videt?

Quid Ioseph de salute Nabuchodonosoris scripserit.

Veritas Hieronymianæ lectionis.

Quare ad huius rei confirmationem testis iurè excitari poterit Nicolaus de Lyra, qui, quod hactenus in posteriori sententia probare sumus conati, affirmare docet suæ opinionis fundamentum etiam trahens ex decreto 23.q. 4. *Nabuchodonosor*, qui vtilem, & fructuosam egisse pœnitentiam ibidem dicitur. Lyrano addi potest Dionysius Carthusianus, qui non solum Nabuchodonosorem satis bonã Synterisim habuisse scripsit, vnde sæpe visis Dei magnalibus ad eius honorem propensior fuit; sed etiam expresse eidem opinioni astipulatur.

In Danielem cap. 5.

Postremo ad idem corroborandum hæc probabis ratio accedit. Nam sicut prope certam ducimus esse damnationem illius, quem sacræ litteræ ceu peccatorem finalem obijciunt, sic pari ratione velut firma spes illius salutis

injicitur,

inijcitur, qui post patrata scelera in ijsdem sacris litteris vel pœnitens, vel virtutibus addictus, vel Deo charus describitur, cuius rei vno e multis duntaxat vtar exemplo. Etenim sub lite adhuc manet quæstio de æterna Salomonis salute eo duntaxat fundamento, quòd cum ex sacro eloquio clareat, eum idolis thura cremasse (quod crimen est æterno incendio dignum) tamẽ patrati criminis dolor illius & pœnitentia in ijsdem sacris litteris non traduntur, quæ si semel mẽtibus orirentur humanis, protinus illa, quæ adhuc circumfusa caligine iacet, illucesceret, ac expediretur disceptatio, omnesq; in posterum placati à Salomone numinis gnari, eum ad gehennã suo voto nõ auderẽt impellere. At in re nostra cum ex Danielis prophetæ oraculis vitia, & crimina Nabuchodonosoris non minus clarè pateant, quam suscepta ob læsum numen pœnitentia, & lex in veri Dei honorem, & gloriam vbiq; terrarum eo iubente euulgata, & insignia Dei Israelitici præconia omnibus patefacta; cur extra cæleste regnum eliminandus rex ille, cuius historiæ, & factis finem impositurus Daniel, eum pænitentia, religione, & pietate plenum, atq; admirabilem laudis diuinæ præconem omnibus offert? Discrimen inter peccata Salomonis & Nabuchodono.

Felici sanctorum choro mixtum esse Nabuchodonosorem prope certum videri. Cur contraria opinio non plane reijcienda.

CAP. V.

ET hæc sunt, quæ de proposita quæstione in contrarias partes à scriptoribus agitata reor in medium posse afferri; de qua quid ipse iudicij habeam duabus breuissimis assertionibus declarabo.

Prima est. Equidem non solum libentius accedo ad posteriorem sententiam, quæ tot Sanctorum Patrum, ac antiquissimorum scriptorum firmatur assensu, & sacræ Danielis historiæ mirum in modum congruit, verùm etiam toto penitus assensu amplector: sic enim mecum ipse ratiocinari soleo. Si cor Nabuchodonosoris aliàs efferatum, ac in supremam illam cælestemq; mentem impium diuinæ gratiæ irrigatum rore mitissimum, & certa Dei notitia præditum euasit, vt scriptura diuinitus inspirata testatur, quî fieri potuit, vt Daniele propheta superstite, (longe enim post mortem Nabuchodonosoris celestem in terris vitam egisse Danielem ex sacro eloquio patet) quem vnicè dilexit, quem habuit primum à consilijs, quem diuina sapientia, veritate, & gratia vndequaq; pollentem suo periculo nouerat, & quem demum suæ salutaris pœnitentiæ suasorem simul, & doctorem nactus erat: quî inquam fieri potuit vt in diuino timore iugiter non permanserit, ac eam, quam de Deo Hebræorum mentem conceperat, non custodierit Danielis amicissim monitis, & cohortationibus inflammatus, & adeo admirandis diuinæ potentiæ miraculis ad idem inuitatus? Daniel Nabuchod. mortuo superstes.

Altera est. Ob reuerentiam tamen, & auctoritatem Sanctorum Hieronymi, Chrysostomi, & Cyrilli pro damnatione Nabuchodonosoris acerrimè pugnantium arbitror haud reijciendam esse priorem sententiam, vt prorsus improbabilem. Mihi enim incredibile videtur tantos Patres in sacris litte-

ris exercitatissimos, qui apprimè descriptam in Danielis vaticinio huius regis pœnitentiam nouerant, non vidisse, ac etiam non penetrasse id quod ex Danielis loco ad astruendam Nebuchodonosoris salutem alij patres argumentantur. Quare subit animum suspicari nec satis opportunum nec satis tutum his patribus visum probandæ Nabuchodonosoris sempiternæ beatitudinis illud Danielis testimonium, augentq; meam suspicionem ea ipsa Sanctorum Patrum testimonia, quorum votis posterior nititur opinio, cui ea non valde suffragantur, si exactius librare, & ad viuum resecare velimus vnum quodq; eorum.

Qua ratione possit satisfieri eorum Patrum testimonijs, quibus fulcitur æterna Nabuchodonosoris salus.

CAP. VI.

VT deinceps à Tertulliani testimonio exordientes facere decreuimus: ex illo enim duntaxat iurè haberi potest, Nabuchodonosorem post susceptam, & completam septem annorum circulo scelerum suorum pœnitentiam à Deo iam sibi propitio restitutum in regna, à quibus septennio fuerat eiectus. Hæc enim vis est illius Tertullianæ sententiæ. *Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesin, sciens præteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit?* quem eundē sensum retinens Tertullianus regis Babylonici historiam clausurus ait, *quem homines perhorrebant Deus recipiebat*, ei rursus pristinum largiens imperium, quamuis mortales, in quos barbarica tyrannide anteà dominabatur, eum denuo regem habere per horrescerent. Idem de D. Paciani sententia esto judicium, quæ enim ex eodem fonte manarunt, eadem pariter ratione euacuentur necesse est.

Tertulliani testimonium pro Nabuch. cuius virtutis sit.

Quæ verò litteris mandauit D. Epiphanius, mira esse Nabuchodonosoris sua crimina detestantis argumenta, & opportuna ad iram diuini numinis demulcendam remedia, quorum vi aspirante Deo peccatorum suorum maculas abstersit, quis inficiabitur? at num ideo in æterna tabernacula receptum Nabuchodonosorem fassus est Epiphanius? cur enim decurso septennæ pœnitentię circulo facilis Nabuchodonosori redditus esse non potuit ad scelera, quemadmodum ex sacris litteris eum fecisse nouimus post agnitum diuinæ omnipotentiæ miraculum, quo Deus tres pueros à flammis illæsos vindicarat. Sed ais haberi oppositum (quod ad quæstionem nostram attinet) ex Epiphanio ita de Nabuchodonosore scribente. *Ex eo igitur tempore nec carnibus vesci, nec vinum potare voluit confitens vsq; Deo*: si enim vsq; Deo cōfitens, hoc est semper in diuinis laudibus rex versabatur, cur illum rursus abreptum in scelerum syrtes suspicari quis poterit?

Abstinentia Nabuchodonosoris ex S. Epiphanio.

Nempe quia aliam esse D. Epiphanij mentem ex ipsa verborum serie clareat; nam cum Epiphanius non modò spatium, sed qualitatem etiam susceptæ regis pœnitentiæ ad posteritatem monimentis mandare vellet, & septennos in luenda pœnitentia annos insumpsisse dixisset, reliquum erat vt exprime-

exprimeret pœnitentiæ genus, & rationem, cui muneri satisfaciens ea verba protulit, quorum hic germanus sensus est. Nabuchodonosor ex eo temporis spatio, quo flagellis à Deo plecti cæpit gnarus læsę maiestatis vsq; ad præfinitum pœnitentiæ diuino iudicio irrogatæ tempus carnibus & vino abstinuit Dei maiestatem colens & laudans. Quod voluisse historiæ Scholasticæ auctorem cognosco ex ijs, quę de Nabuchodonosoris conuersione scripsit, quãuis in multis à cæteris disentiat omnibus putans septenna tempora efferatæ Nabuchodonosoris naturæ in septennos menses commutata, & ad duodecimum vsq; annum illius pœnitentiam perueniſſe, postquam humanę metis iterum compos est effectus.

De Dorothei Tyrrensis testimonio non est cur laboremus, cum anonymũ opus esse illud; ac non magnæ auctoritatis iam pateat.

Cæterum si ad discutiendam Cyrilli Hierosolymitani mentem veniamus, commodè intuebimur, Nabuchodonosorem impetrata patratorum scelerũ venia denuo ad imperij sceptrum Dei miseratione restitutum, vt cæteri patres voluerê, quorum hactenus sumus testimonia prosecuti. Huc enim tẽdunt illa eiusdem verba. *Quid igitur Nabuchodonosori tantis obnoxio sceleribus cum primum confessus est peccata remisit, regnumq; restituit, tibi verò &c.* Quocirca dictiones illæ *flagellatus est, vt seruaretur*, in eandem sententiam accipiendæ sunt, itaut ille sit sensus à Deo punitus est Nabuchodonosor, nõ vt extorris regno periret, sed vt diuinum numen reueritus antiquo regni iure potiretur. Venia scelerum semel Nabucho donosori concessa ex S. Cyrillo.

Fortius prima fronte videtur D. Augustini decretũ, quod cum neq; de corporali, neq; temporali salute Nabuchodonosoris intelligi possit, nonnihil amplius, quàm cæteri Patres pro beatitate huius regis pugnasse videtur. Ait enim; *Hoc erat in oculto iudicio, & misericordia Dei, vt illis regibus eo modo consuleret ad salutem.* At facili negotio Augustini votum neganti sententiæ non aduersari licet intelligere, si cogitemus longe diuersum esse, Deum sæpè miraculis alicui ad æternam salutem consulere; & Deum ijsdem miraculis æternam alicuius salutem finaliter operari. Primum illud, non autem hoc postremum Nabuchodonosori, & Dario regibus oculto Dei cõsilio contigisse docuit Augustinus. Illud enim medium gratiæ efficacis, seu quod in idem reddit, efficacem Dei vocationem, hoc autem felicitatis æternæ acquisitionem significat. Qui illo præuenientis gratiæ beneficio vtuntur diuinæ inspirationi consentientes, ius, & meritum ad beatitatem, quę tamen finaliter certa non est, acquirunt. At qui secundo pollent diuinæ miserationis auxilio felices & beati efficiuntur. Primi auxilij exemplum contemplari licet in Apostolo proditore nequissimo, is enim præuenienti gratia efficaci tactus, & ad Appostolatus fastigium à Christo vocatus lubens obsequitur: at quid hoc erat, nisi quia eo modo Dominus eiusdem saluti opitulabatur, vt tandem obfirmato in fide animo, quod Christus Dei filius esset, inoffenso ad patriam pede curreret additis veris operationibus Apostolicis. At omnium mortalium nequissimus Iudas tandem æterna felicitate ammissa in baratrum cecidit. Postremi oppositum experimentum elucet in Latrone, qui permotus gratia præuenienti & miraculis etiam Cruci affixũ Dei vnigenitum credit, propitium exorat, confitetur, ac potitur æuo beatorum. Adde, si placet, eo loci docere voluisse Augustinum; duplici ratione diuinũ numen consueuisse vti miraculis ad vocandos mortales: altera qua assensurus, altera, qua dissensurus homo cognoscitur: illa cor vitijs efferatum Iudas Proditor diuina gratia potitus, mox rebellat. Diuina miracula non eodẽ sẽper tendunt.

mitescit, & Deo vocanti paret; hac nihilominus efferatur, & diuinæ obnititur vocationi: illud Dei miseratione Nabuchodonosori, & Dario concessum est: hoc Antiocho datum: cæterũ vt in postremo isto nulla potest spes æternæ salutis fulgere. sic in primo illo subsequentibus postmodum peccatis, efficax aliâs diuina vocatio, vltimo fine suo, qui salus animorum est, per sæpè frustratur, quod fortassis in Nabuchodonosore impletum est.

Auctor libri de peccatorum meritis, & remissione, dum fructuosam Nabuchodonosoris pœnitentiam appellat, non fallitur, ei enim secundum præsentem iustitiam opem contulit & ad gaudia beatorum si iugiter in Dei timore perstitisset. & ad terrenas opes, & ad regale solium, ex quo exciderat.

Quis autem æternæ Nabuchodonosoris salutis merito ducat argumentũ ex auctoritate citati libri de pœnitentia Ambrosio iniustè inscripti, cuius verba, si singula pensitentur, non tam liberum voluntatis regis imperium, quàm necessitatem ex inflictis ei à Deo flagellis prouenientem planè redoleant: at in coactis operationibus, quæ etiam sua natura heroicæ sunt, quis meritum agnouit vnquam? Sed esto, liberè, & sponte, & decretis in vniuersitatẽ vndequaq; diffusis, & meritis præconijs Deũ coluerit Nabuchodonosor? haud tamen hinc colligas, cum paradisi portum tenuisse, cum naufragari deinceps in procelloso huius vitæ pelago facilè potuerit.

Nabuchodonosor veri prophetæ vices obiuit.

Ex Theodoreto clarum esse non inficior, Nabuchodonosorem factum diuinæ gratiæ compotem, ac obeuntem vices veri prophetæ laudes decantasse diuinas, ac peccatorum suorum recepisse impunitatem. Verùm si quæ in explananda D. Augustini sententia disseruimus, ad Theodoreti dogmata reuoces, non adhuc sublatum de Nabuchodonosoris salute dubium sine dubio perspicies; duplici enim illa respondendi ratione omnibus Sanctorum Patrum testimonijs in contrarium adductis adeò clare occurritur, vt sartum tectum ab omni perditionis metu esse non possit Nabuchodonosoris salutis negotium.

Lyranus & Carthusianus beatitatis Nabuch. assertores.

Cæterum qui plenam fidem Lyrano, & Dionysio Carthusiano adhibere voluerit, depulso rei obscurissimæ metu inter beatos reponet Nabuchodonosorem; hoc enim hi affirmatè, ac fidenter tradunt. At nos Sanctorum Patrum, & nõ aliorum, quamuis hi præclarissimi sint, vestigijs insistere consueuimus; magisq; placet (si alioqui cætera essent paria) cum vno Hieronymo sentire, quam pluribus alijs recentioribus, nulla ratione S. Hieronymo sanctitate, sapientia, & ingenij subtilitate comparandis, assentiri.

Quod ad rationem pro eadem opinione confectam attinet, dici potest ea, quæ in Danielis Prophetæ vaticinijs vltimo loco de Nabuchodonosore legũtur; non tam regis vitam, & viuendi rationem, quàm historiæ finem respicere; non enim sanctissimi vatis erat institutum, aperire mortalibus, quales vltimo labentis vitæ Nabuchodonosoris tempore mores, & religio fuerint; sed cum patratorum à Deo miraculorum euentus vellet enarrare, solius veritatis studiosissimus, rem, vt acciderat, clausit haud sollicitus de æterno Nabuchodonosoris præmio, aut supplicio: e re enim sancti vatis non erat, Nabuchodonosoris conscribere vitam, quæ in fine non minus bona, & laudabilis, quàm praua, & detestabilis esse poterat. Ex quo patet discrimen allati exempli de quæstionibus Salomonis, & Nabuchodonosoris; illius enim salutem, ni idola coluisset, nemo in dubium vocare meritò poterat, cum à Patre Dauide, si originem, & iuuentutis incrementa spectes, in Diuino timore omni conatu fuisset educatus, & postmodum mortuo genitore Deo ipsi cha-

fas,

rus fuerit, vt ex sacris litteris patet. Quare si de patrati sceleris pœnitentia ex sacro eloquio veritas illucesceret, Salomonem rursus sectatú post peccata laudabilem, & Deo gratam vitæ traducendæ rationem iure merito cogeremur arbitrari, atq; impletas in Salomone diuinas promissiones de æterno domicilio Dauidi, & semini eius concedendo, (quæ in diuinis litteris passim obuiam sunt) nemo non posset affirmare: at quis hæc priuilegia Nabuchodonosori tribuat, in quem tot Esaiæ vaticinia ceu contortæ sagittę diriguntur, quemque ex semine nequam, & penitus aboledo ortum tactus afflatu diuino idem vates cecinit?

Præterea, quid si nec ea ipsa prophetiæ Danielis verba, quorum si corticē inspiciamus, præclarissima, & vnici Dei cultore digna videntur, non sanam de diuina maiestate, bonitate, & iustitia sententiam Nabuchodonosoris in se claudunt? Contemplare obsecro, quid super his verbis. *Iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli, quam in habitatoribus terræ*, prodiderit Hieronymus de Nabuchodonosore loquens. *Et hoc loquitur quasi homo seculi. Non enim quod vult hoc facit, sed hoc bonum est, quod vult Deus. Nabuchodonosor autem sic locutus est, vt dum potentiam Dei prædicat, iustitiam eius videatur arguere, quòd immerito pœnas sustinuerit*, quo quid peius, aut execrabilius contra diuinam maiestatem non modo affirmari, sed ne excogitari quidem potuit? O præclaram nequissimi regis pœnitentiam, cuius tituli, & verborum cortices laudes diuinas continent, medulla blasphemiā, & contumelias. Ac ne forte de B. Hieronymi opinione dubites, qua firmissime censuit litteras ad Dei laudem vniuersis penè mundi populis à Nabuchodonosore exaratas, nihil ei profuisse ad consummatæ felicitatis possessionem, cum de Dario agetur, proferam illius testimonium, quo ex sententia Hieronymi facilè constabit, nec beatitatem à Nabuchodonosore promeritam, quamuis de Deo & magnificè scriberet, & loqueretur; nec Deū ipsum ea edidisse miracula, vt ad pœnitentiam miserum regē inuitaret, alia enim, longeq. diuersa diuini fuisse numinis consilia non tacuit B. Hieronymus. Hoc si, D. Hieronymo auctore, in animum suum quis altius defigat, non solum adducta sub initium huius quęstionis ex Daniele testimonia, quæ pro Nabuchodonosoris felicitate militare videntur, eam iuuant, sed penitus demoliuntur, dignumq; esse Nabuchodonosorem gehennæ incendio satis apertè conuincunt. Nec consuetudo Danielis, eiusq; salutifera consilia regi profuerē, cum diris adeo pœnis multatus diuinam maiestatem, eiusque iustitiam carpere non destiterit.

Danielis 4.

In Comm. super eodem Danielis loco.

Illustra-

Illustratus D. Ioannis Chrysostomi de Nabuchodonosore locus: mox addita Explanatio illius Esaiæ vaticinij, quo æterna Nabuchodonosoris infelicitas describitur.

CAP. VII.

CEterùm si posteriorem sententiam velimus amplecti, quæ & mitior, & tot patribus, mihiq; etiam gratior videtur, imprimenda deinceps erunt vestigia, quibus ad solutionem eorum, quę in oppositũ sunt addncta, tutò pateat accessus. Et in primis cum D. Cyrillo Alexandrino huic sententiæ aduersari S. Hieronymum patiamur opus est; nec hallucinabimur idem de D. Chrysostomo opinari, qui etsi in ea consolatoria epistola, quę ad Olympiadem Diaconissam tertia est, decernat à Deo tributam Nabuchodonosori mercedem, propterea quod diuinas celebrandi laudes, quæ in Deniele leguntur, euangelico munere functus sit: haud tamen putamus id de æterno præmio esse accipiẽdum, vt mox patefiet. Chrysostomi verba sunt. *Babylonius ille Nabuchodonosor in sceptris, & diademate viuens euangelico quondam munere functus est. Etenim post coniectos in fornacẽ adolescentes, ac miraculum illud editum, hoc muneris suscepit, vt vniuerso orbi concionatorem se præberet, non per linguam duntaxat, sed etiã per litteras in omnes terræ partes adhunc modum scriptas;* & statim mirum illud veri Dei subtexens præconium, quod Danielis quarto Nabuchodonosor suis litteris contexuit, postquam peractum in Babylonica fornace miraculum viderat. *Vides ait minas in litteris? Vides terrorem? Vides sublimen prædicationem, & litteras quoquouersum diffusas? Quid igitur dic mihi? parem ne Apostolis mercedẽ consequetur, quoniam Dei potentiam ita prædicauit, tantumq; studij, & diligentiæ adhibuit, vt hanc doctrinam toto orbe nunciaret? Certe ne decimam quidẽ partem, verùm infinitis partibus inferiorem. Atqui eodem, quo illi munere functus est. Sit ita. Sed quia nullus hic labor, nec vllius mali perpessio adiuncta est, idcirco merces succiditur. Hic enim pro potestate, ac sine vllo periculo, & metu hoc agebat, illi autem cum prohiberentur &c. Itaq; pro his laboribus, ac præsertim pro mærore amplior eis merces est persoluta.* Hactenus ille, cuius exemplũ, si rigidè expendatur primo obtutu æterna mercede potitum Nabuchodonosorem subindicat, imò verius ostendit, si cogitemus velle Chrysostomum à Deo persolutum iri & Apostolis, & Nabuchodonosori diuinæ prædicationis premium non in qualitate, sed in sola quantitate discretum; illorum enim merces infinitis partibus amplior, abundantior, cõmulatiorque Nabuchodonosoris mercede erit: at cum merces Apostolis persoluta merces fuerit æterna, vtique & Nabuchodonori æterna erit, quan quã infinitis partibus minor, non enim plus, aut minus rerum species variare possunt.

Ex S. Chrysostomo Nabuchod. munere Euangelico functus.

Quæ merces Apostolis & quæ Nabuchodonosori reddita.

Verùm

Verùm quia ex adductis antea locis de desperata Nabuchodonosoris salute Chrysostomi iudicium cognouimus, ac agnouimus etiam in sermone contra disperationem, & superbiam ab eodem habito, ne pugnantia dixisse videatur, (quod turpe fuerit opinari) scire conuenit, Chrysostomum eo loci ad demulcendum illius Diaconissæ mærorem ingenij sui vires in eo exercuisse, vt doceret rem adeo vtilem esse cum mali perpessione præclari aliquid operari, vt nulla ratione in præmio, & mercede is, qui nulla molestia virtutum actus operatur, sit ei conferendus, qui vndiq; agitatus malis, in eadem se se virtutis operatione exercet. Cæterũ extra limites suscepti muneris erat quærere, aut docere: num eiusdem, an diuersi ordinis, & generis vtrisq; debeatur præmium. Sat enim illius erat proposito persuadere, diuersissimam vtrosq; mercedem manere, quod apposité egit in allato simili: mercede enim æterna à Deo donati sunt Apostoli; temporanea autem Nabuchodonosor, qui ad ius regni, ex quo exciderat, Dei voluntate rursum restitutus est.

Hanc verò sincerã esse Chrysostomi mẽtem quis non colligat ex eo, quòd, infinitis partibus ampliorem futuram Apostolorum mercedem Nabuchodonosoris mercede asserat: solum enim ęternæ felicitatis pręmium iure merito infinitis partibus omnes terrenas mercedes excellit. Quare illæ Chrysostomi dictiones, *merces succiditur, & amplior eis merces est persoluta*, in re præsenti in qua cætera non sunt paria (quæ enim inter Apostolos, & Nabuchodonosorem similitudo, prædicatione illa excepta, esse potuit) non solum quantitatis, sed etiam qualitatis, generis, & ordinis discrimen notant, non enim nuda verborum cortex, sed sententiarum scopus, & finis cordi erant Chrysostomo, nec subtilitate philosophica, sed Ecclesiastico stylo rem exequebatur mulierem alloquens.

Grauior est difficultas ex decimo quarto capite Esaiæ petita, quæ iuxta litteralem sacræ scripturæ sensum de rege Babylonio planè intelligenda est, quamuis Origenes, Eusebius Cæsariensis, & alij, nescio qua ratione ducti, de Lucifero eam iuxta historicam narrationem esse accipiendam velint. Verùm difficultas omnis varijs, ac diuersis respondendi rationibus e medio facilè tollitur. Et principio placet cum Lyrano affirmare Esaiæ vaticiniũ de Balthasare Nabuchodonosoris filio esse accipiendum: cur enim solũ Nabuchodonosorem intelligas, cum regis nomen diuinus vates silentio pressserit, ac eam prophetici sermonis partem non in patre, sed in filio adamussim impletam constet? Balthasare enim regnante, & Cyro, & Dario oppugnantibus Babylonis excidium, quod magnis vocibus comminabatur Esaias, accidit: ac ille ipse Balthasar infinitis pene sceleribus squalens, crudeliq; nece obtruncatus recta ad infernalem specum properauit.

De Balthasare, non autem de Nabuch. vaticinium Lyranus interpretatus.

Subinde esto, de Nabuchodonosore intelligatur, cur is tetro Dæmonum carceri mancipãdus? grata siquidem, & opportuna glossæ interlinearis mihi videtur interpretatio, quæ docet detractam esse Nabuchodonosoris superbiam ad infernum, hoc est in extremam miseriam, & infelicitatem, itaut sensus sit; quo casu, aut quo fato ò Nabuchodonosor, qui omnium regum felicissimus, & potentissimus eras, quiq; diuinos tibi vindicabas honores in extremam lapsus es miseriam, & calamitatem, quam diuinus vates euidentissima descriptione digessit? Glossæ interlineari fauet vsitatus loquendi modus, quo omnibus fortunæ bonis affluentes elatos in cælum; & e regione afflictos miserijs, & calamitatibus ad infernum depressos dicimus.

Post-

Postmodum, quæ ab Esaia dicuntur in Nabuchodonosorem militant id temporis respiciendo, quo in Deum ipsum cōtumeliosus meruit, vt bestias imitaretur; ac proinde secundū præsentem illius status iustitiam, cū adhuc impœnitens esset, haud dubiè erat æterno igni obnoxius,& ad infernum diuina sententia detrahendus. Ad hæc cum Nabuchodonosor ante susceptam pœnitentiam esset Luciferi membrum,ob connexioné membri ad caput,quæ capiti conueniūt sacra scriptura membro adscribit: vt enim de cęlo nō Rex Babylonius,sed Lucifer cum grege suo re ipsa cecidit,sic in tartarum nō Nabuchodonosor, sed ille ipse Dæmon corruit, quamuis sacræ litteræ id Nabuchodonosori tribuant, quod Lucifer merito luit.

Sacræ litteræ, quæ capiti conueniunt, aliquā do mēbris tribuunt.

Quàm verò frigeat in oppositum confecta argumentatio vel hinc patet, quod clarissimis exemplis possumus periclitari, multa figuræ conuenire,quæ figurato tribui nequeunt,& è conuerso. An non etiam Sampson,& Salomon, vt de cæteris alijs sileam,à SS. Patribus Saluatoris figura passim appellātur? numquid igitur Christo,qui ob diuinā hypostasim erat impeccabilis, idololatria Salomonis, aut Sampsonis libido (quod etiā scribere respuit animus) obijcienda? Ad extremum, quod ante nos Lyranus, & alij annotauerē, tutior, omnibusq; ferme expedita tricis solutio fuerit, si dicamus ea omnia de Nabuchodonosore, & de specu infernali intelligenda esse non secundum præscientiam prædestinationis,quæ vt nullo modo falli potest, sic plane suū sortitur effectum,quemadmodum etiam vera prophetia: sed esse intelligenda secundum diuinæ comminationis sententiam,quæ ad mutationem,& varietatem eius,cui fit, mutari consueuit,vt in Niniue patet, quæ quadraginta dierum spatio erat subuertenda, Iona prædicente excidium,& Ezechia, cui diuina sententia mors oppetenda erat iuxta Esaię prophetæ sermonem: & tamen agentibus pœnitentiam Niniuitis, vrbi, & acolis Deus pepercit, & commutato rerum ordine conualuit Ezechias: Sic pari ratione postquam abiecta fastus,& insolentiæ temeritate resipuit,rebusq. prospicere humanis, ac regibus ipsis imperare diuinum numē sensit suo periculo, tracta illius superbia, & in melius commutata voluntate, ita diuinæ comminationis exigente sententia è Orci faucibus euasit Nabuchodonosor.

Sententia diuinæ prædestinationis pallium potest.

Nabuchodonosoris transformatio neq; fabulosa neq; diabolica neq; naturalis censenda.

CAP. VIII.

Danielis 4. Vers. 13. & 31.

HAec sacri eloquij verba de Nabuchodonosore prolata. *Cor eius ab humano cōmutetur, & cor feræ detur ei, fænum sicut bos comedet,* & rursus, *sensus meus redditus est mihi, & figura mea reuersa est ad me;* quæ regi Nabuchodonosori contigisse vidimus; nos inuitant ad discussionem non iniucundæ quæstionis. Qualis scilicet fuerit Nabuchodonosoris transformatio, quam sacra Danielis narrat historia, quam q. ipse nō multis præteruolabo lectorem ante omnia admonens, fabulosam non fuisse hāc Nabuchodonosoris transformationem,qualem memorāt poetę de Cir-

Transformatio Nabuchod. non fuit fabulosa.

ce magicis addicta artibus, quam ferunt Vlyssis socios in varias animantũ formas transtulisse, ac rursus qualem putant eam fuisse, qua Diomedis comites in aues versi sunt. Qua de re legendus est S. Augustinus, qui cum hunc titulum capiti iniecisset. *De incredibilibus hominum cõmutationibus quid Varro credidisset*, hæc postmodum solita subtilitate, & eruditione subiecit de Arcadibus loquens. *Qui forte ducti transnabant quoddam stagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cũ similibus feris per illius regionis deserta viuebant. Si verò carne non vescerentur humana rursus post nouem annos eodem renatato stagno reformabantur in homines. Deniq; etiam nominatim expressit quendam Dæmenetum cum gustasset de sacrificio, quod Arcades imolato puero Deo suo Lyceo facere solerent, in lupum fuisse mutatum, & anno decimo in figuram propriam restitutum.* Hæc ille, qui exquisito ingenij sui acumine docet, qua ratione hæc fieri potuerint. De Ciuitate Dei lib. 18. cap. 17.

Sed quid Poetarum figmentis, & gẽtilium superstitionibus cum sacris litteris, quæ è diuino haustu fluxerunt, coummune esse potest? Ludant hi, & figmentis figmenta addentes in sua se arte exerceant, amicumq; habere Apuleium, & cæteros eius farinæ viros non detrectent: at vbi ad explanandã sacri eloquij veritatem confugitur, cum Latinæ poeseos principe clamemus, *procul hinc procul este profani*. Cæterum, qui fabulis similia, quàm vero, & quæ in admirationem nonnullos rapiunt, cognoscere auet, consulat Olauum Magnum Gothum, qui extremis tribus capitibus libri decimi octaui portentosis narrationibus permulta exequitur. Olaus Magnus multa de portentis.

Nos eodem plane ducti fundamento diabolicam hinc omnem transmutationem reijcimus, quam solitis præstigijs dæmones moliuntur, siue mortalium sensus illudentes fallant, siue aeris densitate, & raritate ab Dæmonibus procurata quæ sub sensus cadunt alia esse ostendant, quàm re vera sint, siue Angelica celeritate, & vt ita dicam, dexteritate, qua pollent, commutent ea, quæ debent videri, aliò transferant, variẽt ac noua, nec amplius visa comportent, siue sagarum suarum veneficijs portentosa operentur, qualia olim meminit Augustinus a mulierculis patrata Dæmonum fœdere astrictis, cum inquit. *Nam & nos cũ essemus in Italia audiebamus talia de quadam regione illarum partium, vbi stabularias mulieres imbutas his malis artibus, in caseo dare solere dicebant, quibus vellent, seu possent viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur & necessaria quæq; portarent, postquam perfuncta opera iterũ ad se redirent; nec tamen mentem fieri bestialem, sed rationalem, humanamq; seruari, sicut Apuleius in libris, quos Asini aurei titulo inscripsit sibi ipsi accidisse, vt accepto veneno humano animo permanente Asinus fieret, aut indicauit, aut finxit.* Non fuit Diabolica Nabuch. mutatio. Citato loco.

Verùm Dæmoni, quamuis sit nequissimus diuinitatis æmulator, solitis vti fallacijs iusso Dei consilio non datur in re, cuius miraculosus euentus ad cõfirmandum fidei nostræ decretum à Deo dirigitur, vt in præsenti negotio contigit.

Ex simili radice aliud transformationis genus, quod naturale merito dici potest, in Nabuchodonosore excludimus, qui cum diuina animaduersione puniretur, solis naturæ viribus, quam passus est trãsformationem adscribere par non est. Ad huius transformationis genus spectare arbitramur, quæ olim meminit Plinius libro 7. cap. 4. de fœminis, quæ virilem sexum postea sunt natæ, & nostro hoc æuo accuratus scriptor Martinus Delrius in opere, cui titulum donauit, De disquisitionibus magicis, latissimè disputat Naturalis trãsformationis exempla.

M locu-

locupletissimos testes excitans ad firmandam rei non vulgaris fidem. Nō me præterit conijcere alios in hanc classem terrestrem bestiolam cani similem, quæ sæpius pelagi vndas secans sensim de perdita pristinæ naturæ forma, piscium naturam sortiatur. Sed hac de rē sine dubio mirabili penes auctorem fides sit, nihil enim huiusmodi in orbe hoc nostro legi ab alijs obseruatum.

Litteræ ex Iagonicis insulis.

An Nabuchodonosor diuino iudicio belluinam formam induerit.

CAP. VIIII.

Reliquum est igitur, vt dicamus, diuinam hanc fuisse Nabuchodonosoris transformationem. Cæterum quia cælesti virtute factas rerū immutationes varias animaduertere licet ex sacris litteris: ex primi enim parentis osse mortalium omnium matrem Euam formauit Deus, & Loth coniugem transtulit in statuam salis: in Aegypto aquæ in sanguinem versæ: in Cana Galileæ linpha generosi falerni naturam nacta est, & tandem cęteris relictis, in augustissimo altaris Sacramento panis, & vini substantiam in corpus, & sanguinē suum Christus Dominus transsubstantiauit; explicemus deinceps necesse est: an vna ex allatis, an vni illorum saltem affinis fuerit hæc transmutatio de qua quæstio oritur.

Diuinæ immutatio[nes] [illegible] generis.

D. Cyrillus Hierosolimitanus talem agnoscere videtur in Nabuchodonosore mutationem, qualem in allatis exemplis recensuimus, dum ait. *In bestiam transformatus est, Leoninos habebat vngues, raptor enim sanctorum fuerat: crines quoq; Leonum habebat; Leo enim rapax erat, & rugiens, fænum tanquam bos comedebat, pecus enim fuit &c* quæ satis indicant, tributam Nabuchodonosori bestiæ naturam diuina vindicta.

Ca[tech]esi 2.

S. Epiphanius non mente, & animo, sed corporea duntaxat mole, & figura in bestiam commutatum regem opinatur de Daniele, qui pro Nabuchodonosore supplex erat Deo, ita loquens. *Plurimas fudit preces pro rege Nabuchodonosor cum factus esset bestia, atq; iumētum, ne perderetur, præferebat enim anteriore parte pariter, & capite bouem, pedibus verò posterioribus Leonem*, & post non multa docet Nabuchodonosorem in corde suo humanum sensum retinuisse.

De vita, & interitu Prophetarum.

Trāsijt in eādem opinionem auctor Synopsis falsò inscriptus Dorotheus. Sed ne horum Patrum dictis assentiar, rei facit incredibilis euentus, nec hactenus diuinæ virtuti familiaris, nec cuiquam sapienti probabilis, nō solùm quòd immortalis hominis animus mortalem bruti figuram plane respuat, verum etiam quòd non opus sit tali transformatione ad saluandam sacræ scripturæ veritatem, quæ huius rei meminit: non enim tam inclytum diuinæ virtutis miraculum, D. Augustino auctore, concedendum est, vbi rei necessitas nō postulat, si commodè sacræ litteræ explicari alia ratione queant; vt in re præsenti fieri potest. Quamquam si enucleatius adductorum Sanctorum Patrum vota velimus perscrutari, ea non veram Nabuchodonoso-

ris in brutum, sed similitudinariam duntaxat, & multis in rebus brutis affinẽ commutationem ingerant, ad eam fermè rationem, qua D. Gregorius Magnus versum in irrationale animal Nabuchodonosorem scripsit, propterea quod sensus, quo à brutis homo discrepat, iacturam fecisset. *Hinc est enim,* ait Gregorius, *quod rex Babylonius dum elata mente apud se tacitus volueret dicens, non ne hæc est Babylon, quam ædificaui? in irrationale animal protinus versus est. Quod enim factus fuerat perdidit, quia humiliter noluit dissimulare, quod fecit. Et quia elatione cogitationis se super hominem extulit, ipsum quem communem cum hominibus habuit sensum hominis amisit.*

Lib. 5. mora-lium cap. 8.

Qua ratione versus est in brutũ Nabuch. ex D. Gregorio Mag.

Non absimili modo, quia more ferarum in solitudine tot annorũ circulis bestia: quia sacra vasa ab Hierosolymitano templo per summum nefas rapuerat, Leoninos habuisse vngues: quia bellicis strepitibus, & rapinis magnã orbis partem impleuerat Leoninis crinibus abundasse: & quia Deo sibi donatam amplissimi imperij dignitatem cognoscere noluerat bos, & peccus à B. Cyrillo Hierosolymitano dictus est. Cæterũ si verba iuxta nudã corticẽ, & exteriorem sonum malueris interpretari contentionis amans, eodem verborum iure non absimilem Chimeræ euasisse Nabuchodonosorem fatearis opus est: quippe quem bestiæ, leonis, bouis, & pecudis partes dicatur habuisse. Ergo belluinam naturam indutum regem ex Cyrilli sententia opinabimur? Eadem etiam militãt in ea, quæ S. Epiphanius, & alij scripta reliquerê, nullus enim eorum hoc attigit vnquam.

Sed ais, illud ab Patribus iure omissum, quod diuinus sermo nimis clarè id tradat vocibus illis, *& figura mea reuersa est ad me.* Probè quidem: at sanioris mẽtis redditus, & imperij dignitas cur non eodẽ pacto fuissent omittẽda, cũ vtriusq; mentionẽ faciat beati Danielis historia? Subinde quo in sensu intelligenda sit sentẽtia illa, & figura mea &c. mox patebit. Præterea idem ex appositis in testimonio vocibus conijcere licet; quid enim, obsecro, significant illa, *praeferebat enim anteriore parte bouem, & posteriori leonem,* quàm Nabuchodonosorem non re, non effectu, sed specie, & similitudine quadam ducta ex vnguibus & capillis, quæ in morem ferarum excreuerant, bestiam prætulisse, hoc est reprehesentasse, vt anteà tradidderant Tertullianus, eam, quam nos volumus, Nabuchodonosori cõmutationem accensens dum ait. *Diu enim pœnitentiam Deo immolarat septenni squalore ex omologesin operatus vnguiũ aquilinum in morem efferatione, & capilli incuria horrorem leoninũ præferente,* & D. Pacianus. *Leonum in eoinba, impexa cæsaries, & barbarus horror exuperat, & longe incuruis vnguibus manus horrẽtes aquilas mentiũtur;* id quod etiam à Theodoreto scriptis consignatum est. *Squalens enim situ, vt par erat, & sordescens detunsus, abiectisq. vngium excrementis, sordibus ablutis diuinæ gratiæ compos factus agnouit se illum esse hominem,* quo testimonio edocet situm fuisse Nabuchodonosoris mutationem in excrementis, & sordibus, quibus bestias imitabatur, ad quam sententiam se applicans Lyranus super illis verbis, *fœnum, quasi bos comedet,* ait. *Ex hoc patet quod non fuit mutatus in bouem, vt dicit Ioseph,* (quamuis istud adhuc quærant studiosi in Iosephi operibus) *quia non dicitur hîc bos, sed quasi bos simili modo viuendo.* Hanc autem esse manifestam D. Hieronymi sententiam fidem astruunt quæ in cap. 5. Danielis scripta reliquit. *Quando autem dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem.*

Danielis 4.

De Pœnitentia cap. vltimo.

Com. in cap. 5. Danielis.

In cap. 4. Danielis.

Quid de Nabuchodonosoris transformatione censendum.

CAP. X.

VErùm enim vero, quia diuina vi, & ordinatione hanc transformationem, qua brutum videbatur, passus est Nabuchodonosor, rursus in quo illa steterit inuestigare opus est.

Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7. censet non receptam hanc in regis corpore, sed in obtutu videntium mutationem. At Deum immutasse eorum, qui regem intuebantur, sensus, vt bestiam eum putarent, immerito opinatur, cum simulatione, & figmentis opera diuina careant.

In Danielem cap. 5. Theodoretus a rege natam hanc transformationem arbitratur, quem mẽtis nubilo percussum, & alium è cœli iniurijs fortitum colorem memorat. *Proprium enim est*, inquit, *discipientium non solùm dicere & facere ea, quæ ratione, & ordine carent, sed omnia etiam in quæcunque inciderint comedere, quod cerni etiam nunc potest in ijs, qui à Dæmonibus vexantur, talia enim & faciunt, & patiuntur. Neq; solùm vt bos comedit fænum, verum sub diuo exim fatigatus nudoq; corpore cum gelu, & æstu conflictans necessario alium colorem accepit.* quo brutum præterebat. Persimilem habet sententiam Lyranus dum ait,

In glossa. *quia fuit tonsus, & vestitus, & sic quodammodo in figura mutatus*; sic ille, qui aliam adducit huius mutationis rationem, quam collocat non in corporis perpessione, sed in æstimatione regis phanatico furore decepti & se bestiã esse putantis. *Vel intelligendum hoc secundum æstimationem quam habebat in furia, quia tũc sibi videbatur, quod esset bestia.* Ita Lyranus haud dubie Angelici Doctoris mutuatus decretum, quo lib. 2. de regimine principum cap. vltimo censuit nec re, nec aliorum æstimatione, sed opinione duntaxat sua tasum regem dum se brutum esse arbitrabatur vitio imaginationis, quæ fuerat deprauata. Quamuis vtroque vetustate superior scholasticæ historiæ magister idem prodidisset inquiens. *Et videbatur ei, quod bos esset in anterioribus, & in posterioribus leo.*

Nabuchod sua duntaxat æstimatione sibi brutum videbatur.

Commentarijs in cap. 4. Danielis.

Non prætermittam hoc loco quæ in huius difficultatis explanationem clarissimis verbis Rupertus Abbas disputat lib. 6. de victoria verbi Dei cap. 29. *Quæri solet, vtrum mentem solam, non autem figuram amiserit Nabuchodonosor, & ita quidem maiores nostri asserunt, nam cum ipse dicat sensum sibi fuisse redditum, satis ostendit, non formam se amisisse, sed mentem. Verum illud obstare & repugnare videtur, quod idẽ ipse postea dixit, & figura mea reuersa est ad me: quibus verbis profectò datur intelligi, quod de figura & status humani rectitudine nonnihil amiserit, & quod etiam si manuum, ac pedum effigies, digitorumque discretio, & numerus permanserit, nihilominus tamen quadrupes incesserit, dictum enim ei est, fænum quasi bos comedes. Bos enim quadrupes nullis vtitur manibus, sed pronus humi fænum dente demetit, & os per terram trahendo comedit. Sed & illud quod ei dictum est, cum feris, atq; bestijs erit habitatio tua, figuram*

guram eius nonnulla ex parte demutatam fuisse probat, non enim bestiæ facilè sociarentur illi sine aliqua sui similitudine. Veruntamen quomodocũq; figura eius se habuerit, hoc in laudem omnipotentis Dei admirandum est, qui regem tam potentem tanta mutatione demutauit, quanta quempiam hominum fuiße demutatum sacra scriptura nusquam meminit, excepta vxore Loth, quæ respiciens post se versa est in statuam salis.

Et hæc sunt, quæ de Nabuchodonosoris transformatione ab alijs prodita reperio, quorum auxilijs facilis mihi labor erit effari quid sentiam. Nam quod ad interiorem hominis habitum spectat cum Theodoreto arbitror, Nabuchodonosorem fuisse emotæ mẽtis, ac velut hominem phrenesi agitatum, spoliatumq; rationis vsu eas edidisse operationes, quę non humanæ, sed ferinæ videntur. Tùm (quod Angelicus Doctor voluit) reor tot malis oppressum Nabuchodonosorẽ fuisse, vt vitio offensę imaginatiuæ virtutis se ipsum intuens non hominem, sed brutum se esse opinaretur, quod mẽte captis contingere sæpius vel experientia teste constat.

Quod si de exteriori habitu, & corpore loquamur, puto septem annorum circulo corpus regis tot cæli iniurijs obiectum in alium a colore naturali degenerasse colorem feris similem, ac propterea iugi cælorum influxu, mutua frigoris, & caloris vicissitudine, & aeris vi, nec non diuina etiam operãte vindicta, sic illius corporis mutatũ temperamentum, & efferatum, vt vix à bestiali tẽperamento distaret. Assentiri subinde placet B. Anselmo, non erecto, elatoq; vultu, sed prono, & curuo corpore more quadrupedum incessisse, immitatumq; Nabuchodonosorem modum depascendi bouis, vt lingua terram lambens o dente herbas carperet.

Censeo preterea, quod Tertullianus, & D. Pacianus scripserunt, vngues septennio numquàm detonsas, & capillos eodem temporis tractu succrescẽtes adeo magnum nactos esse incrementum, vt illis aquilas, his verò leonem mentiretur; ex qua similitudine fiebat, vt feræ decepta simul degere cum Nabuchodonosore non reformidarent. Sed quid plura? decor, sanitas, aspectus, humana vox, vsus membrorum, & quidquid venustatis in humano corpore natura finxit in rege deperierunt ea tamen conditione, vt immota manente, ac perseuerante vera hominis natura tot narrata supplicia diuino pertulerit iuditio rex superbissimus.

DE DARIO.

An Darius Rex, qui Daniele Propheta vsus est familiarissime, miserrimo damnatorum carceri mancipandus.

CAP. XI.

ETsi inter omnes cùm profanæ, tùm sacræ litteraturæ scriptores plenissimè constet, Darium regem, nec dum abrogato Chaldęorũ imperio fuisse cultorem idolorum, ac quod inde sit necessario consequens, diuino numini infensum: attamen is sacrilegum cultum cōstanter repudiasse visus est, cum Danielis Prophetæ vocibus, scientia, & pręceptis instructus vnum verum Iudaici populi Deum, ac totius mundi dominum coluit, editisq; epistolis, vt ab omnibus populis, qui suo subdebantur

Danielis 6.

imperio, sanctè & hoc seruaretur, sanxit his verbis. *Tum Darius Rex scripsit vniuersis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra. Pax vobis multiplicetur. A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis. Ipse enim est Deus viuens, & æternus in secula, & regnum eius non dissipabitur & potestas eius vsq; in æternum. Ipse liberator est, atq; Saluator faciens signa, & miracula in cælo, & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum.* Cuius decreti sententia ex Theodoreto

In commentarijs super cap. 6. Danielis.

huiusmodi est. Volo omnes homines, qui sub mea potestate degunt, Deum Danielis adorare, neq; temerè, ac fortuitò, sed cum metu, & horrore ei adorationis cultum impendere. Eiusmodi est enim, qui perpetuus, ac nulli mutationi obnoxius, & semper eodem modo se habet, & in secula permanet. O præclaram Darij regis de diuina maiestate sententiam, ò sanam e theologicis haustam fontibus scientiam, qua breui verborum circuitu præcipuam catholicæ veritatis summam complexus est.

Nec sapiens, reor, ambiget, Darium ab ea veri numinis religione, & cultu abhorruisse, quem ille cæteris omnibus inuiolate custodiendum indixerat. Quare cũ in Dario nō desideraretur Dei cognitio, nec eiusdem numinis religio sacra, quid ei defuit ad æternam felicitatem, cum eodem Theodoreto teste mutuum in illo fuerit sciētiæ, religionis & morum probitatis vinculum? Theodoreti verba sunt. *Videtur Darius probus quidem fuisse, & moribus æquus, potiusq; pietatis studiosus.* Quid an non idem rex in audacia custodiens regij vatis canentis *bonum esse confidere in Domino*, Danielem leoni-

Danielis 6.

bus non sponte, sed coactè obiecit illo sum tore amicum certa spe communi-

tus.

eus. *Deus tuus, quem colis semper ipse te liberabit.* Ad quem locum ita loquitur Theodoretus. *Etiam diuina virtute fretus, ac suspectas habens accusatorum insidias lapide obsepit ostium lacus, & annuli effigie imponit sigilla, ne quē illi contra Danielem dolum machinarentur, confidebat enim fore, vt Deus nō permitteret sacrosanctum Danielis corpus à leonibus lædi.*

Quin immò, vt glossa interlinearis annotauit, de diuina prouidētia certissimus rex annulo suo obsignauit ostium laci leonum, vt sublata omni de hominum dolis & machinationibus dubitatione, quæ non obsignato ostio oriri poterat, hinc Dei miraculum magis clarum, admirabileq; magis euaderet. *Ne quid suspicionis,* ait glossa, *contra eos habere videretur, & quasi non confides de Dei potentia pro amico aliquid machinaretur, vt clarius eluceat virtus liberantis.* Fiducia Darij in Deum pro Daniele.

Hoc ipsum more suo disertè, ac piè tractans Hieronymus in cap. 6. Danielis Prophetæ ait. *Cedit multitudini, & consentientibus aduersarijs mortem amici non audet negare, quodq; ipse optinere nō potuit, Dei tradit potentiæ. Nec ambigue loquitur, vt dicat, si poterit liberare te, sed audacter, & confidenter. Deus, inquit, tuus quem colis semper ipse te liberabit.* Cuius certæ spei regis assignans radicem statim subdit. *Audierat enim tres pueros (qui inferioris à Daniele gradus erant) flammas vicisse babylonicas, & Danieli multa mysteria reuelata, vnde & diligebat eum, hominemq; captiuum habebat in honore maximo.* At si eximium honorem, & gratiam Danieli reddebat Darius, qui fieri potuit, vt is, suadente, & docente propheta, veri Dei cultum intimis animi sēsibus non complecteretur, cum diuini numinis stimulante gloria totus esset in propaganda diuinę maiestatis reuerentia diuinus vates? quo auctore Bel inanis Babylonicæ stultitię Deus contritus est. Cęterum laudabilem Darij operationem recolens Augustinus, eā in diuinum cessisse honorem, Deoq; ipsi deseruisse epistola quinquagesima testatur. Sicut seruiuit Deo Darius idolum frangendo, in potestatem Danieli dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Quid? e felici beatorum numero futurum hunc regem expressit non obscuro testimonio idem Augustinus, qui ad Victorinum scribens docet, arcano Dei consilio editum coram rege insigne illud miraculum, quo Danielem e rabidis leonum faucibus liberauit, vt hac ratione ad ęternę felicitatis metam tutius perueniret Darius. Cur Darius tantopere coluerit Danielem. Epist. 111.

Cęterum non me preterit, eum, qui adducta hactenus secum ipse meditabitur, facilè animaduersurum, non tanti ea esse roboris, vt euincant, Dariū regem à Deo donatum ęuo sempiterno, qui etsi multitudine miraculorum, & inclyta Danielis probitate & cognitione coactus verum Deum viuentem, & omnipotentem esse senserit eum, quem Hæbreorum gens venerabatur, idque testatus sit litteris illis, quarū exemplar cartulis nostris inseruimus: attamen nullus Sanctorum Patrum, nullus secularis scientiæ studiosus (quod ego sciam) in ea opinione fuit, vt arbitraretur, Darium veri Dei notitia pollentem aspernatum inanes gentilium Deos, quorum sacrificijs, & ritibus oblectabatur, vt ex sacro codice patet.

Quid? ille ipse B. Theodoretus, qui votis suis Darij probitatem, & præclara gesta commendauit, non solum in classem beatorum regem non cooptat, sed nec etiā inter veros sanæ fidei cultores reponit, licet fateatur, quæ ex ipso supra attulimus. Legat qui velit luculentissima, & omnibus absoluta numeris illius in Danielem commentaria, & ne leui quidem suspicione hoc attigisse Theodoretum comperiet. Multo minus de D. Hieronymo id Contraria argumēta dissoluuntur.

suspi-

suspicari licet, quippe qui Darij epistolam ad suo subiectos imperio transmissam de immensa maiestate, & Dei Danielis omnipotentia ponderans hoc vnum in ea latitare mysterium docet, quod ore illius intelligat lector. *Sicut Nabuchodonosor scribentem linguis, & gentibus quidam interpretatus est in contrarias fortitudines, ita, & Darium interpretatur, quod omnes ad pœnitentiam prouocet. Et quærit vtrum hoc in isto mundo futurum sit, an in altero, vel certe post alios mundos. Quæ nos pro delyramẽtis, & cassis ducentes fabulis hoc solum dicimus, ideo signa fieri per seruos Dei apud barbaras nationes, vt vnius Dei cultus, & religio prædicetur.* Ecce manifestum Hieronymianæ mentis cõsilium, quo censet non modo Darium æternam salutem assecutum miraculosis ostentis, sed neq; diuina volũtate ad peccata sua detestanda ijsdem inuitatum, quam D. Hieronymi mentem æmulata glossa interlinearis suppresso S. Doctoris nomine super illis verbis & regno meo tremiscant, ait. *Hic est miraculorum fructus vt nomen Dei exaltetur.*

Cap. 6. Comm. in Danielem.

In cap. 6. Danielis.

Quod attinet ad B. Augustini testimonium, ne longius abeam reuocanda sunt in mentem, quæ de Nabuchodonosore agentes scripsimus, eaq; ad hanc quæstionem omnino illi similem adaptanda. Cæteris vero argumentationibus pro Darij salute confectis sat erit cõsultum, si cogitemus, Darium honoribus, reuerentia, timore, propensione voluntatis, ac re ipsa sic magnifecisse Danielis Deum, vt nihilominus manium Deorum religionem non repudiaret, cuius meæ opinionis coniecturam capio ex ea ipsa epistola, quam ad veri Dei gloriam edidit, in qua omnibus quidem Danielis Dei timorem, ac reuerentiam iubet, & præcipit, veruntamen idolorum superstitionem neque prohibet, neque damnat, neque e medio tollendam esse decernit, arcano, vt reor, Dei consilio suę cæcitati relictus rex, quem ab erroribus, & interitu reuocare non potuerunt Danielis prophetæ amicissimi suauissimæ, ac feruentissimæ, vt pie licet arbitrari, exhortationes, quibus regem omnibus ingenij viribus ad vnius veri Dei cultum, & religionem inflammabat.

DE

DE CYRO:

An Cyrus rex, qui è Babylonica Tyrannide Hebræum Populum in libertatem vindicauit, æterno beatitatis præmio donandus.

CAP. XII.

TOta hęc de Cyri [illegible] salute excitata quæstio facile dissoluetur, si illud Esaiæ testimoniũ explicauerim', cuius initiũ est. *Hæc dicit Domin' Christo meo Cyro &c.* in quo pleraq; legũtur, quę ad Cyri salutẽ mirifice cõducere videntur. Quid enim prestãti' reperiri potest, quã summi numinis Christũ appellari, ac hãc gloriã Cyro regi ore diuino tributã cognouimus. Quid mortali optabilius; quã Deo ipsi gratũ, & acceptũ esse? at hoc Cyro pariter, qui Christ' vocatur, accẽsendũ, gratos autẽ, & acceptos esse Deo Christos testis est Psaltes afflatu diuino canẽs. *Nolite tãgere Christos meos*. quid excellentius; quam humanæ salutis Vindici similẽ censeri? at hoc Esaiæ vaticinio Cyro regi noscitur opportunũ, vt seriem citati capitis perpendenti clarescit. Quid egregius, & ad merita cumulanda accomodatius dari potest, quam diuinis mandatis obsequi, & eiusdem voluntati ex animo parere? Hoc autem a Cyro fuisse obseruatum misera seruitus, quam apud Babylonios Hebræi seruiebant vltro a Cyro relaxata fidem astruuit, quam tantopere Deus ipse efflagitauerat. Cap. 45. Psal. 104.

Ne verò opponas hęc peracta non tam diuinę voluntati morem gerente Cyro, quam sponte, & liberalitate sua, admoue aures ad ea, quæ Cyrillus Alexandrinus hoc ipso capite prodidit. *Narrant hic potissimum Cyrum legisse hanc prophetiam, & impendio de his, quæ à Deo de ipso pronunciata sunt gauisum, & eo animo fuisse, vt diuinæ gloriæ præconium in suis vrbibus, & regionibus promulgarit, confessusq; fuerit diserte, illum solum esse Deum, vniuersorumque dominum, qui à Iudæis colebatur*. Quo testimonio illud etiam conuincitur, (quod magni momenti est ad fulciendum Cyri felicitatis æternæ fundamentum:) eum nempe vnius veræ, æternæq; maiestatis fuisse assertorem. Quod etiam ex S. Hieronymo datur sciri, qui in commentarijs super 45. Esaiæ cap. ait. *Et in Esdræ volumine positum est, scripsisse Cyrum ad omnes gentes nullum esse Deum, nisi solum Deum Israel*. Commentariis in Esaiam cap. 45.

Verùm si quid probabilitatis allatæ rationes præse ferunt, sentiant pro libitu suo, qui hoc maximè vellent, me certe numquam abducent à vera sententia pro certo ducentem noxiorum torqueri supplicijs apud inferos Cy-

rum regem, qui tot beneficijs cælestibus cumulatus, quot in Esaiæ vaticinijs leguntur, ingrati animi vitio sordidatus, nō veri Dei, sed inanium Deorum, & idolorum cultor fuit acerrimus, auctore D. Hieronymo, qui hæc de Cyro habet super illis Esaiæ verbis. *Dedi tibi thesauros, & absconditas opes cunctarum vrbium; vt qui prius colebas idola beneficijs vnum sentires Deum, præsertim cum scias multo antequam nascereris tuum nomen esse prædictum.* ita Hieronymus, qui mox illa verba explanans. *Tu autem non cognouisti me,* ait, *simulachra coluisti non Deum. Accinxi te fortitudine multarum gentium. Feci esse victorem & non cognouisti auxiliatorem tuum.* D. Hieronymi vestigijs insistens S. Cyrillus Alexandrinus testatur fuisse Cyrum idololatriæ illitum maculis postea quā apud illum tot insignia beneficia posuerat Deus, illa enim Esaiæ verba illustrans. *Tu autem non cognouisti,* ait. *Scilicet esse Dominum, & præter me non esse Deum, nec me nosti, perinde est ac si diceret aperte. Non percæpisti hanc talem gloriam a me tamquam mercedem illustrium factorum ad pietatem spectantium, sed ornaui te etiam cum meam diuinitatem non noueris, & excellentiam, immò cum ne in numero quidem esses eorum, qui me adorant.* Quare licet apprime calleam, nonnullos sacri eloquij interpretes illam Esaiæ auctoritatem, *assimilaui te, & non cognouisti me*, ex linguæ idiotismo interpretari in hunc modum, cum nondum noſces me, aiunt enim, cum hæc fundebantur oracula, nondum Cyrum natum fuisse. Ad quem sensum hæc Lyranus, *non cognouisti me, quia adhuc non eras*, ex qua explanationis formula ab idololatriæ crimine Cyrus eximi videtur: tamen ab adducta superius explanatione, quam Sancti Patres vt germanam, & litteralem amplectuntur, nullo modo recedendum, quāq; etiam reddit glossa interlinearis. *Non cognouisti me. Vnum Deum, sed idola adorasti, quæ nihil profuerunt tibi* cum quæ sensisse etiam Lyranum mox docebo, quamuis verbum illud, non cognouisti me, adducta ratione explicarit.

Hiero. in Esai. cap. 45.

Arias Montanus in Esaiam citato cap.

Ad nostram sententiam se accomodat Rupertus de Trinitate, & operibus eius cum inquit. *Assimilauit namq. Cyrum Deus filio suo, quamuis ipse Deum se assimilantem minime cognouerit.* Similis est de Cyro agentis Lyrani opinio. *Tactus,* ait, *Dei notitia, vt liberaret populum, sed ipse in sua infedelitate remansit,* & iterum. *Quamuis enim Cyrus re cognouerit omnia regna à Deo sibi data, vt prædictum est, tamen non cognouit eum tamquam solum adorandum, quia colebat idola.*

Libro primo cap. 18.

In glossa 45. capite.

Fauet eidem opinioni Bertrandus tractatu de origine, & vsu iurisdictionum quæstione prima super eisdem verbis; *Quasi dicat inquit, accinsi te fortitudine ad bellandum contra regem babylonis, & auxiliatores eius, sed tu non cognouisti me, & quia in bellando non habuisti oculum ad Deum, ego tamen totum ordinaui ad liberationem populi mei.* Tandem æternæ damnationis Cyri testis est Dionysius Carthusianus in citatum Esaiæ locum, in quo cum multa de Cyro disseruisset, ac illud in primis, eum typum fuisse Saluatoris nostri. mox veritus ne errore lector laberetur, hanc adhibet cautionem. *Hoc tamen absolute de Cyro verum non est, quem constat esse damnatum tamquam idololatram, & ingratum.*

Tom. 4. Biblioth. Patrum.

Ex quibus corruant necesse est quæ huius regis saluti fauere videbantur, qui etsi Christus, hoc est, vnctus dicatur, nihilominus duplicem esse vnctionē spiritalem scire conuenit, alteram gratiæ gratum facientis, alteram gratiæ gratis datæ. At Cyrus non illa priori, sed hac vnctione posteriori insignitus est: nullis siquidem præcedentibus Cyri meritis à Deo tot regnis, veriq;

Vnctio duplex esse solet.

numinis

numinis cognitione donatus est, quæ tamen ei nihil ad salutem profuerê. Quamquam cum D. Hieronymo dicere possumus, Christi appellationem concessam Cyro ea duntaxat ratione, quod vt mos erat, diuina vocatione, oleo inunctus fuerat. In Esaiam cap. 45.

Quod suo calculo obfirmãs Cyrillus Alexandrinus hæc ad rẽ habet. *Christum enim nominat Cyrum, non quasi vnum quempiam à sanctis, de quibus nomen illud accipi potest catachristicè, ac per abusionem sumptum, quasi ab eo, quod vnctus fuerit. Sed quod in more positum fuerat vocatos à Deo ad regnum etiam si nõ fuerint sancti, & colendi, oleo inungere.* Ex qua B. Cyrilli auctoritate funditus euertitur, quæ secunda sede confecta fuerat argumentatio regij Prophetæ verbis innixa.

Cur autem Dei, & hominum mediatoris Cyrus figuram gesserit, ex Ruperto ita scribente agnoscat lector. *De Cyro rege quomodo secundum vaticinium Esaiæ Prophetæ Christo assimilatus fuerit? maximè quia populum Dei liberauerit, & in patriam remiserit.* In cæteris autem ea inter Saluatorem nostrum, & regem hunc similitudo, & figura reperitur, quæ inter lucem, & tenebras, inter sanctitatis fontem, & peccatorum sordibus planè sordidum esse potest. In Danielẽ lib. 1 Comm. cap. 28.

Non exigui meriti esse fateor, iubenti Deo parere, si cætera, quæ ad meritum exiguntur, non desint: at Sanctorum Patrum, aliorumue scriptorum neminem me offendisse adhuc memini, qui diuino præuenientis gratiæ auxilio præmunitum fuisse regem opinetur, quamuis patrium solum repetere Iudæos voluerit. Sed esto ex hypothesi, opportunum ei non defuisse præsidium, an non subsequenti idololatriç scelere meritum id omne euanuit?

Neq; illa vnici Dei confessio, quam Cyrus habuisse dicitur, eum beare valuit: quia B. Hieronymus, cuius auctoritati nititur argumentatio, rem præsentem examinans, posteaquam dixerat ex Esdræ volumine haberi, scripsisse Cyrum ad omnes gentes nullum esse Deum nisi solum Deum Israel, mox qua id ratione accipiendum fit, explicat his vocibus; *siue ita intelligendum, quod captiuorum laxatio, & Dei in populum suũ clementia cunctis gentibus Deum fecerit notiorem.* Vbi nemo non videt, hac Hieronymi interpretatione non Cyri confessionis meritum, aut gloriam extolli, sed ex secuta captiuorum relaxatione Dei Israel clementiam omnibus gentibus redditam clariorem iusto præconio celebrari.

rum regem, qui tot beneficijs cælestibus cumulatus, quot in Esaiæ vaticinijs leguntur, ingrati animi vitio sordidatus, nō veri Dei, sed inanium Deorum, & idolorum cultor fuit acerrimus, auctore D. Hieronymo, qui hæc de Cyro habet super illis Esaiæ verbis. *Dedi tibi thesauros, & absconditas opes cunctarum vrbium; vt qui prius colebas idola beneficijs vnum sentires Deum, præsertim cum scias multo antequam nascereris tuum nomen esse prædictum.* ita Hieronymus, qui mox illa verba explanans. *Tu autem non cognouisti me*, ait, *simulachra coluisti non Deum. Accinxi te fortitudine multarum gentium. Feci esse victorem & non cognouisti auxiliatorem tuum.* D. Hieronymi vestigijs insistens S. Cyrillus Alexandrinus testatur fuisse Cyrum idololatriæ illitum maculis postea quā apud illum tot insignia beneficia posuerat Deus, illa enim Esaiæ verba illustrans. *Tu autem non cognouisti*, ait. *Scilicet esse Dominum, & præter me non esse Deum, nec me nosti, perinde est ac si diceret aperte. Non percepisti hanc talem gloriam a me tamquam mercedem illustrium factorum ad pietatem spectantium, sed ornaui te etiam cum meam diuinitatem non noueris, & excellentiam, immò cum ne in numero quidem esses eorum, qui me adorant.* Quare licet apprime calleam, nonnullos sacri eloquij interpretes istam Esaiæ auctoritatem, *assimilaui te, & non cognouisti me*, ex linguæ idiotismo interpretari in hunc modum, cum nondum noscces me, aiunt enim, cum hæc funderentur oracula, nondum Cyrum natum fuisse. Ad quem sensum hæc Lyranus, *non cognouisti me, quia adhuc non eras*, ex qua explanationis formula ab idololatriæ crimine Cyrus eximi videtur: tamen ab adducta superius explanatione, quam Sancti Patres vt germanam, & litteralem amplectuntur, nullo modo recedendum, quāq; etiam reddit glossa interlinearis. *Non cognouisti me. Vnum Deum, sed idola adorasti, quæ nihil profuerunt tibi* cum qua sensisse etiam Lyranum mox docebo, quamuis verbum illud, non cognouisti me, adducta ratione explicarit.

In Comm. super cap. 45. — Aria Montanus in Esaiam citato cap.

Ad nostram sententiam se accomodat Rupertus de Trinitate, & operibus eius cum inquit. *Assimilauit namq; Cyrum Deus filio suo, quamuis ipse Deum se assimilantem minime cognouerit.* Similis est de Cyro agentis Lyrani opinio. *Tactus*, ait, *Dei notitia, vt liberaret populum, sed ipse in sua infidelitate remansit*, & iterum. *Quamuis enim Cyrus re cognouerit omnia regna à Deo sibi data, vt prædictum est, tamen non cognouit eum tamquam solum adorandum, quia colebat idola.*

Libro primo cap. 18. — In glossa 45. capite.

Fauet eidem opinioni Bertrandus tractatu de origine, & vsu iurisdictionum quæstione prima super eisdem verbis; *Quasi dicat inquit, accinsi te fortitudine ad bellandum contra regem babylonis, & auxiliatores eius, sed tu non cognouisti me, & quia in bellando non habuisti oculum ad Deum, ego tamen totum ordinaui ad liberationem populi mei.* Tandem æternæ damnationis Cyri testis est Dionysius Carthusianus in citatum Esaiæ locum, in quo cum multa de Cyro disseruisset, ac illud in primis, eum typum fuisse Saluatoris nostri. mox veritus ne errore lector laberetur, hanc adhibet cautionem. *Hoc tamen absolute de Cyro verum non est, quem constat esse damnatum tamquam idololatram, & ingratum.*

Tom. 4. Biblioth. Patrum.

Ex quibus corruant necesse est quæ huius regis saluti fauere videbantur, qui etsi Christus, hoc est, vnctus dicatur, nihilominus duplicem esse vnctionē spiritalem scire conuenit, alteram gratiæ gratum facientis, alteram gratiæ gratis datæ. At Cyrus non illa priori, sed hac vnctione posteriori insignitus est: nullis siquidem præcedentibus Cyri meritis à Deo tot regnis, veriq;

Vnctio duplex esse solet.

numinis

numinis cognitione donatus est, quæ tamen ei nihil ad salutem profuere. Quamquam cum D. Hieronymo dicere possumus, Christi appellationem concessam Cyro ea duntaxat ratione, quod vt mos erat, diuina vocatione, oleo inunctus fuerat. In Esaiam cap. 45.

Quod suo calculo obfirmãs Cyrillus Alexandrinus hæc ad rẽ habet. *Christum enim nominat Cyrum, non quasi vnum quempiam à sanctis, de quibus nomen illud accipi potest catachristicè, ac per abusionem sumptum, quasi ab eo, quod vnctus fuerit. Sed quod in more positum fuerat vocatos à Deo ad regnum etiam si nõ fuerint sancti, & colendi, oleo inungere*. Ex qua B. Cyrilli auctoritate funditus euertitur, quæ secunda sede confecta fuerat argumentatio regij Prophetæ verbis innixa.

Cur autem Dei, & hominum mediatoris Cyrus figuram gesserit, ex Ruperto ita scribente agnoscat lector. *De Cyro rege quomodo secundum vaticinium Esaiæ Prophetæ Christo assimilatus fuerit? maximè quia populum Dei liberauerit, & in patriam remiserit*. In cæteris autem ea inter Saluatorem nostrum, & regem hunc similitudo, & figura reperitur, quæ inter lucem, & tenebras, inter sanctitatis fontem, & peccatorum sordibus planè sordidum esse potest. In Daniel lib. 1 Comm. cap. 42.

Non exigui meriti esse fateor, iubenti Deo parere, si cætera, quæ ad meritum exiguntur, non desint: at Sanctorum Patrum, aliorumue scriptorum neminem me offendisse adhuc memini, qui diuino præuenientis gratiæ auxilio præmunitum fuisse regem opinetur, quamuis patrium solum repetere Iudæos voluerit. Sed esto ex hypothesi, opportunum ei non defuisse præsidium, an non subsequenti idololatriæ scelere meritum id omne euanuit?

Neq; illa vnici Dei confessio, quam Cyrus habuisse dicitur, eum beare valuit: quia B. Hieronymus, cuius auctoritati nititur argumentatio, rem præsentem examinans, posteaquam dixerat ex Esdræ volumine haberi, scripsisse Cyrum ad omnes gentes nullum esse Deum nisi solum Deum Israel, mox qua id ratione accipiendum sit, explicat his vocibus, *siue ita intelligendum, quod captiuorum laxatio, & Dei in populum suũ clementia cunctis gentibus Deum fecerit notiorem*. Vbi nemo non videt, hac Hieronymi interpretatione non Cyri confessionis meritum, aut gloriam extolli, sed ex secuta captiuorum relaxatione Dei Israel clementiam omnibus gentibus redditam clariorem iusto præconio celebrari.

DE

TIBERIO CAESARE.

Christo Domino viuente.

A quo Tiberius Cæsar de patratis à Christo mirabilibus certior factus sit. An ad extremum vsq; spiritum in ea sententia steterit, qua Christum Dominum retulit inter Deos, statuitq; ne Christianis supplicia decernerentur. Tum obiter de litteris datis à Pilato Præside ad Tiberium super rebus à Christo gestis.

CAP. XIII.

Tertullianus.

HVius tractandæ quæstionis illa nobis Tertulliani sententia præbuit occasionem, quæ apologetici cap. 5. consignata est, vbi de Romanorum legibus edisserens, quibus cautum erat, ne quis inter Deos referretur, ni prius consensisset in illius diuinitate senatus, ac ridés, vt assolet, eiusmodi delirium, refert, Tiberium Cæsarem Christo Domino diuinos tribuisse honores, renuente senatu colere eius diuinitatem, ac Christiani nominis hostibus pœnas intentasse. *Vt de origine*, ait Tertullianus, *aliquid retractaremus eiusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur, vt M. Aemilius de Deo suo Alburno fecit, & hoc ad causam nostram, quod apud nos de humano arbitratu diuinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius esse debebit? Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in seculũ introiuit, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quæ illic veritatem ipsius diuinitatis reuelauerat detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, respuit, Cæsar in sententia mansit, comminatusq; periculum accusatoribus Christianorum.* Antiquissimi huius, æquè ac eruditissimi scriptoris sententiã suis suffragijs approbauerẽ Eusebius Cęsariẽsis Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 2. in quo latius & fusius eandẽ historiã ad posteros litteris transmisit, eiusdemq; meminit in Chronico ad annũ mundi 5230. olympiade 203. vti pariter fecerunt Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 8. Ado in Chronico ætate sexta de Tiberio loquens, Gregorius Turonensis historia Francorum lib. 1. Georgius Cedrenus in compendio historiarum, Paulus Oratius lib. 7. historiarum cap. 4. & alij recentioris æui com-

Eusebius Cæsar.

complures, quibus fidem abrogare vel quis audax poterit?

Cæterum in Tertulliani testimonio illud statim restat quærendum, quis Tiberio Cæsari mirabilia Christi significarit, quibus ille sanam de eius diuinitate sententiam imbibit. Arbitratus est Nicephorus Callistus de innumerabilibus à Christo patratis miraculis certiorem factum Cæsarem à Maria Magdalena, quæ ad vrbem se se contulerat. *Verùm enim vero & ipse seruatoris iudex Pilatus, quam sub Tiberio Cæsare, quòd Maria Magdalena Romam adierat, & seruatoris res ibi retulerat, maximis affectus esse dicitur contumelijs.* Lib. 1. Eccles. Hist. cap. 2. Ita Callistus, cuius sententiæ cum nulla suffragetur antiquorum scriptorum auctoritas, non immeritò commentum videri potest secum reputanti, non modo Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham, & Marcellam pedissequam paulo post reditum Christi ad Patrium eiectas vrbe Hierosolyma, ac nauigio remis destituto impositas appulisse Marsiliam nutu diuino, vt illius acta testantur: verùm etiam fœminam ad Tiberium Cæsarem suscipere legationem non decuisse. An ex publicis monumentis Romam ad Tiberium missis Christi Domini miracula eidem innotuerunt? ad quæ, vt mea fert opinio, alludens Iustinus Martyr in apologia, quam pro Christianis ad Antoninum Pium conscripsit, hæc habet. *Hæc ita gesta esse cognoscere ex actis, quæ sub Pilato sunt scripta, potestis.* & rursus. *Et quod ista fecerit ex eis, qui sub Pilato scripti sunt, commentarijs, cognoscere potestis.* Probabilis sane opinio. Iustinus Martyr. Sed illa mihi solidior videtur, quæ Cæsarem à Pilato præside Christi miracula per litteras edoctum credit; id enim oneris omnibus prouinciarum præsidibus incubuisse, vt ad Imperatorem referrent, quidquid mirum, & extra communem sortem accideret, ne quid Cæsarem lateret, vnanimi assensu tradunt citatis antea locis Eusebius Cæsariensis, Nicephorus Callistus, Gregorius Turonensis, Cedrenus, Orosius, Ado, & alij: Eusebij verba sunt. *Cum iam incredibilis, & admiranda seruatoris nostri resurrectio, atq; etiam ascensio in cælos quamplurimis peruulgata percrebesceret, cumq; vetus apud gentium magistratus, & præfectos inueterasceret consuetudo, vt si qua noua, & inaudita apud illos forte obtingerent, ei, qui regium in eos imperium obtinebat, significarent, (quo nihil eorum, quæ gerebantur illum subterfugeret) Pilatus de resurrectione Seruatoris nostri Iesu à mortuis, quæ per omnium ora iam in vniuersa passim Palæstina hominum sermone, ac fama peruasisset, vt pote qui cum alia eius miracula auditione accepisset, tùm etiam quo pacto post mortem denuo à mortuis suscitatus iam Deus à multis pro certo crederetur, Tiberium Imperatorem per litteras certiorem facit.* Quod ab Tertulliano mutuatum Cæsariensem ex his Tertulliani verbis conijcere licet. *Ea omnia super Christo Pilatus & ipse iam pro sua conscientia Christianus Cæsari tùm Tiberio significauit.* Apolog. cap. 5. & 21.

Et licet huic opinioni duo aduersari posse videantur: alterum quod fidē excedat, Christiani nominis osorem, & inimicum, qualis Actorum 4. Pilatus recensetur, cumulare laudibus Christum voluisse, quem feraliter persequebatur: alterum, quòd ex Pilati litteris euinceretur, primum Hierosolymis appellatos Christianos, D. Luca repugnante, qui refert ea appellatione primo Antiochiæ insignitos Christi alumnos, vt patet actor. 11. Tamen infirma hæc esse vel facilis eorum dissolutio ostendet. Pilatus nominis Christiani osor. Non enim libere, & sponte, sed coactè, sibiq; timens ad Cæsarem litteras dedit Pilatus, vt Cedrenus meminit, qui hanc ipsam, quam innuimus, causam attingens ita loquitur. *Cum admirabilis in vitam redditus, atq; in Cælos ascensio Seruatoris nostri fama iam longe, lateq; increbuisset. Pilatus animi anxius, quod de his, quæ euenerant,* Cedrenus. *miracu-*

miraculis, nihil ad Imperatorem retulisset, tandem necessitate coactus Tiberio Cæsari perscripsit. Quid si conscientiæ stimulis actus, quod alias maximè voluerat, Pilatus reticere non valuit? vt innuit more suo Tertullianus illis verbis. *Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse iã pro sua conscientia Christianus Cæsari tùm Tiberio nunciauit.* Præterea cur in dubium vocandæ sunt Pilati ad Cæsarem litteræ de mirabilibus Seruatoris nostri, quem regem esse Iudæorum arbitrabatur, vt tradit Origenes tract. 35. in Matthæum super illis verbis. Tu es rex Iudæorum, ita scribens. *Quoniam autem pronunciatiuè hoc dixit Pilatus, illud quoq; confirmat, quod etiam alibi supra scribit in titulo Rex Iudæorum in tribus linguis Hebraicè, Græcè, & Latinè, vt Hebrei, & Græci, & Romani cognoscerent, quoniam Pilatus sciebat eum regem Iudæorum esse. Propter quod apparet cum qua reuerentia requirebat de Iesu & prouocabat populum: vt Iesũ magis ad dimittendum peterent, quàm Barrobbam. Reuerentiæ autem Pilati illud etiam fuit signum, quòd lauans manus suas dixit innocens ego sum à sanguine huius.* At si Pilatus notam esse voluit vniuersis terræ nationibus suam de regia Christi maiestate opinionem, cur eandem mentem suam Cæsari nõ aperuisse opinabimur?

Origenes.

Pilati de Christi imperio iudicium.

D. autẽ Lucas loquitur de prima impositione Christiani nominis, quę apud exteras gentes primo viguit, nõ autem apud Iudæos; quis enim inficias ibit, Martham, & Mariam sororem cum fratre, & cæteris, qui diuinitatis Christi cultores erant, Christianorum vocabulo Hierosolymis potuisse cohonestari ante id temporis, de quo sermo est apud Lucam.

Cæterum quia de litteris à Pilato ad Tiberium datis fecimus mentionem, non iniucundum erit eas hunc in locũ transferre, ex quibus Saluatoris nostri diuinitatis & miraculorum ab iniquissimo Iudice gentili luculentissimum testimonium trahi potest. Hegesippus enim in sua Anacephaleosi hãc epistolam his verbis conceptam refert. Nuper accidit, quod & ipse probaui, Iudæos per inuidiam, se suosq; posteros crudeli condemnatione punisse. Deniq; cum promissum haberent patres eorum, quod illis Deus mitteret de cælo sanctum, qui eorum rex meritò diceretur, & hunc se promiserit per Virginem missurum in terram; istum itaq; me Præside in Iudæa, Deus Hebræorum cum misisset & vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, Dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse siccis pedibus per vndas maris, & multa alia fecisse, cum omnis populus Iudæorum eum Dei filium esse diceret, inuidiam contra eum passi sunt Principes Iudæorum, & tenuerunt eum, mihiq; tradiderunt, & alia pro alijs mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes eum magum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse, & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulchro custodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis custodientibus die tertio resurrexit. In tantum enim exarsit nequitia Iudæorum, vt darẽt pecuniam custodibus, & dicerent: Dicite quia discipuli eius corpus ipsius rapuerunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere nõ potuerunt, nam & illum surrexisse testati sunt se vidisse, & se à Iudæis pecuniam accepisse. Hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur, & existimet credendum esse mendacijs Iudæorum.

Litteræ Pilati ad Tiberiũ de Christo.

Hactenus ex Hegesippo, in cuius epistolæ titulo error sine dubio reperitur, qui vnde irrepserit ignoro, cum ea non ad Claudium, vt præse fert titulus, sed ad Tiberium, quo regnante, Christus passus est, data fuerit. Quam nõnulli

Censura harũ litterarum.

aliſſi arbitrantur anonymam, & ſuppoſititiam eſſe, trahentes argumentum non modo ex errore tituli, ſed ex cęteris etiam miraculorum narrationibus, quas confictas eſſe ab catholico, non autem deſcriptas ab Ethnico viro ſuſpicantur, quod an verum ſit videint hi, qui limatioris ſunt ingenij, maiorisq; ſcientiæ, & eruditionis; ego extra controuerſiam eſſe reor, vt ex tot citatis auctoribus conſtitit, haud defuiſſe Pilato officium litterarum, quibus Cæſarem de rebus ad Saluatorem ſpectantibus certiorem redderet, quamuis non æque nobis compertum ſit, an hæc ipſa epiſtola, quam ex Hegeſippo attulimus, germana ſit nec ne.

Nunc ad cognoſcendam Tiberij religionem, & mores redeamus; nam quæ ex Tertulliano, & alijs ſcriptoribus adducta fuerê, eum fidei Chriſtianę cultorem oſtendere videntur. Cæterû quia Tiberius iactis probæ fidei fundamentis poſtea in omne ſcelus ruit, repudiataq; Saluatoris diuinitate Dęmonum, & idolorum ſuperſtitionibus ſe addixit, nihil ei cum cælorum optimatibus affine eſſe poteſt: innumera enim fuiſſe Tiberij omnis generis ſcelera ex Dione Caſſio, Suetonio, Aurelio Victore, Eutrepio, cæteriſq; qui de eo ſcripſerê, auctoribus, planè conſtat, rapinas, in omnes odium aduerſus fratrem, matrem, filios, nurum & nepotes, monſtroſam libidinem, de qua Suetonius, *maiore*, inquit, *adhuc & turpiore infamia flagrauit vix vt referri, audiriue ne dum credi fas ſit*. ea eſt rei ſceleſtiſſimæ obſcænitas, quã lubẽs prętereo, ne caſtus lectoris animus inhorreſcat. *Illud de Tiberij ſceleribus cum Dione Caſſio dicam, eum ita in omnes iniurioſum fuiſſe, vt nemo iam inficias ire poſſet, quin carnem illius vorare cuperet populus Romanus, qui ſæuam tyrannidem incredibili omnium dolore tribus & viginti annis ſuſtinuit*. Ex quo quis cætera illius vitia non coniiciat, colligatq; pariter catholicæ religionis hoſtem eum eſſe, qui Chriſti diſciplinæ decreta auerſatur, execratur, funditus euertit. Tum qua ratione agniti olim Saluatoris noſtri maieſtatem reuereri potuit is, qui diuinam prouidentiam de medio ſuſtulit, vt feciſſe Tiberium teſtatur Tranquilus cum ait. *Circa Deos, ac religiones negligentior, quippe addictus mathematicæ, perſuaſionisque plenus cuncta fato agi credidit. Quamuis ne maiorum, ac totius ciuitatis penitus ſuſtuliſſe religionem videretur, dedicarit Concordiæ ædem, item Pollucis, & Caſtoris ſuo fratriſque nomine, de manubijs,* ſuorum temporum ſuperſtitionibus acquieſcens.

Mores & religio Tiberij.

DE TRAIANO IMPERATORE.

Anno incarnationis 100. Clemente Papa regnante.

Quæ occasio fuerit instituendæ quæstionis de Traiani anima ad preces D. Gregorij e tartareis cruciatibus liberata.

CAP. XIV.

INcylitam, & nobilem multis iam seculis de Traiani anima quæstionem hoc loco cogimur instituere, ne operis nostri rationem penitus neglexisse videamur: nam licet olim non socordes litterarum studiosos excitarit, & nostro hoc æuo ad indagandā illius veritatem doctores omni eruditionum genere illustrissimos inflammarit etiam, tamen quia hæc disceptatio nonnullis adhuc obsita tenebris iacet, rursus in scenam Traianum vocare operæ pretium putauimus.

Duo hanc quæstionem peperere, insignis videlicet Traiani iustitia, & Sancti Gregorij preces, & miseratio. Vtrumq; perhibetur in hunc modum (licet in nonnullis dissentiant aliqui, vt suo loco constabit.) In Dacicam expeditionem instructis copijs Senatu comite, & effusis ad spectaculum omnibus Vrbe egrediebatur Cæsar, quem conspicata mulier inter confertas militum acies sibi viam aperiens sordida veste induta eiulans sic alloquitur. O Traiane Imperator opem tuam supplex imploro infelix mulier, quam dudum coniuge orbatam scelestissimi iuuenes nouo facinore priuarunt filio, quem mihi vnicum vitæ traducendæ subsidium Dij immortales concesserant, & quod maiorem mihi dolorem auget est Iudicum iniquitas, qui non exiguo auri pondere corrupti iniustis filij mei percussoribus, qui in carcere sunt, fauent verius, quàm aduersantur, ac me miseram pressam ære alieno, cui præter lacrymas iam nihil aliud superest, non modo iure vindictæ priuant, verum etiam Deos, hominesq; inclamantem vix ferunt, & sustinent. Quod si hæc te præsente audent, quid absente facturos eos putas? Cæsar viduam blandè excipiens, cùm è bello reuerteretur, se summo iure cum reis acturum spondet, ac præcipit interim bono esse animo. Cui mulier; quid si, quod Dij auertant, in bello caderes, quis mihi ius habebit? Qui summi imperij habenas moderabitur, respondit Cæsar. Tum illa, at quàm satius esset, hanc iustitiæ laudem, quam successori concedis, ad immortalem tui nominis famam adijcere, vt æquissimi Principis personam decet, naturæq; iura, quorum es moderator, & vindex, postulant. Traianus mulieris ratione victus

equo

equo desilit, ac iubet properantem exercitum stare, donec ad exactam iustitiæ rationem peractum sit iudicium. E vestigio educti è carceribus occisores coram sistuntur, sceleris perpetrati fatentur seriem testibus locupletissimis reuicti, ac in eos capitis sententia fertur, quam ne statim exequeretur iniecta Thraiani, & exercitus animis religio effecit, ne tanti belli, ad quod proficiscebatur, apparatum patrio sanguine fædaret infelici omine: Quocirca in eam sententiam itum est, vt interfectores nō sanguine, sed pecunia multaret, quam protinus ex proprio demptam ærario afflictæ matri in omnium conspectu præcepit numerari, & hunc in modum omnibus adimpletis iustitiæ partibus ad incœpta properauit viduam, reosq; iuuenes lætos domum remittens; illam, quod effusum filij sanguinem inclyta iustitia vindicasset, hos, quòd non minori clementia, & liberalitate capitis pœna, quam subire merito cogebantur, liberasset. Senatus, populusq; Romanus, ne admirandum insignis Traiani probitatis, & iustitiæ exemplum futuris seculis deperiret, in foro, quod ab eodem Imperatore nomen obtinuit, hanc eandem historiam aut in ære, aut in marmore inscriptā in perpetuas æternitates posuerê.

Hæc historia, superatis temporum edacitate, cæli, & inimicorum iniurijs, qui non semel miserandas calamitates, & ruinas vrbi intulerant, intacta mansit ad D. Gregorij Magni summi Pontificis tempora, qui solemni pompa, & apparatu anno secundo sui pontificatus clero, populoque comitante cum è Lateranensi basilica ad sacras Sancti Petri ædes per idem forum graderetur, in egregium monumentum oculos inijciēs Traiani iustitiam vehementer demirabatur, ac iugiter mente peruoluens nobile Ethnici principis facinus intimo animi sensu adiectis etiam lachrymis æternam illius mortem dolebat, ac Deum tacitê alloquens ergo ne, aiebat, pater omnium miserationum, & Deus totius consolationis tantum probitatis, & exactæ iustitię opus cum auctore suo peribit in æternum? numquid miserationes tuæ super omnia opera tua non sunt? Parce domine Traiano regi, parce Ethnico principi; his precibus flexo genu exorans Deum Gregorius cæli aut voce, aut nuncio de impetrata pro Traiani salute venia certior redditur ea conditione, ne deinceps preces, aut lacrymas pro infidelibus in gehenna degentibus Deo funderet.

Vide historiam aut veram, aut confictam, de quo protinus, ex qua originem traxit disputatio de liberata è tartaro Traiani anima. Cætera, quæ dissidentes in narratione illa scriptores variant, ex sequentibus capitibus plana erunt. Summa enim rei totius hæc sane est.

O Olim

Olim Græcis hanc adeo placuisse historiam, vt in publicis Ecclesiæ suæ precibus assererent Traianum ex perpetuis gehennæ incendijs liberatum. Idem ex DD. Brigittæ, & Methildis reuelationibus, & ex Sanctis Ioanne Damasceno, & Thoma confirmari.

CAP. XV.

TActa præsētis quæstionis origine, venio ad indagandā illius veritatē: quo autem magis idonea, & validior reddatur probatio, initiū capere statui ab ijs, qui pene diuinā auctoritatem habere vidētur, quale est Græcorum Euchologiū, ex quo clare constat tantam fidē narratæ rei accommodasse Græcos, vt non dubitarint in publicis Ecclesiæ suæ orationibus, quas fundunt ad impetrandam pro defunctis pœnarum relaxationem, quibus in igne purgante torquentur, hac formula Deum deprecari. *Quemadmodum Traianum per intensam serui tui Gregorij Dialogi intercessionem flagro soluisti, exaudi etiam nos te orantes non pro [illegible] calore, sed pro fideli seruo tuo, qui te propter imbecillitatem ad iracundiam prouocauit*, Cōmeritia autem, & talia publice in Ecclesia recipi nimis durum est asserere. Accedunt ad idem [illegible] testimonia, quibus Deus suo afflatu Traianum ab inferis liberatum B. Brigittæ, & Methildi aperuit, quemadmodum ex diuinis earum reuelationibus patet. Illius enim lib. quarto reuelationum cap. 13. ista sunt. *Quicunq; enim offert pro anima alterius vnum pater noster, acceptius est Deo pondere magno auri, sicut patet in illo bono Gregorio, qui oratione sua etiam infidelem Cæsarem eleuauit ad altiorem gradum.* Beatæ verò Methildis hæc est sententia de anima Traiani ex reuelatione accepta. *Quid insuper de anima Traiani liberalitas mea iusserit, volo homines ignorare, quatenus fides catholica ex hoc magis extollatur, quia hic licet omnibus polleret virtutibus, Christiana tamen fide, atq; baptismo carebat.* At fidem abrogare ijs, quæ Deo docente nota fiunt mortalibus, lethali culpa non vacat, cum hac nulla tutior veritatis cognoscendæ semita dari obuiam possit, sitque infallibilis, & certissima: Deum autem esse auctorem reuelationum Brigittæ, & titulus ipse in argumento est, & summus Pontifex Bonifacius Nonus aperte testatur in ijs litteris, quibus Brigittam inter cælites retulit, dum docet eas reuelationes e diuino spiritu emanasse, quæ omnia Apostolica Martini quinti Bonifacij successoris auctoritate confirmata fuerē, ne pij, & fidelis animum turbaret ea cogitatio, quòd acta illa ad B. Brigittæ sanctitatem spectantia in illud tempus referenda essent, quo scismatis turbine Ecclesiæ nauis agitabatur sub Bonifacio nono.

Reuelationes B. Brig.

Lib. 5. reuelat. cap. de animabus Salomonis Sansonis &c.

B. Brigittæ reuelationes à summi Pont. confirmatæ.

Nunc pro eadem sententia testimonium audiamus, quod ob vitæ sanctitatem

statem, reconditam sacrarum scripturarum cognitionem, & apud catholicos omnes illius auctoritatem, quem nominabo, maximi ponderis existimandum est. D. Damascenus in sermone pro defunctis fidelibus cum omni argumentorum genere contendisset, animas fidelium, quae e terris cedentes in igne purgante Deo satisfaciunt, iuuari pijs orationibus, sacrificijs, eleemosynis, alijsq; catholicae pietatis operibus, cumque postea eo vsq; deduxisset orationem, vt prolatis in medium historijs probaret eas animas etiā, quae tartareo igne cremantur, simile diuinae liberalitatis beneficium sortiri nonnunquam; mox diuinum hoc priuilegium Traiano concesū nulla haesitatione credidit. Ponam hoc loco integram D. Damasceni sententiam à communi Sanctorum Patrum sententia diuersam. *Caeterum hic & aliarum historiarum meminisse operae pretium fuerit. Gregorius itaq., qui Dialogos à nostris dicitur, veteris Romae Episcopus, vir (quod testantur omnes) sacrarum disciplinarum intelligentia celebris, cum etiam (vt ferunt) acta facienti caelestis Angelus secum se addidit; simul sacrificans, cum per stratum Traiani lapidibus stratum iter faceret, validas preces ad misericordem, ac mitissimum propitium Dominū fudit, vt Traiano regi peccata dimitterentur; & confestim vox diuinitus allata audita est in hunc modum dicens. Preces tuas audiui, & veniam Traiano do; tu verò deinceps pro impio hostiam ne offeras. Testatur autem Oriens, & occidens totus miraculum hoc germanū, & irrefutabile. Ecce amplius hoc est, quàm quòd de Falconilla traditur. Haec enim vnius nempe idololatriae, & nullius praeter id criminis rea erat. Ille verò multos etiam martyres non rarò morti condemnauit. Mirabilis es Domine, & mirabilia sunt opera tua.* Hactenus ex Damasceno, cuius auctoritate nixi posterioribus seculis scriptores firmum, ratumq; esse arbitrati sunt de Traiano è gehenna educto miraculum. Sicuti voluit Angelicus Doctor, cuius haec est de re praesenti sententia cum prius citatam D. Damasceni auctoritatem protulisset. *Dicendum quod de facto Traiani hoc modo potest probabiliter aestimari quod precibus B. Gregorij ad vitam fuerit reuocatus, & ibi gratiam consecutus sit, per quam remissionem peccatorum habuit, & per consequens immunitatē à poena, sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculose à mortuis suscitati, quorum plures constat idololatras, & damnatos fuisse. De omnibus enim similiter dici oportet, quòd non erant finaliter deputati; sed secundum praesentem iustitiam propriorum meritorum, secundum autem superiores causas, quibus praeuidebantur ad vitam reuocandi, erat aliter de ijs disponendum. Vel dicendum secundum quosdam, quòd anima Traiani non fuit simpliciter à reatu poenae aeternae absoluta, sed eius poena fuit suspensa ad tempus scilicet vsq; ad diem iudicij, nec tamen oportet, quod hoc fiat communiter per suffragia, quia alia sunt, quae lege communi accidunt, & alia, quae singulariter ex priuilegio aliquibus conceduntur, sicut alij sunt humanarum limites rerum, alia diuina signa virtutum, vt Augustinus dicit in libro de cura pro mortuis agenda.* Quo sancti Doctoris testimonio non solum huius historiae veritas astruitur, sed etiam bifariam, qua ratione ea sustineri meritò possit, solita Angelica claritate edocemur. Praeterea rursus eandem historiam mordicus retinens ita loquitur. *Sed sicut legitur ad preces beati Gregorij dominus Traianum Imperatorem idololatram & ob hoc in inferno damnatū ab inferis reuocauit, & vita restituit,* & iterū in fine articuli ait. *Idem est de Traiano, qui forte post trecentos annos suscitatus est, & de alijs, qui post vnū diē suscitati sūt.* Quae omnia assentientis huic rei, ceu verissimae D. Thomae mentis verba esse nullus non animaduertit. Ex his prudēs quilibet peruoluat animo, quam fidem mereatur ea narratio,

4. Sent d. 45. q. 2. a. 2. ad 5.

Traiani anima qua ratione esset in inferno.

Cap. 16.

1. Sent d. 43. q. 2. a. 2. ad quintum.

cui tot congruentes in vnum Græcæ Ecclesiæ, diuinorum oraculorum, ac Sanctorum Patrum voces, & sententię suffragantur.

Ioannem, & Paulum Diaconos D. Gregorij Magni familiares hanc historiam ab eodem Pontifice sibi patefactam litteris prodidisse. Postmodum in eandem concessisse Ioannem Diaconum Gregorij Magni gesta conscribentem.

CAP. XVI.

EIdem historiæ fidem addunt testimonia eorum, qui ea ipsa, qua D. Gregorius viuebat, ætate non solum spiritum ducebant, verum etiã Pastore Sanctissimo familiarissimè vtebantur. Erant hi Ioannes, & Paulus, quorũ studia, & pietas in Gregorium notissima sunt vel mediocriter historiarum monimenta callentibus: & qui acurata, & diligenti descriptione gesta summi huius Pontificis prosequentes historiam ab eodem ipso D. Gregorio ipsis patefactam memorant in hunc modum.

Io. & Paulus Diaconi. *Anno secundo Pontificatus D. Gregorij Papæ collecta Cardinalium, & Episcoporum, & cæterorum Romanæ Ecclesiæ multitudine clericorum Ecclesiam istam, quã ad honorem S. Andreæ Apostoli in Cliuo Scauri construxerat, in qua etiam religionis rudimenta, & sanctitatis susceperat incrementa; eo, quo decuit, prout eius anima desiderabat, consecrauit honore, quam & plenariè dotauit, & priuilegijs apostolicis præmuniuit. Consecratione verò peracta, flexis ad terram genibus se Domino humili supplicatione prosternens preces fudit ad Dominum, dicens. Domine Iesu Christe fily Dei viui, qui dixisti Apostolis tuis, & per Apostolos vniuersis fidelibus Christianis. Quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis, peto ab omnipotentia tuæ maiestatis, quatenus quicunq; deinceps in huius Ecclesiæ circuitu se delegerit sepeliendum, modo fidẽ tenuerit Christianam, in perpetuum non sit incendijs mancipandus, sed potius ad æternæ vitæ gaudia sublimandus. Oratione vero completa apparuit, et Angelus Domini dicens, Gregori, exaudita est oratio tua secundum quod à Domino postulasti. Sed quia hoc poscere præsumpsisti, nihilominus & quia pro anima Traiani Imperatoris viri infedelis orandum esse duxisti scias te in hoc sæculo a corporali, quam pateris, infirmitate fore minimè liberandum, à qua si duo hæc à Domino non petijsses, liberandus procul dubio fuisses. Et certè sicut cælestis nuncij vera fuit atq; perpetua de exaudita oratione annonciatio, ita etiam infirmitatis non leuandæ cassa nequaquam extitit comminatio, nam stomachi langore, continuo dolore, continuisq; febribus licet lentis vsq; ad vitæ exitum laborauit. Hanc autem orationem, & diuinam reuelationem B. Gregorius nobis videlicet Petro Diacono, & Ioanni Diacono patefecit, quas ad scientiam posterorum nos styli duximus officio transmittendas.*

Quid à Deo petierit Gregorius.

Ergo si deprumptum ore beatissimi Pontificis miraculum ad aures nostras bene-

beneficio Ioannis, & Pauli peruenit, iurè vt diuinum colere, & reuereri tenemur pietatis, & deuotionis memores, quæ D. Gregorij monita obseruanda sunt.

Ioannes Diaconus, qui Ioannis octaui summi Pontificis iussu ad annum Christi 872. ex Apostolicis scrinijs omni diligẽtia S. Gregorij res gestas litteris mandauit, nõ ad citatos Romanos Diaconos, qui ætate antiquiores erãt, sed ad Anglos in vltimo pene terrarum angulo degentes confugiens, ab eorum Ecclesiasticis monumentis se huius historiæ cognitionem hausisse testatur, cum inquit. *Legitur etiam penes easdem Anglorum Ecclesias, quod Gregorius per forum Traiani (quod ipse quondam pulcherrimis ædificijs venustauerat)* In vita S. Greg. lib. 2. cap. 44. *procedens iudicij eius, quo viduam consolatus fuerat, recordatus,* & mox cũ narrasset reliquum historiæ, quam nos supra adduximus, fidem lectori facturus occurrit ei scrupulo, quo maxime inplicantur hi, qui huic rei aures accomodant. *Sed cum de superioribus, ait, miraculis, Romanorum sit nemo qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur, huius precibus Traiani animam ab inferni cruciatibus liberatam, ob id vel maxime dubitari videtur, quod tantus doctor nequaquam præsumeret pro pagano prorsus orare, qui 4. Dialogorum suorum libro docuit eandem causam esse cur non oretur à sanctis in futuro iudicio pro peccatoribus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impijs defunctis;* quem ipse nodum ex eiusdem Gregorij scriptis erutum dissoluens subdit. *Non aduertẽtes, quia non legitur pro Traiano Gregorium exorasse, sed tantum fleuisse; sic enim eum non orauerit Gregorius,* S. Grego. pro Traiano non orauit sed fleuit *plangendo potuit exaudiri; sicut cum Moses dolendo taceret, potuit clamasse videri. Cui dominus tacenti labijs, quid clamas inquit ad me? Nimirum Deus omnipotens corda, renesq; scrutatur, & frequenter ea misertus concedit, quæ homo quamuis vt carnalis desideret, ea tamen petere non præsumit. Vnde Psalmista. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, & desideria cordis eorum exaudiuit auris tua. Et notandum quia non legitur Gregorij precibus Traiani anima ab inferno liberata & in paradiso reposita, quod omnino incredibile videretur propter illud, quod scriptum est; Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non intrabit in regnum cælorum, sed simpliciter dicitur, ab inferni solummodo cruciatibus liberata, quod videlicet potest videri credibile. Quippe cum ita valeat anima in inferno existere, & inferni cruciatus per Dei misericordiam non sentire, sicuti vnus gehennæ ignis valet omnes peccatores pariter detinere, sed per Dei iustitiam cunctos æque aliter non valet exurere.* Traiani anima nunc à cruciatibus reddita, sed non tamen ad cælum eleuata. Et ecce apertam Ioannis Diaconi mentem, qua non modo historiæ assensus est, verum etiam quibus potuit argumentis, & rationibus eam defendit.

Alphonsus Ciaconius, qui, vt in felicem beatarum mentium ordinem Traiani truderet animam, omni labore, & industria, totiusq; ingenij sui viribus desudauit, Ciaconius. vocat in testem opinionis suæ incertum quendam vitæ beati Gregorij auctorem, quem etsi fateatur anonymum, eum tamen (vt plures antiquæ sententiæ patronos haberet) vel ex eo magni faciendum putauit, quod æqualis, & amicus fuerit Petri Diaconi, à quo hausisse se præclara D. Gregorij facta mutua consuetudine auctor ille testatur.

Plures

Plures alios insigni sanctitate, vita innocentia, & litterarum claritate nobiles theologos, & scriptores suis calculis præsentem historiam approbaße.

CAP. XVII.

VErùm ne quid ad Traiani causæ defensionem intactum relinquatur, & lectori etiam curioso satisfiat, non alienum duximus hoc loco integras reliquorum, qui Traiani felicitatis propugnatores fuerunt, sententias proprijs eorum verbis expressas consignare, quò omnis de medio tollatur dubitandi occasio, certiusq; fit de hac quæstione iudicium; ac facili negotio quilibet intueatur miram in vna, & eadem re discrepantium inter se scriptorum varietatem.

Quo tempore Hugo Aeterianus floruit. Ordiar igitur ab Hugone Aetheriano, qui à partu Virginis 1177. viuebat imperij habenas Federico primo, & Alexandro quarto supremæ potestatis clauum moderantibus in eo opere, cui titulum fecit *de regressu animarum ab inferis*. Is enim Ecclesiæ Græcorum Deo preces porrigendi ratione commotus hanc plane certissimam censuit de Traiano è gehenna ad cælos penetrante historiam, dum inquit. *Num ignoratis quid Dialogus Gregorij, cui sũmi Angeli in solennitatibus sacrificiorum famulabantur, fecerit? Hic aliquando per lapideum pontem, quem Traianus Imperator extruxerat, gradiens, modicum tardato eundi officio ex industria ardentem orationem ad Dominum pro remissione peccatorum Traiani fudit. Et continuo vox ad eum cælitus facta est, dicens: orationem tuam audiui indulgentiam Traiano donaturus. Sed tu amplius abstineas pro impijs orare*. Verùm ne hi, quos alloquebatur Hugo de re pene incredibili dubitarẽt, addidit. *Nolite quæso dicere in cordibus vestris falsum hoc, aut fictum esse. Quærite, si placet, apud Græcos, græca certe omnis testatur hæc Ecclesia. Et quamquam multorum martyrum sanguinem effuderit Traianus oratione tamen sancti viri, coactus est illum reddere tartarus alioqui implacabilior.*

Cap. 15. circa medium.

Nec ad faciendam huic opinioni fidem Vincentij Belloacensis testimoniũ desiderari potest, qui in historiali parte lib. x. cap. 48. hæc scripta reliquit de Traiano principe loquens. *Statua eius in foro Traiani in hoc habitu posita est repræhesentans quo modo in expeditione positus viduam liberauit. Quod beatum Gregorium postea mouit ad compassionem. Vnde & pro eo tantum ploraße dicitur, vt animam eius ab inferno obtinuerit liberari*. Sed priusquam cæterorum vota persequar iuuat in præsentiarum ponere, quemadmodum hanc de Traiani beatitate historiam in p. 2. historiarum cap. 3. tit. 12. §. 8. enarret nunc conciuis beatorum Antoninus in re nõ leui ab cæteris, quos adhuc retulimus, discrepans. Etenim cum de D. Gregorio Magno ageret. *Legitur*, inquit, *quoq: de eo, quod omnia mirabilia superat, quia scilicet cum quadã vice transiret per forum Traiani recolens humanitatem illius, & æquitatem, quam exercuit erga viduam, cuius filium Traiani filius equo discurrens occiderat, propter quod filium suum Traianus in adoptiuum concessit cum maximis diuitũs, eius*

Vincentius Belloacensis.

S. Antoninus.

compa-

compatiens damnationi, quia gentilis defungitur, intrans basilicam B. Petri pro eo ingemuit, & orauit. Cui diuinitus est responsum. Ecce petitionem tuam compleui, & Traiano pœnam æternam peperci. De cætero diligentissimè caueas, ne pro aliquo damnato petitionem fundas. Postremò subtilitate theologica rem hãc, quo modo peragi potuerit, expendens, eam amplectitur opinionem, quæ docet Traianum e gehenna liberatum reuixisse, & sacro baptismi Sacramẽto ritè initiatum, iustisq; operibus ornatum postea beatitatem obtinuisse. Traianus reuixit & sacro baptismo bonisque operibus æternam nactus salutem.

Iisdem pene insistens vestigijs B. Vincentius ordinis Prædicatorum non absimilia tradit in eo sermone, quem de laudibus, ac meritis D. Gregorij habet. *Dicatur hic de Traiano Imperatore infideli, sed iusto morali iustitia; dicatur hic de strictissima iustitia, quam fecit idem Imperator de filio suo, qui cum equo interfecißet filium mulieris vetulæ. Et ecce hanc iustitiam, & historiam Romani depinxerãt in quadam domo, in quã cũ ingressus fuisset B. Gregorius, & cõtemplaretur gloriam Paradisi, & pœnas inferni, & vidisset dictam historiam depictam, orauit Dominum dicens. O Domine & tanta iustitia erit in inferno, & quia sciebat ipsum esse in inferno, non audebat simpliciter dicere. Domine liberetis eum ab inferno, sed flens dicebat o Domine & tanta iustitia istius Imperatoris damnabitur? & sic tacite eius liberationem petiuit. Et Angelus Domini locutus est ei dicens, Gregori obtines pro Traiano, numquàm tamen de cætero ores pro dãnato, sed exorasti ideo patieris dolores in corpore,* & paulo post. Ait. *Habemus dicere, quod Angelus Domini deduxit animam Traiani ad eius corpus & suscitatus est, & beatus Gregorius ipsum baptizauit.* Vide, & agnosce qui legis, beatissimi martyris studium, qui tacite ei difficultati occurrens, quæ sequi hinc videtur, neu:pe lethalis culpæ reum esse, qui pro damnatis orat, ait, Gregorium non supplicasse Deo pro salute Traiani, sed tantum fleuisse, ac lachrymis quodammodo implorasse auxilium, quo eum è sceleribus, & tartaro liberaret.

Quod ad insignem Traiani iustitiam attinet, qua ius viduæ dixit, SS. Antonini, & Vincentij sequitur vestigia Bernardinus Corius in vita Traiani, quę ad historiam Mediolanensem Italice impressam adiecta eodem volumine habetur; sed miraculum hoc loco minime reticendum addit, quo velut motore arbitratur inflammatum S. Georgium ad preces pro anima Traiani e inferni tormentis liberanda Deo effundendas. Res, vt ille patrio idiomate scripsit, latinitate donata sic habet. Decursis ab obitu Traiani 492. annis. Ab excitantibus e fundamentis sepulchrum cranium humanum repertum est integra velut viuentis hominis lingua ornatum, quod portenti loco delatum ad Gregorium Pontificem, & diuino interposito nomine interrogatum, cuius alias fuisset, fatetur Traiani se cranium fuisse Imperatoris, cuius anima ad eam vsq; diem miserrimè gehennali vrebatur incendio. Pontifex in magnam admirationem ductus ac gnarus Traiani probitatis, & in subditos iustitiæ permixtas lacrymis preces ad Deum pro eo fudit, suiq; voti compos factus est, Deo concedente. Corius quid de Traiano scripserit.

Ioannes Viguerius in historia ab Sanctis Antonino & Vincentio non dissentiens eam in medium profert, ac si à D. Damascheno ita scriptam, ac posteritati commendatam reperisset. Ait enim. *Si verò allegetur historia Traiani, quam idem Damascenus in eodem sermone narrat, & dicit, quod D. Gregorius videns iustitiam Traiani de filio suo, qui equitans occiderat filium viduæ, orationem pro eo fudit, audiuit vocem sibi diuinitus dicentem.* Sic ille, qui deinceps historiæ aquiescens, & adhærens Angelico Doctori ostendit, Traianum Instit. Theol. de Sacramento Pœnit. vers. 34. de inferno damnatorum.

non fuisse sententia, vt aiunt, finali ad gehennam destinatum, sed secundum præsentem iustitiam duntaxat. Ab Viguerio planè stetit Clemens Monilianus Aracæli Cardinalis in theologicis institutionibus de Sacramento pœnitentiæ cap. 43. Nunc Episcopi Abulensis votum audiendum, qui præsentem enarrans, probansq; historiam rem ab alijs minimè proditam, scituq; dignā addit his verbis. *Erat iudex rectissimus, & seuerus contra suos. Vnde Gregorius semel transiens apud aulam eius iam mortui à multis annis compassus est animæ eius propter seueritatem iustitiæ, & orauit, vt liberaretur à pœnis suis, & dicitur, quod audiuit responsum Gregorius se esse exauditum & tamen deinceps, quod non oraret pro aliquo damnato, & quod in pœnam datum est ei, quod aut duobus diebus maneret anima sua in purgatorio, aut quandiu viueret langoribus grauaretur, elegit autem continuam ægritudinem, vnde postea numquam fuit sanus, sed interdum podagram acerbissimam, interdum vero stomachi dolorem pateretur, ita ut infelix vita esset sibi mors quotidiana.* Bartholomæus Medina de pæna Sācto inflicta idem tradit. Sed de his hactenus, nunc deinceps annotatis duntaxat nominibus eorum, quos maximè illa delectat opinio, non conabor eorum referre verba, quòd ea nihil ab iam recēsitis opinionibus diuersum alioqui obseruatione dignum nobis suppeditant. Nam cum cæteris consensit Sigebertus Monachus Gemblacensis in chronico suo egregia Magni Gregorij facinora enarrans, Gottifredus Viterbiensis in parte 15. Panthei. Sixtus Senensis bibliothecæ sanctæ lib. 6. annotatione 47. omnia ab Angelico Doctore mutuatus. Philippus Bergomensis libro x. Chronicorum Italicè impressorum. Stella in historia Pontificum. Nec diuersi abeunt insignes theologi Durandus, Riccardus de media Villa in 4. sent. dist. 45. Gulielmus Antisiodorensis lib. 4. tract. 14. capite de damnatis versiculo. Qualiter possit sustineri opposita opinio, obiectione 4. Bartholomæus Medina 3. p. quæst. 52. ar. 6. quamuis in temporum supputatione aliorum Chronologias secutus manifestissimè errarit D. Damascenum ætate superiorem Gregorio Magno credens. Martinus Nauarrus de oratione cap. 22. Miscellaneo 13. vbi Ciaconij opinionem, quam habuit pro suo sempiterno Traiani effusis omnibus eloquentiæ & ingenij sui viribus, commendans vt nimis audacem reprehendit Melchiorem Cano, quôd fabulam, & cantilenam dixerit hanc esse de anima Traiani quæstionem. Fauet ad extremum Ioannes Maria Catanæus in Commentarijs ad Panegyricum Traiano dictum, dum inquit.

Sane Traianus fuit admirabilis, cuius virtutes D. Gregorius scriptis recognoscens precibus à Deo illi cælestem vitam impetrasse traditur.

Clemens Monilianus.

Quarto Regum cap. 4. q. 57.

Optio S. Gregorio oblata, quodnam pœnæ genus pati vellet.

Medinæ error de tēpore quo floruerit S. Damascenus.

Nauarrus Melchiorem Cano reprendit.

Allatam

Allatam de erepta è tartareis cruciatibus Traiani anima historiam inanem, & commentitiam euinci ex perpetuo Antiquorum Romanæ historiæ scriptorum silentio.

CAP. XVIII.

HAnc nihilominus tot scriptorum suffragijs firmatam opinionem nonnulli dubiam, alij commentitiam, alij anilem fabullam appellauerê, & licet hi superioris sententiæ patronis numero pauciores sint, tamen pondere rationum, quibus nituntur, cæteris præstant omnibus. Quorum ego sententiæ libenter subscribo. Qui in dubium hanc historiam vocant, est Dominicus Soto, qui libro quarto senten. dist. 45. q. 2. a 2. de animabus æterno gehennæ igni addictis agens inquit. *Sed tamen primum omnium profectò de historia Traiani diffiteri non possum, mihi fieri creditu durissimam, quoniam, vt supra diximus, certum est, peccatum esse mortale orare pro damnatis. Quo modo ergo Gregorius hoc ignorasse potuit? quod si non ignorauit, quo modo secus fecit?* Nõ absimilia tradit Abulensis, qui etsi, vt vidimus, asserenti sententiæ adsit, tamen cõmotus re hac inusitata, & consuetudo diuinę prouidẽtiæ ordini cõtraria, fas vnicuiq; arbitratur eã inficiari, cũ pleraq; in vitis sanctorũ falsa, & commentitia nonnumquã reperiãtur, qualis esse potuit hæc de Traiano historia. *Et si vellemus negare,* ait Abulẽsis, *Traianũ fuisse saluatũ precibus B. Gregorij, non esset valdè incõueniens, quia istæ vitæ sanctorum quamquam in Ecclesia legantur, tamen non approbat eas omnino Ecclesia, quia pro diuersitate locorum à multis gesta sanctorum conscripta sunt, qui potuerũt in ijs ex ignorãtia, vel aliàs aliquid erroris admiscere, & sic possumus liberè negare, si volumus; Sic patet in decretis distinctione decima quinta, capite Sancta Romana, & maximè quia asseritur contra legem communem.*

Dominicus Soto. — Orare pro dãnatis lethale crimen est. — Quarto Reg. c. 4. q. 37.

Liberior in deregendo suæ mentis consilio fuit Melchior Cano magnæ facundiæ Episcopus, qui in erudito illo opere, cui titulum donauit de Locis Theologicis, non immerito demiratur, qua ratione facinus adeò egregium proprium latinæ historiæ ad aures Græci Patris duntaxat peruenerit, latinis scriptoribus illud planè ignorantibus. *Nec verò, ait, historiam ego illã probo: mirum enim est, hominem Græcum* (nẽpe D. Damascenum) *rem & nostram, & toto vt ipse inquit, orbe vulgatam græcis suis prodidisse, quam historia tamen omnis latinorum ignorat.*

Lib. 11. de locis Theolog. c. 2.

Purpuratorum Patrum duo reconditæ eruditionis & doctrinæ hoc nostro tempore meritò laudatissimi Cæsar Baronius, & Rupertus Bellarminus hanc historiam, vt inane commentum explodunt; ille enim ad annum Christi 604. res Gregorij Sanctissimi Pontificis memorandas enarrans hæc scripta reliquit. *Scimus commentum istud non inter aniculas tantum, vulgus iactatum, sed theologorum recentiorum fermè omnium ore versatum, eorum aliqui-*

Tom. 8. annal.

bus affirmãtibus Traiani animam precibus S. Gregorij ab inferis reuocatam, alijs verò negantibus, & post, subdit, *vt sit planè dolendum in his vniuersam occupatam diu tantam scholam theologorum scholasticorum. Quos quidem in primis excussatione dignos quisq; putarit &c.* Hic verò de scriptoribus Ecclesiasticis anceps hæret, an oratio illa pro mortuis habita, quæ inter D. Damasceni opera numeratur, sit eidem ascribenda ob hanc maximè de Traiani anima narrationem, quam fabulosam arbitratur, dum inquit. *Oratio de ijs, qui in fide migrarunt scrupulum iniecit, quia narrat Falconillam precibus primæ martyris & Traiani animã precibus S. Gregorij Papæ ab inferni supplicijs liberatas, quæ narrationes falsæ videntur, & fabulis similiores, quàm historiæ.* Quod etiam latius tomo primo controuersiarum, dum de purgatorio ageret lib. 2. cap. 8. repetit, falsam esse historiam illam apertè fassus, ac negans eam orationẽ D. Damasceni fuisse partum. Sequitur eandem opinionem Franciscus Suarez 3. p. q. 52. a 8. disp. 43. sect. 3. cum alijs pluribus nostri æui scriptoribus, quam spero alijs gratiorem, ac communiorem futuram postmodum, vbi relicta hac, qua nunc crescit, nouitate, antiquitate, limatiorisq; ingenij fautores, & patronos celebriores nacta fuerit.

In Damasceno.

Tom. 2.

Cæterum quô huius opinionis veritas, quæ multis iam decursis seculis in caligine iacuit, clarior euadat, doceamus hoc loco opus est, quibus ea nitatur fundamentis, vt agnito eorum robore nullus deinceps hallucinetur. Mendacem autem illam esse de vidua narrationem, quę Traianum ad bella proficiscentem ad ius dicendum in itinere appellarit, certo cuilibet esse potest argumento, quod nullus veterum scriptorum, qui res Traiani exquisita solertia consectati sunt, rem adeò insignem, æternaq; memoria dignam, dignam eo principe, quem laudibus ad astra tollebant, ne per suspicionem attigerit vnquàm. Dio Cassius suæ tempestatis scriptorum celeberrimus, cum multa de Traiano laude dignissima memorasset, hoc ne somniasse quidem dignoscitur.

At si dicat Ciaconius, Dionem in Hadriano hanc litteris mandasse historiam, erroreq; deceptum Hadriano id assignasse, quod erat Traiano ascribendum. Amicè rogarem quo loci in Hadriano eam narrationem legerit quam in initio suæ apologię memorat. Mihi quidem non plane oscitanter Dionem in Hadriano legenti hæc duntaxat obuiam data sunt. *Neq; succensebat vnquam si qua in re præter opinionem vel à plebeis hominibus iuuaretur. Nam cum ei mulier forte occurrisset in via, ab eoq; vt se audiret, contenderet, quamquam primo sibi esse otium negauit, tamen vbi mulier ita clamare cæpit. Noli igitur regnare, conuersus libenter eam audiuit.* At longę diuersum esse quod Traiano, & quod Hadriano accidisse contendit Ciaconius non alium testem, quam eundem ipsum appello: vbi enim in allata Dionis auctoritate Dacicæ expeditionis, vbi properantis exercitus, vbi Patrum comitatus mẽtio? nam quæ de Hadriano scripsit Cassius magis deambulatione relaxãtis, quam ad bella properantis Traiani, seu Hadriani signa esse ipsa testatur auctoritas. Tum quis credat rem ad commendandam Traiani iustitiam cęteris omnibus præstãtiorem in transcursu perstrinxisse Dionem, si ei in via occurrens mulier grauissimum illud homicidij scelus narrasset, cum pluribus recensere etiam Traiani leuiora soleat. Subinde non æquo animo ferrendũ, historico grauissimo, cuius auctoritatis non exiguum pondus est apud omnes, vel erroris, vel negligentiæ, vel incompertæ veritatis crimen inferre.

Sed rursum audiamus, quo effugio argumenti vim conetur eludere: ait enim,

enim, fieri potuiſſe, vt cum integra, quæ nunc deſideratur Dionis hiſtoria, Traiani facinus deperierit, vel in præteritis relinquerit in ſuo epitome ex Dione Xiphilinus breuitati ſtudens: vel hoc vt pleraq; alia ſcitu, memoratuq; digniſſima Dionem latuerit, quale illud eſt, quod de Traiano Plinius memorat, aſſerens eũ ex vniuerſis gentibus populo Romano ſubiectis iuuenum quinq; millia elegiſſe, vt ij virtutibus, atq; liberalibus artibus informarentur, in quas eorum animus natura duce inclinaſſet. At hoc inane effugium eſſe quis etiam ſi minus videat, non videt tamen; non enim vera docentis, ſed temerè diuinantis ea eſt cogitatio: quo enim auctore aut in Dionis hiſtoria iudicium, quo Traianus viduam iuuit, conſignatum olim fuiſſe, aut prætermiſſum à Xiphilino in ſummam Caſſium redigente aſſerit Ciaconius? Cæterum quod vltimo loco finxit, næ in ipſum maxime pugnat, pari enim labore, & æquali diligentia in panegyrico Traiani iuſtitiam, quam in occiſores filij viduæ exercuit, ac illud de ſelecta nobilium iuuentute, quod Dio reticuit, rectè geſtorum ſeriem texens celebraſſet Plinius, ſi ei per veritatem in Traiani geſtis, & laudibus hoc ponere licuiſſet. Ergo cum ſolertiſſimus auctor, amicus, Traianiq; laudũ ſtudioſiſſimus nullam tantæ rei prorſus mentionem fecerit, frigidum planè commentum id fuerit, neceſſe eſt, de quo diſputamus.

Quare fruſtra ad idem demoliendum opinionis noſtrę fundamentũ tertio reſpondet Ciaconius, id nullius eſſe virtutis, quippe quod ab auctoritate, vt aiunt, negatiua trahatur. Nam in ijs, quæ ſunt facti, hoc eſt, de quibus dubium oritur, facta fuerint nec ne, tantum ſemper valuit id argumenti genus apud omnes, vt leuis corde, cum ſapiente ſit appellandus, qui ſine probatorum ſcriptorum teſtimonio, citò credat, præſertim ſi ab auctoritate negatiua non vnius, aut alterius, ſed omnium, qui de ea re ſcripſerunt, ducatur argumentatio, vt in re noſtra accidit.

Quod ni ita eſſet, protinus conſequeretur, fas vnicuiq; eſſe qualibet ſomnia, & mendacia commentari, & ea velut, ac ſi heroicis contigiſſent temporibus, proferre in medium, ex quo veritas in extremum diſcrimen vocaretur. Quocirca fidenter dixerim, non minus irridendum eſſe eum, qui de rebus ad hiſtoriam pertinentibus agens ſine probati auctoris teſtimonio ediſſerit, ac ex ſibillandum Cæſarei, aut Pontificij iuris peritum, qui ſine lege loquitur. At cum ſexcenti, & eo amplius anni fluxerint (tot enim numerãtur ab ortu Traiani, qui anno ab Aſcenſione Saluatoris ad cælos quinquageſimo quinto lucem aſpiciens duos & ſexaginta annos natus exceſſit, ad tempus, quo hæc fabula cæpit euulgari) in quibus floruerunt tot inſignes & diligentiſſimi ſcriptores, qui Cęſarum geſta conſcripſerê, qua ratione rei omnem planè admirationem euincenti offuſa ſempiterna nox fuit? quaue ſubſequentium temporum felicitate e tenebris educta eadem Dioni, Xiphilino Plinio, & cæteris ignota veritas cæpit apparere mortalibus? *Traianus quot annis & quo tẽpore vixerit.*

Non ignoro, vt ſcripſit Sextus Aurelius Victor. Traianum ob varios titulos ædibus inſcriptos herbam Parietariam ab Conſtantino Cæſare appellari ſolitum, at in illis omnibus nulla planè inclytę alioqui huius iuſtitiæ mentio, nulla prorſus memoria viget. Extant apud Adulphum Occonem numiſmata, inſcriptiones, triumphales arcus, & ea omnia, quibus olim Traiani nomen, & famam immortalitati Senatus, Populuſq; Romanus commendarunt. Extant & apud Onuphrium Panuinum virum de Romanorum antiquitate optimè meritum, quos ille diligenti ſtudio collegit, tituli omnes, *In Conſtantino.* *Onuphrius Panuinus.*

& honorificæ de Traiano inscriptiones in commentarijs in secũdum librum fastorum, quas si veritatis amans lector adibit, meditabitur, ac perleget, nobis non poterit non assentiri, illis nihil omnino de re hac insigni innuẽtibus; cum tamen hi, quibus oppositum placet, vel in marmore scriptã, vel in ære sculptam ea de re olim fuisse historiam fateantur. Amianus Marcellinus in Constantino, & Iuliano, cum non vno in loco de Traiani gestis pro instituti sui ratione pleraq; perstrinxisset, mox de eiusdem fori amplitudine, & admirabili structura dicturus hæc de Constantino habet. *Verum cum ad Traiani forum venisset singularem sub omni cælo structuram, vt opinamur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos. Omni itaq; spe huiusmodi quicquam conandi depulsa, Traiani equum solum locatum in atrij medio, qui ipsum principem vehit, imitari se velle dicebat.* Vides ab Marcellino descriptam nobilem columnam, quæ olim vna cum Traiani simulachro desuper collocato in foro sita erat (huc enim tendunt verba illa per giganteos contextus) vides equum eiusdem Imperatoris ibidem conspicuum velut alterum miraculum ab Ammiano celebratum, at viduæ fabellam cur nõ vides ei pariter cognitam?

Hist. lib. 16.

Traiani fori maiestas.

Sed quid mirum hanc ignotam Marcellino aliud agenti, inauditam Spartiano, & Tacito, qui de Traiani gestis aliqua obiter assecuti sunt, cum ea pariter latuerit eos, qui ex instituto Traiani gesta perscrutati sunt. [a] Sextum Aurelium Victorem loquor, [b] Ioannem Baptistam Ignatium, [c] Eutropium, [d] Cæsariensẽ Eusebiũ, [e] Nicephorũ Calixtũ, [f] Suidam, Ioannem Rioche, vt interim omittam cæteros posteriores, quorum nomina recensere nimis longum esset.

[a] In vita Traiani.
[b] Romanor. Princip. lib. 1.
[c] Lib. hist. Misc.
[d] In Chro. & hist.
[d] lib. 3. cap. 25. & alibi.
[e] In hist.
[f] Verbo Traianus

Quod ad vltimam historiæ, siue verius fabulæ partem spectat, qua nobis aduersantes D. Gregorium pro Traiani salute Deum exorasse ferunt, aliud commentum esse opinamur, cum simili silentio vsi sint non pauci re, & nomine magni scriptores, Anastasius Bibliothecarius, Paulus Diaconus, Marianus Scotus, Ado, Beda D. Gregorij studiosissimus, Luitprandus de vitis Pontificum, Albo Floriacensis, Platina, Onuphrius Panuinus, & complures alij, qui Gregorij Magni vitam litteris consignarunt, præter illos, quorum nos votis innixi nostræ opinionis iecimus fundamenta; in quorum sententiã discessit Ioannes Rioche in compendio temporum, & historiarum ab eo tẽporis spatio, quo Saluator noster ad cælos ascendit, ad nostram vsq; ætatem dum inquit. *Vnde quod à quibusdam de eius oratione pro Traiano damnato fertur, quod in punitionem eam infirmitatem passus sit, suis non conuenit dictis, quod tota vita assiduas habuisset, nec ea historia certa, vel autentica censetur,*

Ex Traiani moribus, & ex Sancti Gregorij Magni scientia, & decretis aperte colligi figmenta esse quæ à pluribus vera censentur.

CAP. XIX.

CAeterum vt ex visceribus causæ argumenta pro opinione nostra ducamus, in perscrutandis Traiani moribus, quales fuerint, nonnihil hoc loco immorandum est; ex hac enim indagine facile vnicuiq; erit iudicium; num adeo illustris scientia, & sanctitate Pontifex pro Traiani salute Deum potuerit deprecari. Et quidē probatæ fidei scriptoribus, qui fidem abrogare nolit, is Traianum commodis preditum fuisse moribus primo intuitu fateatur necesse est. Dion enim Cassius patria Nicenus Traiani vitam expendens ait. *Qui iustitia, fortitudine, bonitate omnes longe antecelleret*, & paulo post. *Traianus nulli inuidebat, perdebatq; neminē, bonos omnes ornabat honoribus, & dignitatibus augebat. Ex quo fiebat, vt neq; timeret eorum quemquam, nec haberet odio. Nullam fidem habebat caluniatoribus, nullaq; ira tenebatur, abstinebat ab aliena pecunia non minus, quàm ab iniquis cædibus*. Et posteaquam in eum omnes laudes, quæ iustum Principem decent, congesserat, subdit. *Cuncta in eo viro optima, atq; præstantissima erāt*. Dionis sententiæ adstipulantur reliqui omnes, qui de Traiano egerunt scriptores. Ioannes Baptista Ignatius lib. de Romanis principibus, Sextus Aurelius Victor, Ioannes Rioche, ac cæteris antiquitate illustrior in suo Panegyrico Plinius, quorum vota publicis illis acclamationibus illustrātur, quibus nouo Principi orbis imperium capescenti Augusti felicitatem, & Traiani bonitatem Senatus, populusq; Romanus adprecabantur. Lib. 68. in Traiano.

Cæterum vt hæc scitè dicta, ac veraciter scripta esse non repugno, sic nulla arbitror ratione inficiandum, Traianum hasce morales virtutes execrandis adeò vitijs obliterasse, vt ei nulla veræ virtutis laus superesse possit. Audi quid egregius Traiani laudator Cassius scribat. Nam allato de Traiani vitæ integritate testimonio subdit. *Nihil omnino erat, quod optimè non exerceret. Vini duntaxat appetens, & in adolescentulos pronus citra calumniam habitus est, vt pote qui numquam ex eo turpe, aut mali quidquam effecerit. Nam qui vinum vsq; ad satietatem biberet, sobrius tamen erat, neq; in crimen prægrauante vino prolapsus est, & in masculorum amoribus ita sibi temperauit, vt nihil per vim, dum voluptati obsequitur, moliretur*. Super quibus Cassij verbis hęc dininè Baronius. *Vides Dionem tantum abesse, vt calumnijs agat liuore percitus, vt eundem plus æquo excusare studuerit, cum non nisi volentibus abuti consueuerit? Egregiā verò laudem si volentes tantum (proh pudor) pueros habuerit indelicijs, quasi reperiri posset, nisi forte Christianus, qui non in omnibus assentiretur Imperatori. Quis non absq; culpa, vel pœna prestare se putaret, quod tam bonus peteret Imperator?* Enim vero nefario hoc scelere pollutum Traianum Lib. 8. in Traiano. Tom. 2. Annal. ad annum Christi 604.

Aelius

Aelius Spartianus etiam prodidit asserens eo intemperantiæ prolapsum, vt Hadriano Consobrini filio, nepotiq; suo non parceret. Huc enim illius de Hadriano loquentis verba spectant. *Fuitq; in amore Traiani nec tamen ei per pedagogos puerorum, quos Traianus impensius diligebat Gallo fauente defuit.* Quid plura? Iulianus ipse Apostata prępostere libidini indulgentem Traianum carpens, censuit eum non potuisse in Deorum conuiuium tutò recipi, ne solitę artis tenax aliquid moliretur, quod in terris assueuerat. *Cum Traianum*, inquit Iulianus, *conspicatus Silenus, quamuis submissa voce loqueretur, intelligi tamen volens hæc verba protulit. Hoc tempore maximè summa cura, & diligentia est adhibenda Domino Ioui, quò illi custodiatur Ganymedes.* Certe largioribus potationibus deditum Cæsarem Aurelius Victor non reticuit ex crimine laudem colligens. *Quin etiam vinolentiam, quo vitio vti Nerua angebatur, prudentia molliuerat, curari vetans iussa post longiores epulas.* Sic ille, qui in Theodosio ea habet, quæ, meo iudicio, inuolutè innuunt, quod Dionē, Aeliū, & Iulianum palam vidimus tradidisse. Etenim Theodosium Traiano conferens ijs imunem fuisse criminibus, quibus Traiani vita obnoxia erat, his verbis loquitur. *Illa tamē, quibus Taianus aspersus est, vinolētiam, & cupidinem triumphandi vsq; adeò detestatus est, vt bella nō mouerit, sed inuenerit; prohibueritq; lege ministeria lasciua, psaltriasq; comessationibus adhiberi tantum pudori tribuens, & continentiæ, vt consobrinarum nuptias vetarit tamquam sororum.* At quorsū ista de ministerijs lasciuis, atq; temperantiæ legibus in re præsenti, ni incontinentiæ vitio irretitum Neruam nouisset Victor, quod planè oderat Theodosius. Hæc si solo veritatis agnoscendæ studio permotus Ciaconius mente percurrisset, næ ille Cassium Nicenum virum eloquentia insignem liuore percitum, cum ea, quæ de Traiano vidimus, historię mādauit, immeritò notasset, cum non Gręci solum huius scriptoris, cuius historiæ omnes plurimum deferunt, sed etiam Latinorum auctorum, qui mentiri turpissimum esse duxerē, concors fuerit sententia. At huiusmodi criminum patratores sempiternæ Dei iræ obnoxios esse ignis in sceleratissimas olim Ciuitates e cælo missus argumentum est, vt latè ad Romanos probat Apostolus.

Vid. Baronium anno Christi 604. nu. 33.

In parte altera hist. abbreuiatæ.

In Theodosio.

Cap. 1.

Nullum autem operæ pretium fuerit referre hoc loco stragem miserrimā Christianorum, quam bestijs ipsis immanior Traianus tractu nouendecim annorum edidit nullo discrimine in vtrumq; sexum sæuiens, ac passim, & vbiq; sanguine innoxio ita irrigans terram, vt fas esset gentilibus, omnes, qui in Christianam militiam nomen dedissent, è medio pro sua voluntate tollere. Quid? an non ille ipse parta iam ex hostibus victoria Christianos milites, quos ante relegarat, exercitum lustrās morti tradidit? adeo enim idolorum cultui erat addictus, vt nihil sanctius ei visum vnquam fuerit, quam omnia suppliciorum genera in Christi fideles experiri.

Traianus in Christianos crudelis.

Sed in aperienda inexplebili Traiani cupiditate Christi martyrum effūdendi sanguinem haud multis opus est, cum Sanctæ Matris Ecclesiæ martyrologia eos, qui pro Saluatoris nostri nomine gloriosissimè occuberūt, enarrent, ac diligentissimus scriptor rerum ad martyrum trophæa spectantium Cęsar Baronius tom. 2. ab anno Christi 100. vsq; ad 120. solita solertia, & eruditione memoret. At cum hæc nulla tergiuersatione latuerint Gregorium, qui vt preclara illius monimenta testantur, diuinarum, humanarumque rerum peritissimus fuerat; quo iure, quoue prætextu, vel lacrymasse, vel litasse, vel preces effudisse potuit pro illius anima, quæ nefandissimis polluta

luta sceleribus è viuis ad tartarum recessit? Num Gregorio illa patiētissimi Iob sententia mente exciderat. *Sicut consummitur nubes, & pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet*; quo in sensu celebris illa Ecclesiæ sententia intelligenda est. *In inferno nulla est redemptio*. An ignorabat vir sacrarum litterarum consultissimus, ibi futurum esse lignum, quo caderet siue ad Austrum, siue ad Aquilonem. An æternas esse damnatorum pœnas nondū ex Euangelicis decretis didicerat? *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. An ad illius aures nondum peruenerat illa Ioannis sententia. *Diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis, & sulphuris, quo & bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte in secula seculorum*. At quis Gregorio Doctior? quis in Diuinis eloquijs cognoscendis peritior?

Iob 7. Eccleliast. cap. 11. Matth. 25. Apoc. 20.

Decantatum est apud catholicos decretum solas eorum animas suffragijs viuorum posse iuuari, quę in purgante igne post obitum degentes inter cælites referendę sunt, postquam diuinæ iustitiæ satisfecerint perpessione pœnarum, quas iusto Dei iudicio patiuntur, cæteris autem, siue in celo beatam vitam agant, siue in tartaro supplicijs æternis torqueantur, nihil omnino viuorum suffragari orationes, vt auctor est Augustinus. *Est enim quidam viuendi modus nec tam bonus vt reijciat ista post mortem, nec tam malus vt ei non prosint ista post mortem*. Ecce eos, qui in purgatorio commorantur. *Est verò talis in bono vt ista non requirat*. Ecce beatorum felicitatem, *Et est rursus in malo, vt nec ijs valeat, cum ex hac vita transierint, adiuuari*. Et ecce miseram damnatorum conditionem, sic Augustinus qui statim addit. *Cū ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunq; eleemosinarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis propitiationes sunt: pro valdè malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, qualescunq; viuorum consolationes sunt*; quid autem ista B. Augustini sententia in valdè malos gentiles in gehenna detentos, qui nullo sacri baptismatis charactere insigniti sunt, potiori ratione militet, non est cur moneam. Atqui in hoc vt in cæteris placitis, quæ catholicæ religionis fundamenta sunt, ab Augustino stetisse Gregorium illa eiusdem testis est sententia. *Qualis quis hinc egreditur, talis in iudicio apparebit*: Cur nō ergo gehennali in æternum nō torquendus incendio Traianus, qui moriens ad idem recta properauit supplicium? Cur ad preces fundendas se contulisse arbitrabimur Gregorium, qui cum grege damnatorum in extrema iudicij Die Traianum coram Christo sisti oportere docuerat?

In Enchor. cap. 19. Quibus mortuis sacrificia prosint. In cap. Quali 25. dist.

An fortassis pro æterno Traiani præmio fusæ preces censendę sunt traditæ olim à se doctrinę censura, & retractatio? at quis etiam insanus hæc somniare audebit, quod à Gregorianis scriptis, & sentētijs planè conuincitur alienum, in quibus omnino affirmate decernit, pro impijs ad gehennam damnatis interdictum fidelibus, ne orent? *Eadem*, inquit, *causa est, cur non oretur tunc, scilicet post diem iudicij pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc causa est, vt non oretur pro Diabolo, Angelisq; eius æterno supplicio damnatis, quæ etiam nunc causa est, vt non orent sancti pro hominibus infidelibus, ipsisq. defunctis: quia de eis vtiq. quos æterno damnatos supplicio iam nouerunt, ante illum iusti Iudicis conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt*. Et sapiēns quispiam arbitrabitur in re apertissima repugnantem sibi fuisse Gregorium? qui vsq; adeò hanc, quam illi imponunt prioris opinionis defensores, auersatus est opinionem, vt etiam arbitretur errorem

Lib. 34. moral. cap. 12.

asserere

asserere à Christo, dum ad inferos se contulit, ereptos è tartareis cruciatibus illos, qui in infidelitate decesserant. Clara est eiusdem Gregorij epistola ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ presbyterum Georgium, & Theodorum Diaconum, in qua post allatum Philastrij, & Augustini iudicium, quo decernũt, hæreticos esse, qui peccatores omnes, qui in inferno Christum Deum confessi sunt, nactos esse salutẽ aiũt, subdit. *Hæc itaq; omnia pertractantes nihil aliud teneatis, nisi quod vera fides per Catholicam Ecclesiam docet, quia descendens ad inferos dominus illos solummodo ab inferni claustris eripuit, quos viuẽtes in carne per suã gratiã in fide, & bona operatione seruauit. Quod enim per Euangelium dicit. Cum exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipsum, omnia videlicet electa. Nam trahi post mortem non potuit, qui se à Deo malè viuendo separauit.* Sic autem vixisse Traianum sępè diximus, vt longissime à Dei amicitia distaret. Ergo fieri nulla ratione potuit, vt S. Gregorius id à Deo impetrãdũ sibi assumeret, quod apprimè nouerat diuina iustitia neq; Christo ad inferos descendente factum esse. Non enim humani suffragij participes esse possunt, qui in gehenna existentes nullo charitatis qua inuicem mẽbra Christi fiunt, vinculo viuentibus annectuntur, sed odio immortali suum creatorem prosequentes mente, & qua melius valent ratione, iugiter in eum blasphemias iaciunt. Postremo cum crimine non vacet id à Deo poscere, quod non nisi fractis consuetæ Dei prouidentiæ iuribus, posśit obtineri; stetq; firma Dei sententia, vt his, qui ex hac vita migrarint peccatorum sordibus infecti, nulla diuinæ miserationis spes affulgeat in æternum, non potuisse Gregorium hæc omnia scitè callentem orare pro Traiano, quis adeo rudis est, qui non videat?

Lib 6. epist. 15. ind. 15.

Ioan. 12.

Verùm quia non me præterit posse eos, quibus contraria arridet opinio, respondere, ex allatis D. Gregorij sentẽtijs non tolli, quo minus diuino numine afflatus Pontifex eripi postularet Traiani animã ad inferis, etsi id cõsueto diuinæ prouidentię ordini, & traditæ alias à se doctrinæ repugnaret, cum innumeris experimentis constet, singulari Dei priuilegio, & afflatu sępè ad id moueri, vel etiam non inuitos trahi homines sanctitate conspicuos, quod fieri communibus naturę legibus repugnat. Etenim scienti sacras litteras clarum est. Abrahamum diuino iussu ad litandum Isaac filium festinasse: Samsonem domus excidio sibi, ac Philisteis consciuisse mortem: ad preces Eliæ celesti igne absumptos milites centum: Sanctum Marcum sibi amputasse pollicem, vt sacerdotio reprobus haberetur; ac Virginem Apolloniam, (vt infinita propemodum diuina huius generis exẽpla omittamus,) se se in ignem coniecisse: At sibi, filijs, vel proximo necem inferre, aut amputare membrum & lethali crimine non vacat, & naturæ iuribus aduersatur: At quis facta illa Abrahamo, cæterisq; in crimine nefario ponere audebit? cum ea diuino insufflante spiritu acta esse dignoscãtur communi assensu? Hoc nempe est quod solita subtilitate, & diuina prorsus scientia tradiderat Augustinus lib. de cura pro mortuis agenda dum ait. *Alij itaq; sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum, alia sunt quæ naturaliter, alia, quæ mirabiliter fiunt, quamuis & naturæ Deus assit, vt sit, & miraculis natura non desit;* hoc igitur eodem impellente spiritu vt ab implacabili tartaro erueretur Traiani anima Sanctus Pontifex efflagitauit.

Sanctos nonnunquam id egisse, quod communi legi videbatur oppositum.

Cap. 16.

Cæterum facillimus erit vnicuiq; labor obiectis occurrere, si animaduertat, quam longo distent interuallo ea, quæ allata sunt à re presenti, de qua lis est. Illud autem planè indubitatum video, diuinam potestatem, quæ at-

tingit à fine vsq; ad finem fortiter, ac disponit omnia suauiter, non ita posse certis naturę limitibus circumscribi, vt ei liberum non sit, quę voluerit supra solitã prouidentię rationem agere, (ni intrinsecam in se ipsis repugnantiam claudant) posseq; si vellet, non modò Traiani animam beare, verùm etiam infernales carceres infelice damnatorum grege priuare. Scioq; pariter nonnumquam eos, qui in terris cœlestem vitam viuunt, diuino instinctu allici ad id agendum, quod aliàs prohibitum erat. Sic diuina voce admonitus magnus ille Abraham Patriarcha, vt ex Sacro Genesis textu clarè liquet, filij necem parabat; sic reliquos, qui in exemplo superius fuerunt, diuino spiritu permotos, ea, quæ fecerunt, egisse vel sacrarum litterarum testimonio; vel Sanctæ Matris Ecclesiæ assensu; vel communi omnium fideliũ decreto ducti iurè credimus: nam cum inspiratæ diuinitus litteræ hinc ostẽdant Abrahamum, & Eliam Sanctos, Deoq; charissimos fuisse; ac Samsonẽ pariter, (de quo latius suo loco, si diuina gratia nobis adfuerit,) & inde eos patratores operum, quæ communi lege prohibentur, nobis offerant, cogimur arbitrari ea opera diuino instinctu facta esse, cum sacrarum litterarum, quæ nec fallere, nec mentiri vllo modo possunt, mos non sit, hominis perperam operantis texere elogia. Hinc pari ratione idem de Sanctis Marco, & Apollonia, ac cæteris omnibus, qui adduci possent, merito asserimus, cum eos inter cęlites relatos communi assensu Ecclesia, quæ Spiritus Sancti suffulta prę sidio errare non potest, colat, ac veneretur, licet earum rerum fuerint effectores, quæ vitiosæ essent, ni illarum auctor diuinus spiritus haberetur. At cum in Traiani fabula nihil simile, nihil his affine reperiatur, leuis corde erit, qui citò credet; non enim ei sacræ litteræ fauent, vt vidimus; neque id tentasse Gregorium vel Ecclesia docet, vel communis testatur fideliũ cætus, vel aliquis diligens perquirẽdæ veritatis amator asserit; ergo ridiculum videtur cum hac fabulosa narratione Abrahami, aliorumq; Sanctorum gesta conferre. Genesis cap. 22.

Mendacem hanc esse historiam ostendunt varietas, & discrepantia, quæ inter illos reperitur, qui Traiani animam è tartareis supplicijs liberatam precibus D. Gregorij credidere.

CAP. XX.

Enim verò quia mendacium numquam sibi constare potuit, vt enim immortalis est veritas, sic fictio, & mendacium non durant, tertium nobis argumentum aduersus hanc fabellam suppeditat ingens inter scriptores, qui pro beatitate Traiani pugnant, dissensio, cùm in explicanda Cæsaris iustitia, quæ ad preces Deo fundendas Gregorium Pontificem mouit; tùm in assignanda ratione, quam adhibuerit in oratione Pontifex: hęc enim animaduersa vel nolentem in apertam dubitationem trahunt; ibi enim veritati, quæ vna, nuda, & simplex est, nulla sedes relinqui-

tur, vbi omnia vario discrimine, varijsq; fucata commentis dignoscuntur. Quò autem omnia clariora euadant singulas nobis aduersantium opiniones eo ordine scrutabimur, quem supra tenuerunt.

Græci, vt ex Euchologio suo patuit, S. Gregorium toto cordis affectu in orationem incubuisse pro Traiano, eumq; ab flagro liberasse tradunt.

At D. Brigitta eleuatum duntaxat ad altiorem gradum diuino, vt putatur, edocta oraculo credit.

Quod si scisciteris, quid altioris gradus vocabulo significare voluerit, protinus in varias abreptos sententias doctores videbis. Opinantur aliqui Traiani animam ad altiorem gradum eleuatam, quòd pœnas, quas in tartaro patiebatur ibidem adhuc residens, non sentiat. Alij leuioribus torqueri supplicijs Traiani animam putant. Alij e tenebroso inferni hiatu liberã Traiani animam futuram ad extremum vsq; iudicij diem, & rursum cũ Dæmonibus in gehenna torquendam scripsere. Alij è Gehenna eductã Traiani animam, ac corpori quondam suo vnitam inter mortales reuixisse, ibique Sacramentis ritè initiatam, ac bonis excultam operibus supremum æternæ vitæ gradum adeptam opinati sunt.

Quid sit ad altiorem gradum eleuatam esse Traiani animã.

B. Methildis Græcorũ, ac S. Brigittæ sententijs repugnans iustò diuinæ voluntatis consilio ignotam esse mortalibus hanc, quam agitamus, quæstionẽ citato loco tradit.

D. Damascenus tria notatu digna ad rem ponit, nempe D. Gregorium per Traiani forum iter habuisse, validas ad Deum fudisse preces, immo lita sse, vt nos verba illa admonent: *tu verò deinceps pro impio hostiam ne offeras*, ac è vestigio ei vocem ad fuisse diuinam, qua de impetrata Traiani salute admonebatur. Verùm Ioannes, & Paulus Diaconi non vocẽ audiuisse Gregorium, sed Angelum se se illi adspectabilem obtulisse memorant: ac de itione per forum Traiani à beato Pontifice suscepta nihil tradentes adijciũt, diuina iustitia grauissimis morbis iugiter iactatũ Pontificem, quòd pro infidelis Cæsaris salute ausus sit deprecari.

Ioannes Diaconus nulli eorum subscribens opinioni rem exequitur, vt nos in principio huius tractationis annotauimus; quin immò solius iustitiæ, qua Cæsar ius viduæ reddidit, memorem putans Gregorium, non orasse pro Traiani salute, sed tantum effudisse lacrymas commentatur, additq; Traiani animam haud esse relatam inter cælites, sed solummodo ab inferni doloribus ereptam, quod Græcorum Euchologio, D. Damasceno, & allatis Diaconibus repugnat.

Hugo Aetherianus non in foro, sed in lapideo põte stetisse, & orasse Gregorium, ac vocem audiuisse è celo scribit.

Vincentius Belloacensis cæterorum auersatus sententias vni Ioanni Diacono assentitur, à quo tamen in eo discrepat, quòd Traiani statuam in foro perstitisse superaddit.

D. Antoninus inclytũ iustitiæ Traiani factum commendans ait, Cæsarem viduæ mulieri vnicum filium suum totius Romani imperij hæredem, qui vetulæ filium equo discurrens discerpserat, in adoptiuum concessisse additis ingentibus diuitijs, vt Imperatoriam maiestatem decebat. Sanctus Vincentius eandem historiam in fide recipiens vt voluit Antoninus, arbitratur non in foro, vt ille credidit, sed in ædibus illustris cuiusdam Romani depictam historiam vidisse Gregorium, cum forte eõ se cõtulisset, gaudiaq; beatorum, & damnatorum supplicia agitaret animo.

Ioannes

Ioannes Viguerius ab opinionibus Sanctorum Antonini, & Vincentij in nonnullis recedens sustinet historiam de Traiani filio, qui necem filio viduæ mulieris intulerat, & de iustitia eiusdem Principis filium suum viduæ donãtis in citata Damasceni oratione haberi, quod mihi semper mirum accidit, cum omnino à veritate, & à Sancti Damasceni scriptis pateat esse alienum. In eundem lapidum Viguerij secutus vestigia impegit Clemens Monilianus.

Episcopus Abulensis duo, quæ alij non agnouerunt, in re præsenti euulgauit. Alterum. Gregorium iuxta Traiani aulam transeuntem in memoriam reuocasse exactæ iustitiæ normam, qua viuens Cæsar vsus fuerat, indeq; diuini numinis precandi sumpsisse argumentum. Alterum. Gregorio ob fusas ad Deum preces pro Traiani salute lethaliter peccanti datam optionem, vtrum pati mallet continuos dolores vita durante, an post mortem biduo ignem purgantem, Sanctumq; Pontificem primum illud elegisse.

Postremo Bernardinus Corius fabulam de Traiani filio, qui mulieris filiũ necarat, amplectens nouum prodigium, ab eo dumtaxat, quod hactenus viderim, excogitatum, accidisse memorat. Nempe inuentum eiusdem Cæsaris cranium quod à Gregorio fari iussum, Traiani se esse & cranium, & linguã respondit; ex quo Sanctus Pontifex Deum pro Cæsare deprecatus est. In vita Traiani ad Calcẽ histo-riæ Mediol.

Quid? nec in eo, quod fermè omnibus commune est, concordes esse possunt. Beata vita potitum Cæsarem fatentur aliqui, at nonnulli dixerẽ non excitatum è puluere Traiani corpus, sed clanculo illius animam à Gregorio sacra lipha lustratam, alij Cæsarem reuixisse putant, ac ritè Sacramentis initiatum ad patriam properasse cælestem: alij diutius fuisse inter mortales nulli tamen cognitum pro libitu fingunt.

Nunc æqua lance pensitet lector quæ citati scriptores sibi inuicem repugnantes tradiderunt, ac antiquorum Poetarum fabulis conferat, & dubio procul hanc, quam illi historiam esse volunt, ipsis poeticis figmentis deterius esse commentum sentiat necesse est. Quis enim Poetarum in vna, eadẽque fabella tot vnquàm finxit strophas, quot auctores illi, in hac de Traiano, & Gregorio finxerunt? Quis Protheus tot varias facies induit vnquam, vt Poetæ fabulantur, quot in hac re cernuntur esse figmenta? quæ arbitror inde profecta, quòd nullus eorum sollicitus fuerit hanc ad viuum resecare quæstionem, quæ ab incerto auctore, & impostore decursis à Traiani obitu quingentis circiter annis nullo fundamento euulgata sic sensim cæpit in aliquorum animis agere radices, ac si citra hæsitationem vllã certissima historia fuisset. Vis hoc, quod verissimum ducimus, intueri, meditare, quæ de Sanctis Antonino, Vincentio, (quorum vota in rebus alijs maximè ad fidem spectantibus, vt par est, veneror, & colo) ac de cæteris nunc sũ dicturus. Arbitrantur hi, ac velut indubitatum memorant, viduæ filium ab Traiani filio occisum, cum tamen omnium cùm antiqui, tùm recentis æui scriptorũ consensu meridiana solis luce clarius fit, Traianum nullum vnquam verilis sexus suscepisse filium. Litteris idem prodiderunt Viguerius, Aracæli Cardinalis, & Corius, ac quod dissimulari non potest, sui erroris auctorem, & patronum Viguerius facit D. Damascenum, qui hoc ne somniasse quidem visus est vnquam.

At vnde nam tot insignes errores fluxerunt, nisi quia ad veritatem scrutari neglexerẽ, An Traiano filius esset, & an D. Damascenus hoc suis inseruisset operibus, etenim lectis Romanarũ historiarũ monumentis hæc, quã cre-

diderunt historiam, commentum omniuo perspexissent; verùm quia vano rumori adhibuere fidem lapsi sunt manifestè. Quod si in re tam nuda, & aperta veritatem se se illis vltro offerentem rimari noluerunt, quid in cæteris obscurioribus ad præsentem difficultatem spectantibus eos fecisse arbitrabimur? nempe eodem rumore decepti & ab Traiano viduæ ius redditũ, & pro Traiani salute diuinam opem implorasse Gregorium crediderunt; quod idem de cæteris ferme scriptoribus asserendum est, quotquot oppositę opinionis propugnatores enumerauimus, ex eadem enim radice omnia eorum vota pullularunt, vt ex his etiam quæ dicenda supersunt, prudens lector nullo negotio animaduertet.

Græcorum, DD. Brigittæ, & Methildis testimonia asserenti sententiæ non suffragari.

CAP. XXI.

NVnc reliquum est, vt allatis pro priori sententia testimonijs occurramus; ex eorum enim confutatione quilibet intuebitur, quam vanum explosæ hactenus fabellæ sit commentum.

Quocirca ab oratione, quam in Euchologio Græci consignarũt, incipiens nunquam satis pro dignitate mirari valeo, quem hi secuti auctorem cæteris sacris precibus has miscere preces ausi sint nimia, & inani fide decepti. Cur enim Romanæ Ecclesiæ, & Pôtificis itidem Romani peculiare facinus adeo insigne velut sibi proprium vindicauerẽ Græci, cum nullam omnino fidem adhiberet ipsa caput omnium Ecclesiarum Romana Ecclesia, a qua cum semel temerè discessissent, iusto Dei iudicio in varios errores prolapsi sunt? Quare licet in re ad Traiani salutem spectante errasse Græcos graue sit, grauius illud tamen censendum quod in eos stet diuinum iudiciũ, vt contra Donatistas in simili prodidit Augustinus dum inquit. *Quisquis ergo ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus quantumlibet laudabiliter se viuere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi vnitate disiunctus est, non habebit vitã, sed ira Dei manet super eum.*

Tom. 6. Epist. nomine Cirtẽsi. Côci. ad Donatistas.

Nunc ad examinanda D. Brigittæ, & D. Methildis oracula veniamus, quæ licet manifacienda sint, & apud me ingens pondus habeât, haud tamen reor, ea canonicis scripturis comparanda, cum nonnũquam accidat, quemadmodum videbimus, vt in illis de eadem re omnino deprehendantur contraria, quæ in Deum auctorem nullo modo conijci possunt, qui solius veritatis fons est, & origo incommutabilis. Et licet nemo inficiari possit, nonnulla mentibus humanis abscondita Brigittæ patefacta diuinitus, haud tamen omnia, quę in earum reuelationibus leguntur, legis præcepto amplecti cogimur, vt Bonifacij noni litteræ declarant, quibus eã inter beatas mentes relatam definit his verbis. *Quibus quidem sanctis, & absq; intermissione continuatis operibus hæc generosa vidua per gratiam Sancti Spiritus promeruit, multis eorum*

Bonifacius Nonus.

rum cogitationes, & affectiones intimas, & gesta secretissima propalare, & visiones, & reuelationes varias videre, & audire, ac spiritu prophetico multa prædicere, quorum nonnulla effectu completa fuerũt, pro vt hac, & alia eius reuelationum volumine plenissimè describuntur. Ex quibus clarè intuemur, non omnia, quę eidem reuelata perhibentur, necessario nobis esse credenda, sed generatim duntaxat diuinarum reuelationum participem effectam esse D. Brigittam.

Quod si secus foret, extemplo innumera velut de fide colenda essét à nobis, quæ adhuc inter theologos varia discensione disputantur, sublatis de medio litibus, quæ sunt adhuc sub iudice: possentq; nonnulla, (quæ nondum tanquam fidei dogmata summi Pontifices Romani decreuerũt), hoc vnico reuelationum præsidio declarari, si omnia, quæ in ijs tradũtur ab diuino spiritu profecta esse certo constaret experimento.

Sanctè igitur colimus, ac piè veneramur diuam vtramq; & cæteras, quæ diuinis gratijs, ac reuelationibus præditæ fuerunt, ac earum reuelationes, exosculamur, quæ Sacrosanctis Ecclesiæ dogmatibus conueniunt; at cæteris postea non ita facilem damus assensum, cum de earum veritate meritò dubitari possit, an illa omnia sanctis fœminis reuelata fuerint à Deo; an potius aliqua sub specioso reuelationis titulo ab alijs conficta. Cęterum hę, de quibus impræsentiarum loquimur, reuelationes asserentis opinionis causæ non patrocinantur: non enim à pœnis inferni ereptam, sed eleuatam dũtaxat ad altiorem gradum Traiani animam ex S. Brigittæ reuelationibus constat. Quid autem Methildis reuelatio eidem prosit, agnosce, cum in ea dicatur, iusto Dei consilio hoc ignotum hominibus voluisse Deum, vt fides nostra augeatur. At si hæc diuina volũtas, est cur Deo repugnante de Traiani felicitate ex Methildis sermonibus ducunt argumentum? cur ea loquuntur, quæ tegenda silentio mandat cæleste numen? Vel cur potius Deus ipse hominibus id manifestum esse voluit per Brigittam, quod occultum esse decreuerat per Methildem? An varia, & cõtraria esse possunt incommutabilis illius infinitæ maiestatis consilia, quæ prophetarũ vocibus inquit. *Ego Deus & non mutor. Non est sicut filius hominis, vt mutetur?* At si talia, vt par est, non modò fateri, sed nec animo concipere erubescunt, quanto satius illis erat futurum, hęc non vt oracula diuina habere, quæ Deum cõtraria, & repugnantia docuisse ostendunt? Malachiæ 3. Num. 23.

Quod si rursus dicant, ex ea ipsa formula, qua Methildis vtitur, inuolutè significari è tenebroso inferni carcere liberatã Traiani animam, velut ea innuere verba videntur. *Quid insuper de anima Traiani liberalitas mea insserit &c.* qualis enim liberalitati locus esse potuit, si iugiter diuina ira stetit in Traianum? Iam non vident hac ratione cuncti in vno, & eodem Methildis oraculo apertam oppositionem contineri: nempe Deum nolle vt mortales sciant id, quod re ipsa docet esse factum; immo non sentiunt se Methildi hanc præuaricationis notam inurere, vt videlicet id ausa sit innuere hominibus, quod Deus præceperat tegi silentio. Absit tandem vt credas Methildis hoc esse oraculũ, quod ex probę notæ auctoribus testimonio esse falsum conuincitur. Hęc enim citatæ reuelationis verba sunt. *Quia hic licet omnibus polleret virtutibus &c.* O virum omnibus virtutum numeris absolutum. Scilicet præpostere libidini, vinolentiæ, cultui idolorum, ac crudelitati in innocentes Christi alũnos indulgere virtus erit? At tales fuisse Traiani artes iam paulo supra probauimus. Præterea non intuentur, ex hac reuelatione damnationem verius, quam Traiani salutem colligi, cum Orige-

ni coniungatur, quem in inferno damnatorum torqueri pœnis æternis Ioannes Moschus in prato spirituali docet reuelationi cuidam diuinitus concessæ innixus: magnæ autem auctoritatis pratum esse spirituale vel ex eo constat, quòd in septima synodo generali in testimonium adducatur.

Pratum Spirituale Moschi magnæ auctoritatis.

Præterea (vt alia etiam via oppositæ opinionis patronos vrgeam) si ad incutiendum hominibus timorem, vt Methildi adscripta reuelatio habet, voluit Deus esse occultum, quid ipse cum Salomone, Samsone, Origine, & Traiano egerit, cur non potius eorum æternam, quam apud inferos patiuntur, miseriam aperuit, cum hoc sit tutius ad peccata præcauēda remedium, quo homines in maiorem timorem adduci consueuerunt certiores de æternis eorum cruciatibus effecti, qui etsi magnis excelluisse virtutibus videantur, tamen ob scelus aliquod æterna sint in æternum miseratione carituri. Hæ tricæ sunt, quibus velut compedibus complicati hærent, qui inani fabulæ putant sat esse consultum allatis oraculis, quæ cui vis potius, quàm sanctissimis fœminis Brigittæ, & Methildi adscribenda esse adducta hactenus absurda loquuntur.

D. Damasceni testimonium expenditur.

CAP. XXII.

NOnnulli, vt à D. Damasceni testimonio, quod totius controuersiæ videtur esse fundamentum, se expedirent, non esse illud D. Damasceni testimonium scripsere, propterea quòd is ante Gregoriū Magnum floruerit, vt de scriptoribus Ecclesiasticis Tritemius, & alij tradere videntur. Verùm quam manifestè hallucinentur isti non solum Cano probè docet, sed etiam latissimè edisserit Alphonsus Ciaconius in opusculo suo, ad quod lectorem huius rei cupidum remittimus.

Lib. ii. de locis Theolog. cap. 2.

Alios iuuit opinari, ideo orationem illam D. Damasceno nō esse adscribendam, quòd à Christo Domino, cum ad inferos se contulit, damnatos ab æternis liberatos incendijs dicatur, quod eidem Damasceno plane repugnat aienti lib. 2. de fide orthodoxa cap. 4. *Scire autem oportet quoniam quod hominibus mors, hoc angelis est lapsus, post lapsum enim non est illis pœnitentiæ locus, vt neq; post mortem hominibus.* At cum hæc potius verborum, quam sententiarum dissensio sit, cum primum illud Damasceni de absoluta potestate diuina, & miraculosa, hoc autem de lege communi, & consueto diuinæ voluntatis decreto intelligi possit, quæ inuicem non pugnant; cur illam esse D. Damasceni auctoritatem negabimus, quæ ex ipsa dictione genuina deprehenditur, quippe à ceteris Damasceni operibus in charactere non differat, maxime cum eo loci non tam asserendi, aut definiendi, quàm disserendi causa & ad pietatis opera inflammandi homines ea tradat Damascenus sic scribens? *Vide quo nos cursu suo produxit sermo, dum rem, quam prorsus occultā esse oportebat, soluere & dijudicare auxilio Dei conamur. At nos (indignum enim foret) definimus nihil, tantum fraternitatis studio ratiocinamur.*

Bellarminus de Purgator. tom. 4. cap. 8. lib. 2.

Cæterum

Cæterum vt clarius pateat citatum D. Damasceni testimonium nihil officere: scire conuenit nonnumquam licere catholicis scriptoribus à Sanctis Patribus dissentire in eo, quod neq; ad hominum mores piè conformandos, neq; ad fidei nostræ decreta spectat, maximè si res, de qua oritur quæstio, eiusmodi sit, quę tutò in vtramq; partem possit agitari: qua de re sit in exemplum celebris illa quæstio. An Paradisus terrestris ad nunc etiam detur in terris, an diluuio perierit, de qua communis omnium fermè antiquorum Patrum, ac constans est sententia dari Paradisum voluptatis. Attamen e regione recentis qui alij scriptores Noetico diluuio perijsse Paradisum adeò constanter asserunt probabilibus ducti fundamentis, vt nostro hoc æuo gratior ea omnibus accidat opinio, cum diligenti studio, & peregrinatione nõ pauci regionem Heden perscrutati sint, in qua voluptatis Paradisum plantauerat Deus, vt sacrę litterę testantur, & nullum super esse viderint felicis illius loci vestigium. Quod si, vt Vincentius Lyrinensis doctè monuit, *Antiqua Sanctorum Patrum consensio non in omnibus diuinæ legis quæstionculis, sed solùm in fidei regula magno nobis studio & vestiganda est, & sequenda*, certe id tutius fieri poterit in ea quæstione, quę (si consueta diuinæ prouidentię ratio spectetur) & diuinę legi repugnat, & à communi aliorum Sanctorum Patrum sententia abhorret. Lib. aduersus profanas Nouationes.

At ne ista à nobis vltro excogitata fuisse arbitreris, audi B. Augustini in re simili iudicium, quo nostra opinio confirmatur. *Neq; enim*, ait, *quorumlibet disputationes, quamuis catholicorum, & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, vt nobis non liceat, salua honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare, atq; respuere, si fortè inuenerimus, quod aliter senserint, quàm veritas habet diuino adiuutorio vel ab alijs intellecta; vel à nobis. Qualis ego sum in scripturis aliorum, tales volo esse intellectores meorum*. Cui tanti Patris iudicio & S. Damascenus, si nũc inter mortales degeret, subscriberet libentissime. Nam magnis viris sanctitate, sciẽtia, & omni eruditione illustrissimis nonnumquã accidit, vt vel labantur, vel fallantur memoria, (ea est naturę humanæ infirmitas) vel quod re numquã accidit, litteris bona fide prodant accidisse fama decepti. Quod in ijs, quę sunt facti; non autem dogmatis facillimum esse & quotidiana testantur experimenta, & pluribus exemplis peritis ex Sanctis Patribus facile ostẽdi posset, ni in re eruditis lectoribus nota, & testimoniorum multiplicitatem non exigente vnius S. Augustini sat nobis esset exemplum, qui de Hieremia, & Platone agens prodidit, illos per eadem vixisse tempora, cum tamen supputatis tẽporibus Hieremia multo posterior Plato floruerit, cui errori mox factus senior idem Augustinus ita occurrit. *Et in eo, quod dixi de temporum historia secundum Ambrosium soluisse quæstionem, tanquàm coetanei fuerint Plato, & Hieremias, me fefellit memoria*. Qui hæc & similia voluerit meditari, à simili nullo negotio sentiet vnde profluxerit D. Damasceni de Traiani anima testimonium. Nam cum vir Sanctissimus, Deoq; charissimus in eo argumẽto versaretur, ad cuius amplificationem, (vt fraternæ charitatis studium in nobis ferueret erga eos, qui in Domino obierunt) omni exemplorũ classe vteretur, præclarèq; sentiret de æterno præmio sibyllarum, & philosophorum, qui legis naturæ custodes pro viribus fuerant, in eum campum, qui solus supererat, suã deduxit orationem, qua etiam infidelibus gehennæ addictis viuorum profuisse suffragia ostenderet, cui se muneri satisfacere posse censuit adductis Traiani, & Falconillę exemplis, quæ ea tempestate, qua pro

Epist. 111 ad Fortunatianum

Lib. 2. retract.

defun-

defunctis orationem illam texebat, vel in vulgus iactata, vel in apochryphis descripta libris, vel ab illis prodita erant, quorum in cæteris haud spernenda erat auctoritas, quibus fidem suam accommodãs, bona fide, miraculum, quod apud Grecos volitabat, indubitatum ratus suis scriptis inseruit ea ratione, qua ab omni prorsus alieni fallacia Sancti Antoninus, & Vincentius idem de Traiani filio scripserunt, vt supra monuimus.

Quare D. Damascenum inclytę Sanctitatis Patrē pia veneratione obseruamus, ac eiusdem decreta amplectimur, quæ ad fidei regulam spectant: Cæterum si salua reuerentia, qua meritò tenemur, illius testimonium pro Traiano per partes expendamus, clarissimum fiet, quod probare conamur. Ait enim. *Cæterum hic & aliarum historiarum meminisse opera pretium fuerit. Gregorius &c.* At in quibus historiarum monumentis ereptam è orci faucibus Traiani animam offenderit D. Damascenus adhuc quæritur, cũ clarum sit facinus istud Græcis æquè, ac latinis historijs ignotum? Quod si dicant ex operibus Ioannis, & Pauli Diaconorum D. Gregorij & ex historia Ioannis itidem diaconi, qui Sancti Pontificis res gestas accurratissimè prosecutus est, hoc hausisse Damascenum, manifeste eos hallucinari duo peruincunt. Alterum, quod opus illud Ioanni, & Paulo Diaconibus adscriptum adulterinũ sit, & supposititiũ, vt paulo post ostendemus: alterum, quòd Ioãnes Diaconus centum supra triginta, & eo amplius annis Damasceno posterior vixerit. Ille enim tempore Leonis Isauri heretici Imperatoris ad annũ Domini 731. quamuis diu postmodum superuixerit, pro vsu sacrarum imaginum contra Leonem decertauit tribus orationibus: At hic spiritum ducebat Ioanne Papa Octauo sedente, cui inscripsit S. Gregorij magni vitam anno Domini 873. qui fuit pontificatus eiusdem annus primus.

Quo tempore vixerit S. Damascen.

Quod autem subdit idem Damascenus: *Testatur autem oriens, & occidens totus hoc miraculum, &c.* mirum ei accidere potest, qui secum reputarit adeo insigne facinus, quod toti vniuersitati innotuisse ait, omnes pene gẽtes ignorasse; non enim de eo aliquid subodorasse Hispanos, Afros, Gallos, Germanos, & eos, qui Italiam colunt, ex eorum monumentis cognouimus. Ad hæc, cum D. Damasceno æqualis fuerit Beda Venerabilis patria Anglus, vir, vt illius opera testantur, omni sciẽtiarum genere illustris, qui omnia ferme, quæ præclara suo tempore ibi habebantur, ne perirent diligenti labore curauit, vix prudens quispiam opinabitur, Beda silente apud Anglos tanti miraculi viguisse memoriam, quamuis Ioannes Diaconus dissentiat, qui hãc historiam apud Anglorum Ecclesias celebrem fuisse meminit. Cæterum vt vt res fuerit, certè ista Damasceni Verba, *testatur oriẽs &c.* hyperbolica fuisse luce meridiana clarius est, cum exactissima eorum temporum Ecclesiæ Romanæ monumenta nihil huiusmodi mortalibus vnquam suppeditauerint.

Ven. Beda æqualis Damasceno.

Di-

Decreta Angelici Doctoris pugnantia pro salute Traiani qua ratione accipienda sint. Ineruditi Impostoris non autem Ioannis, & Pauli Diaconorum esse opus illud, quo memoriæ proditum est, ad Deum preces fudisse Gregorium, vt Traiani animam e tartareis cruciatibus vindicaret.

CAP. XXIII.

NVnc cætera enodanda sunt, quæ nobis videntur aduersari, ac illud in primis quod ex S. Thomæ testimonio ducitur. Cano de locis theologicis ait eam opinionem doctori Angelico cũ iuuenis esset, arrisisse, tacite, vt opinor, innuẽs eum aliter sensurum, si in eã quęstionem senior incidisset: verùm quia theologicam summam iam grandeus conscribens hanc sententiam non est auersatus, cum opportunè liceret, precipue tertia parte q.52.a.6. vbi scrutabatur. An ad inferos descẽdens Christus aliquos in gehenna detentos æterna salute donarit, vix mihi probabilis videtur Cani cogitatio. Lib. 11. cap. 1.

Mihi in verba, & sententiam illius intuenti semper visum est, eum D. Damasceni auctoritate commotum sic in eam discessisse opinionem, vt seposita altiori veritatis indagine fidem penes Damascenum esse voluerit; cuius meæ interpretationis testes esse possunt ea ipsa verba, quibus Sanctus Thomas citatæ opinioni subscribens inquit. *Damascenus in eodem sermone narrat, quod Gregorius pro Traiano &c.* & tertio quoq; verbo eiusdem Damasceni testimonio vtitur; ea erat Angelici Doctoris erga Sanctos Patres reuerẽtia. Nec illud etiam à vero alienum videtur, Angelicum Doctorem fidem suam accommodasse Ioanni Diacono miraculum istud inter cætera D. Gregorij opera conijcienti, quemadmodum clare licet intueri ex his, quæ primo sententiarum memoriæ prodidit. *Sicut legitur ad preces B. Gregorij Dominus Traianum Imperatorem idololatram, & ob hoc in inferno damnatum ab inferis reuocauit.* Neq; assertione ista diligentissimo, ac de theologicis difficultatibus optimè merito parenti incuriæ notam inferimus, cum haud insolens sit in theologorum scholis, non tã scrutari res, an contigerint, quàm docere, quo modo, quaue ratione iustè, ac decenter effici possint. Quoties autem in disceptationibus theologicis hoc contigerit superuacaneum est admonere lectorem, cum mos iste semper fuerit apud eos vsitatissimus. Hinc à fortiori cæteros theologicæ alæ præfectos, & milites omni excusatione dignos arbitramur qui S. Damasceni, & Angelici Doctoris sequentes vestigia, fidẽ huic rei suam accommodarunt nec de veritate, nec de mendacio narrationis ambigentes.

3. Sent. d. 43. & 4 Sent. d. 49.

D 43. q. 2. a. 2. in 5. argumento.

Sequitur deinceps, vt generatim in primis, ac mox etiam per partes e fũda-

damentis demoliamur id, cuius auctoritate plures hallucinati sunt, nempe testimonium sub Ioannis, & Pauli nominibus temerè euulgatum: Nam si illis vt veris parētibus fœtus ille tribui posset, oscitātiæ nota nō careret Ioānes Diaconus, qui ex Romanę Ecclesiæ scrinijs quàm diligentissimè Magni Gregorij gesta colligens eam historiam ignorauit, pro qua illustranda, & quibus potuit fulcris confirmanda ad Anglicanam Ecclesiam tot terrarū spatijs Roma dissitam confugere coactus est, nullū apud latinos susceptæ causæ auxilium sibi afferri ratus, immò, vt verius dicam, gnarus oppositionis, qua à Latina Ecclesia velut inane commentum ea refellebatur. Audi quid in huius rei fidem scriptum reliquerit postquam miracula à D. Gregorio facta narrauerat. *Sed cum de superioribus miraculis Romanorū sit nemo qui dubitet, de hoc, quod apud Saxones legitur, ob id maximè dubitari videtur, quod &c.* Ex quo Ioannis testimonio non solùm habemus, Romanos ignaros fuisse miraculi, quod apud Saxones celebratur, verum etiam id in dubium, & controuersiam ab ijs reuocari, ad quorum aures peruenit, quod tamen apertū nefas esset, si duo Diaconi, qui magno Gregorio familiarissimè vtebantur, hoc idem memoriæ prodidissent miraculum non fama, incertoue rumore, sed viuæ vocis oraculo ab eodem Sanctissimo Pontifice acceptū. Ad hæc fragmentum illud adulterinum esse, & longe post Gregorij tempora confictum non ex alio verius, quàm ex Beatissimo Pontifice agnoscere licet, cum ea, quæ ibi narrantur, certis D. Gregorij repugnent decretis, quæ omnium iudicio germana Beatissimi Pontificis agnoscuntur. Et hæc generatim tacta sufficiant.

Ioani, & Paulo Diaconibus temerè affictа de Traiano narratio.

In vita S. Greg. lib. 2. cap. 44.

Nunc propius tractanda res est. Ait impostor ille S. Pontificem precibus à Deo postulasse, vt qui in circuitu Ecclesiæ S. Andreæ Apostoli sepeliri elegissent, euo beatorum potirentur; At quid magis à Gregorij scriptis, & mente alienum potest excogitari, qui hanc ipsam quæstionem pertractans: An qui lethali macula infecti è viuis excedunt, iuuari possint sepulchro in sacris locis reposito, decet apertè oppositū. Etenim libro quarto dialog. hæc ad rē loquitur. *Qua ex re aperte datur intelligi, quia hi, quibus peccata dimissa nō fuerint, ad euitandum iudicium sacris locis post mortem non valent adiuuari.* Et rursus in eodem se se puluere exerces ea constantia id reperit, ac si data opera falsò sibi adscriptū dogma refellere statuisset. *Ex qua re, ait, Petre collige, quia his, quos peccata grauia deprimunt, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat vt etiā de sua præsūptione iudicentur, quatenus eos sacra loca non liberent, sed etiā culpa temeritatis accuset.* Et ecce præmium quod iusto Dei iudicio ex sentētia Gregorij eos manet, qui peccati mortiferi fęce illiti in sacris locis sedē, in qua mēbra sua sistantur, eligere audent; similia scribit eodem lib. 4. cap. 54. & alibi, quæ omnia cum eandem penitus sententiam contineant; huc transferre supersedeo: Neminem verò putarim adeò perfricatæ mentis vspiam posse reperiri, qui D. Gregorio imponat id, quod ille ipse plenum temeritatis, & audaciç, ac diuino iudicio obnoxium appellat, & detestatur.

Cap. 51.

Dialog. lib. 4. cap. 53.

Præterea quo pacto S. Pontifex postulare potuit, vt fideles omnes in delubro S. Andreæ humati ad præmia beatorum vocarentur? Nam cum duplex Christiana fides, formata altera, altera informis, vt scholastici loquuntur, sit, vtram earum intelligeret in oratione illa Gregorius sciscitarer. Si formatam respondeant, probe quidem. At frustra & ridiculè cum diuina sententia statutum sit, vt habeuntes ex hac vita fideles, si charitate polleant transnaturali, ius ad beatitatem sinè dubio obtinendam habeant; cur ergo

pre-

precibus suis id à Deo sibi donari voluit, quod nulla posse ratione negari sciebat Gregorius? Si informem dicant. Quis æquo animo ferret pientissimi Patris adeo turpiter famam lacerari, quasi esset eo dementiæ prolapsus, vt ex sola sepulchri electione in ædibus S. Andreæ Apostoli vellet Deũ æternam salutem concedere hominibus, qui grauissimis obstricti sceleribus mortalem hanc vitam abrumpunt, contra communem Ecclesiæ definitionẽ vnanimem Sanctorum Patrum assensum, & legem diuinam, quæ ęternis torqueri pœnis eos, qui grauibus peccatis obnoxij moriuntur, edocet? An non fuisset istud latissimum campum omnibus vitijs aperire, ac ruẽtibus in quęcunq; scelera hominibus tutã requiem, & felicitatem polliceri, ex quo protinus omnia diuina, & humana iura pessumdarentur? Facessant ergo hęc commenta, & inerudita figmenta tanto indigna Patre Sanctissimo, & auditu ridicula apertissimis fucata mendacijs sileant. Quis pręterea non auersetur, quod sub initium adductę narrationis affert vanus impostor, dum Pręsules Cardinea dignitate fulgentes Episcopis pręfert, Ioanne Diacono repugnante, qui acta Gregorij conscribens ait, *consueuisse S. Pontificem Cardinales ad Episcopatus dignitatem promouere*; at qua ratione fieri hoc potuit, si digniores, ac pręstantiores Episcopis Cardinales erant? Olim Episcopos Cardinalibus præstantiores.

Ioannis Diaconi opinionem: ac vota aliorum, quos suffragari contrariæ opinioni vidimus esse falsitatis labe aspersa.

CAP. XXIIII.

Fictitium opus Diaconibus D. Gregorij familiaribus falsò adscriptum superiori capite explosum est, modò Ioannis Diaconi testimonium expendamus quod non solum inane redditur propterea quòd, vt ille ipse testis est, nullam ei fidem habuerit Latinorum Ecclesia, cuius partes sunt non nisi vera, omninoq; certa suis fidelibus tradere, verùm etiam quòd receptę apud Gręcam Ecclesiam orationi, & Damasceni sentẽtię aduersetur, quorum iudicio, si per veritatem liceret, magis, quàm Io. Diaconi testimonio esset subscribendum: illi enim à D. Gregorio exoratum numen pro salute Traiani volunt; hic, ne crimen Sanctissimo Pontifici affigere cogeretur, scribit adhunc modum. *Non animaduertentes quod non legitur pro Traiano Gregorium exorasse, sed tantum fleuisse*; atquî dum hac ratione opinioni suæ mordicus adhęret Ioannes, non vidit hinc necessario sequi, aut se ignorasse id, quod ante illũ scripserat Damascenus, & inter sacras preces consignarant Gręci, aut dolo subticuisse, aut negasse. An non hęc ipsa sũt Euchologij Gręcorum verba? *Per intensam serui tui Gregorij Dialogi intercessionem*. An non hæ ipsę sunt pariter D. Damasceni voces? *Validas preces ad misericordem, animabusq; propitium dominum habuit*; Mitto plane frigidam eius rationem refellere, qua fleuisse, non autem exorasse S. Pontificem cras-

ſa ſubtilitate excogitauit: quaſi verò non ſit Deus æquè cordis, humanarũque cogitationum, ac orationis labiorum motu peracq; ſcrutator; aut certe mentalis orationis virtus non ſit ad placandum, exorandumq; diuinum numen efficaſiſſima; ore enim, an mente preceris nihil intereſt, cum vtrumq; ſi rectè, ac pie fiat, diuinæ menti pergratum ſit.

Qua autẽ probabilitate eductam è tartareis pœnis Traiani animam rurſus in horrido illo terræ hiatu detineri putat?

Etenim cum perfecta ſint Dei opera, & ea maximè, quæ Dei præcipua, & peculiaria à Sanctis Patribus, & Prophetis appellantur, inter quæ miſeratio obtinet principatum, nihil cauſæ eſt, cur Cæſaris animæ diuino priuilegio æternæ dãnationis immuni ſedem beatorum negemus, vt potior theologorum pars arbitratur; quis enim ſibi perſuadere poterit, Gregorium cæleſti numine afflatum præter cõſuetæ prouidentiæ ordinem pro abſoluta, & perfecta Traiani ſalute ad lacrymas preces non addidiſſe, ſi faciamus eum Cæſaris ſortem, & vices dolentem? Licet non ſim ignarus id, quod Diacono Joanni probatur, diuinæ omnipotentiæ eſſe faciliimum. Illud certè, quod ait ex aſpectu æneæ Traiani ſtatuæ commotum ad miſerationem Gregoriũ, nemini qui hiſtoriarum non ſit plane ignarus, probari poteſt, quemadmodum eruditè probat Baronius dum inquit. *Quod ſi in memoriam reuocaſſet tot*
Tom. 8. ad annũ Chriſti 603. *clades vrbis ante S. Gregorij tempus illatas, haud facilè inueniſſet tale, quod effinxit hiſtoriæ argumentum. Et enim mittamus illam vrbis expilationem ſub Alarico factam: quis neſcit nulla alia deprædatione per Genſericum Vvandalorum Regem (quod auctore Procopio liquet) ſuis fuiſſe ornamentis præclarioribus vrbem ſpoliatam, ac ſtatuis æneis inſignioribus, quæ eſſent ob oculos poſitæ, cuiuſmodi extabant in foro Traiani: ipſum etiam nec pepercerſſe ijs quæ pro imbricibus erant in tectis æneis tegulis? etenim eodem auctore liquet ipſum Capitolium detexiſſe tabulis æneis auratis, quibus contectum erat, quæ omnia deferenda in Affricam nauigio impoſita tradit, perijſſe autem cuncta naufragio. Quid præterea reliquas ſæpè factas vrbis eiuſdem ſemel ab Erulis, ſæpius è Gothis deprædationes memorem? Sed reuoca in memoriam, quæ de vrbe ruinis crebris attrita ipſemet S.*
In Ezech. hom. 18. & dial. lib. 2. cap. 1. *Gregorius teſtatur ſæpe & inter alia ſuper Ezechielem. Quid putas pepercisse barbaros æneis ſtatuis, quos etiam intra petras æs impactum, atq; plumbum reuul-*
Lib. 3. cap. 31. *ſiſſe Caſſiodorus eſt auctor?* Quæ cum veriſſima ſint apertum delirium eſt opinari in Traiani foro S. Gregorij temporibus æneam ſtatuam remanſiſſe.

Quàm meritò autem ex apochryphis ſcriptis ſuæ opinioni auctoritatem quærat Ciaconius cuilibet dijudicandum relinquo: non enim plus inde fidei haberi poteſt; quàm mereatur anonymus auctor, cui credere vir etiam indoctus refugit, quamuis Petri Diaconi ſe amicum, ac ſupparem fuiſſe mẽtiatur.

Hugonis Aeteriani decretũ ad ea reuocari debet, quæ in explicanda Græcorum, & D. Damaſceni ſententia protulimus: ex illis enim omnia, quæ in medium protulit, mutuatus eſt ſola eorum auctoritate commotus.

Ad cæterorum ſuffragia ex his, quæ hactenus diſputata ſunt, patet reſpõſio, cum ea omnia alieno teſtimonio nitantur.

Ad extremum duo reticenda non ſunt. Alterum. Grauiter erraſſe Abulenſem, dum atroci lethalis peccati cenſura notauit S. Gregorium virum Sanctiſſimum, & Militantis Eccleſiæ ſplendorem eximium, propterea quòd pro infideli Deum fuerit deprecatus diuina lege repugnante: hoc enim non minus à veritate alienum eſt, quàm pijs mentibus ingratũ, & vix à blaſphe-

mia.

mia remotum. Hæcine pietas est, & reuerentia, qua colere tenebatur inclytam vitæ Gregorij sanctimoniam? Satius enim sine dubio erat iactatæ apud plerosq; fabulæ aduersari, quã ea ratione loqui. Nã aut id nõ egisse, aut certe si egit, afflatu diuino pro Traiani anima exorasse Gregorium planè putandum erat, vt cæteri omnes doctores, qui de hac quęstione verba fecerunt, putauerê.

Monuerim postremo, ea, quæ de Traiani Cranio prodidit Corius, vel proprio marte efficta, vel per errorem id quod apud Palladij historiam de Machario narratur, ab eodem ad Traianum esse translatum: ille enim ex inuento arido hominis cranio pleraq; pro defunctis cognouit, Deo verba Cranio inspirante. Cæterum nullus auctor, cuius nomen magni sit ponderis, hoc de Traiano scripsit vnquam, cuius cineres, vt Aurelius Victor testatur, exusti cadaueris Romam delati sunt, cum obijsset, apud Silinuntem Ceciliæ ciuitatem, & sub illius columna positi sunt. Non me præterit visum Dioni Cassio Traiani ossa ad vrbem fuisse adducta, iuxta cuius opinionem sentiens Eutropius ait. *Inter diuos relatus est, solus omnium intra vrbem sepultus, ossa collata in vrnam auream in foro, quod ædificauit, sub columna sita sunt.* Verùm sit res vel vt Dio, vel vt Eutropius censet, eodem tamen, pariq; interitu vrnã & ossa deperijsse ex frequentissimis ruinis, quibus vrbs pene conciderat, mihi planè certum videtur.

Dio. in Traian. Eutropius lib. 8.

DE
FALCONILLA.

Sensisse nonnullos precibus S. Teclæ inter mortales degentis è gehennæ incendio liberatam Falconillam idolorum cultricem.

CAP. XXV.

D. Damascenus in sermone, cui titulum fecit. *Quod qui in fide hinc migrarunt, sacris operationibus, & viuorum beneficijs iuuentur,* vbi probasset diuinæ bonitatis eum esse imitatorem, qui viuis, ac defunctis non minus quàm sibi à Deo deprecatur gratiam, & miserationem, fatetur Falconillam damnatam ad tartarum prothomartyris S. Teclę precibus nactam salutem ęternam. *Quid autem graue ne hoc existimatur? An non Falconillam post mortem martyr prima saluauit?* & protinus satisfaciens argumento, & dubitationi, quę inde manabat à maiori ad minus

minus sic edisceri. *At fortè dices, quòd huius preces, quia prima martyr erat, exaudiri digna erant. Ad quod ego inquam Bene, fuit quidem hæc prima martyr; sed è diuerso attende pro quo preces factæ sint, nempe pro gentili, idolorum cultrice profana, à Christiq; ministerio aliena. Hic autem fidelis pro fideli apud eundē dominum intercedit &c.* & inferius de Traiani anima agens sic loquitur. *Ecce amplius hoc est, quàm quod de Falconilla traditur. Hæc enim vnius nempe idololatriæ, & nullius præter id criminis rea erat. Ille verò multos etiam martyres &c.* Huius sancti Patris sententia egregios probatores habere videtur Vincentium Belloacensem in speculo historiali, Boninum Mambricium, quibus non aduersari probabile ducimus eos omnes, qui Traiani animam in cęlis collocant, cum non modo eadem, sed potior etiam Falconillę ratio militet. Hausit hanc opinionem D. Damascenus ex antiquissimis gestis, quę nomine S. Pauli, & Teclę per id temporis circumferebantur, in quibus nunc etiam verba ista leguntur. *Congregatis feris Tecla super caueam leenæ maximæ collocatur, sed lena pedes eius lingente populus hoc videns nimium mirabatur. Tunc Triphina rursus eam accepit, & filia eius defuncta (hæc autem Falconilla dicebatur) in somnis ei apparens, vt Teclam peregrinam loco filiæ custodiret, quatenus & ipsa pro se defuncta oraret, admonuit. Cumq; Tecla pro filia eius orasset &c.* in eandem sententiam transiens Mambricius, qui fusissime de gestis, & martyrio Teclę agit, sic loquitur. *Tunc Triphina ait ad illam filia mea Tecla ora pro filia mea, vt viuat, hoc enim vidi in somnis. At illa confidens in Deo, eleuansq; vocem dixit. Deus cælorum filij altissimi da illi secundum suam voluntatem, vt Falconilla eius filia viuat in æternum,* & paulo post Triphina his verbis inducitur. *Nunc credo, quomodo filia mea viuit.* Possem aliorum, qui idē scripserunt, hoc loco consignare testimonia, ni in re vulgata inanis labor foret.

De viris Sanctorum in S. Tecla.

Apud Belloac.

Contraria aliorum scriptorum est opinio, qui suppositium, ac anonymū opus illud esse autumant, ex quo suam opinionem traxit Damascenus vt auctor est Tertullianus ita scribens. *Quod si quæ Pauli perperam scripta legunt, exemplum Teclæ ad licentiam mulierum, docendi, tinguendiq; defendunt, sciant in Asia præsbiterum, qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans conuictum, atq; confessum id se amore Pauli fecisse, loco decessisse.*

De Bapt. ca. 17.

Sixtus Senensis bibliothecę Sanctę lib. 2. S. Pauli opera enumerans suspicari se ait, acta Pauli, & Teclę esse scripturam, de qua S. Hieronymus in cathalogo scriptorum Ecclesiasticorum hæc habet. *Igitur periodum Pauli, & Teclæ, & totam baptizati leonis fabulam inter apochryphas scripturas computamus. Quale est enim, vt indiuiduus comes Apostoli inter cæteras eius res hoc solum ignorauerit?* At quę ex Tertulliano attulimus planè suspicionem rescindunt, nihilq; omnino aliud ex ipsis D. Hieronymi scriptis intelligi potest, quàm eandem esse scripturam, de qua Tertullianus, & D. Hieronymus agūt. Verùm ad hoc ostendendum illud sanè accommodatum est Gelasij Summi Pontificis decretum, quo in Concilio Romano inter apochryphas scripturas conijcit acta illa, cuius causam si quis scrutari velit, clarè ex Tertulliano intuebitur eam fuisse, quòd in eis dicebatur Tecla non solum publicè baptismi Sacramentum ministrasse alijs, sed etiam docuisse, ac obijsse diuinę predicationis munus, quamquam ex D. Hieronymo alia etiam ratio habeatur, vt patuit; ex quibus perperam colligebant heretici licere mulieribus diuina tractare mysteria.

S. Hier. in titulo Luca.

In decreto de libris apochr.

In Teclæ, & Pauli actis, quæ tot decursis seculis ab Tertulliani, & D. Hieronymi

nymi temporibus ad nos peruenerunt, (quod ego hactenus viderim) fermè nihil occurrit eorũ, ob quæ illi inter apochryphas scripturas iure merito reposuerunt. Mambricius nonnihil affine suppeditat de S. Teclæ sermonibus in publico hominum, & mulierum consessu habitis, ac de multifarijs serpentum, & bestiarum generibus, quæ in arctiorem somnum inciderunt olfactu pretiosissimorum aromatum, quæ certatim mulieres in lacũ congesserant, in quem se Tecla deiecerat, vt bestiæ somno oppressæ martyrem non læderent. Cætera acta, quæ multa, & varia apud varios legi scriptores, his scrupulis carent, nec quid in eis iure reprehendi possit reperitur: procul exulant fabellę Leonis tincti aquis lustralibus, nulla publicè administrati baptismatis, nulla concionis à Tecla habitæ in eis memoria viget.

Ego sentẽtiam meam duabus propositionibus explicatam subijcio. Prima. Satis credibile est, acta illa, quæ adulterina esse Tertullianus, Hieronymus, & Gelasius sanxerunt, non ea ratione reprobata, quod omnia, quæ in Iis legerentur essent falsitatis labe aspersa, sed quòd ea duntaxat, quæ veritati repugnare cum Hieronymo, & Tertulliano credimus. *Auctoris de actis Pauli, & Teclæ iudicium.*

Secunda propositio. At si absolutè damnanda censemus ea acta, quæ ad eorum Patrum manus deuenerẽ, arbitror nullo modo inficiandum vera germana, & ab omnibus erroribus, & fabulis purgata S. Teclę acta passionis nomine inscripta edita in lucem, quicumq; illorum fuerit auctor. Moueor ad hanc opinionem communi fermè Sanctorum Patrum assensu, qui fidem, & auctoritatem gestis illis conciliant: durum autem nimis est credere, aut suspicari eos omnes, quos modò adducam patenti errore deceptos anonyma gesta non agnouisse, immò suis approbasse votis.

Etenim Teclam cõtractis nuptijs vale dixisse inflammatam vrbis S. Pauli colendam originalem pudicitiam suadentis pulchrè edisserit Epiphanius lib. aduersus hæreses hæresi 78. S. Teclam edaces incendij flammas calcasse illæsam auctor est Cyprianus orat. pro martyre, & oratione in die passionis, qui diuino auxilio è amphitheatri ereptam periculis testatur. Eadem celebrata carminibus reperies apud Gregorium Nazianzenum in præceptis ad Virginem apud Maximum Taurinensem sermone de S. Agnete apud Metaphrastem die x. Aprilis Sanctorum Martyrum Terentiæ, & Sociorum verba enarrantem. Sanctus Zeno Episcopus Veronensis Teclam vsque ad cælum merito tollens laudibus similia piè admodum, & diserte tractat in sermone de timore. Illud autem omnium suffragijs semper constitit, Teclam ab Apostolo Paulo ab idolorum cultu ad Christi fidem perductam, cuius vocationis rationem grauissimis explicatam verbis suppeditat Gregorius Nyssenus hom. 4. in cantica canticorum. Quid? an non Sanctissimus Pastor noster Ambrosius ampla, vt solet, & diserta oratione iudicium, quo S. Tecla damnata fuit ad bestias, & edomitam virtute cælesti earum feritatem prosequitur lib. 2. de Virginibus, & in Epistola ad Vercellensẽ Ecclesiam. Præterea Teclam pretio sibi viam ad Paulum parasse, qui in Carceribus detinebatur, diuinæ eloquentiæ parens Chrysostomus tradit ad Antioch. hom. 22. At hæc omnia in ijs actis, quæ Teclæ nomine prænotantur, digesta esse certissimum est. *Antiquos S. Ecclesiæ Patres S. Teclæ gesta approbasse.* *Ad Simplicianum.*

Quin immò Baronius, qui non minus erudito, quàm ingenioso labore pro sanctæ Teclæ gestis pugnauit, arbitratur Onesiphorum Pauli hospitem, & Triphænam quorum nobilis est in actis illis memoria, eos esse, quos impensius Apostolus adamauit, ac laudibus prosecutus est ad Timot. p. & ad Ro-

manos cap. 16. Nec illa ratio in postremis est habenda: quod in permultis, & antiquissimis martyrologijs eadem, quę à citatis tradita sunt, gesta reperiantur, vt ex Beda decimonono Calendas Octobris & ex Adone Treuirensi Episcopo patet, quibus etiam longe antiquiora martyrologia itidē, & recentiora consentiunt, alijs etiam cōspirantibus in idem cum Petro de Natalibus, qui postmodum de gestis S. Teclæ nonnihil attigit.

Quare neminem ab hac opinione abducere debet ea cogitatio, quod indiuiduus S. Pauli comes S. Lucas Euangelista nihil de Teclæ tormentis, & passione meminerit, vt S. Hieronymus argumentatur, quoniam ille ipse S. Hieronymus, qui de scriptoribus Ecclesiasticis telum hoc in nos contorserat, re melius considerata, in epistola ad Galatas cap. 2. vt inane penitus repulit, ita scribens de disceptatione orta inter Petrum, & Paulum Antiochiæ, quam penitus silentio tradiderat Lucas. *Nec mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse replicat historiographi licentia prætermiserit, & non est contrarium, si quod alius dignum putarit relatu, alius inter cætera dereliquit. Deniq; primum Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ Petrum fuisse accepimus, & Romam exinde translatum, quod Lucas penitus omisit.*

S. Lucas plera que Apostoli gesta prætermisit vsus historiographi licentia.

Hunc igitur in modum confutata opinione, reliquum est, vt de Falconillæ præmio, aut supplicio quæstionem absoluamus. Baronius, quæ in actis Teclæ de Falconilla habentur, non solum in controuersiam merito posse vocari, verùm in ea irrepsisse verius, quàm originaliter scripta fuisse censuit. Idem opinatus est Cardinalis Bellarminus, qui fabulis similiorem, quam historiæ de Falconilla narrationem arbitratur. Si D. Damasceni testimoniū obijcias, respondet eum alioqui doctum virum, & sanctissimum doctorem ei narrationi suam fidem sic habuisse, vt illius veritatem altius scrutari noluerit.

At ego, qui de Traiano agens amborum vestigia sunt secutus, ne præsenti eorum sententiæ adsim, hac ratione detineor. Etenim non video, cur in ijs S. Teclæ actis, quæ Baronius vt germana, & sincera fatetur, hoc vnum de Falconilla suppositititum, & fabulosum censendum, sit illo nullam opinionis suæ reddente rationem.

Auctoris iudicium.

An fortasse insignis miraculi solito diuinæ prouidentiæ ordini repugnātis ratio falsæ narrationis esse potuit argumentum, at cum supra naturam, & supra communem diuinæ prouidentiæ rationem, & naturalis iuris ordinē sint cætera, quæ in S. Teclæ martyrio contigerunt, cur ea simili erroris suspicione non prēmuntur? quod si in ijs omnibus virtute diuina dispensatum est, cur in hoc limites figimus ei, qui non minus ignis, bestiarum, & serpentum, quam inferni dominus est infinita potestate, & miseratione præditus? Et quamuis non me fugiat præstantioris ordinis cuiusdam esse opus ad gehēnam damnatis animabus Deum propitium fieri, quàm innatam bestiarum feritatem, & ignis edacitatem, ne martyrem læderent, inhibere: tamen cum diuini moris & illud esse certissimis historiarum monumentis constet, vt Angelicus Doctor arbitratur, cui cæteri Theolog. in 4. sententiarum adhæreant, haud iurè primę martyri negamus, quod pari honore decoratis conceditur. Præterea sola, atq; munitissima via vindicandi à calumnijs gesta S. Teclæ fuit Sāctorum Patrum auctoritas, quā vnum quodq; eorum, quæ in illis leguntur, confirmari videmus, at hæc eadem prorsus inanis, & irrita cadit, si semel id, quod Sanctorum Patrum illustratur testimonio, fabulosum dicas: ea enim ratione, qua inter fabulas conijcis, quod placuit Damasce-

non

no, illa eadem penitus & quæ à cæteris Sanctis Patribus roborata sunt; commentitia esse poterit tutò affirmari.

Verũ ais, cur in defẽdẽda Falconillæ salute æterna D. Damasceni nitimur testimonio, quod in quæstione de Traiano exploranda non magnifecimus?

Nempe quia Damasceni testimonium de erepta è tartarijs cruciatibus Traiani anima ex iactata duntaxat in vulgus opinione proficisceretur, omnique prorsus solidæ historiæ fundamento careret: quod in re præsenti secus accidit: cum gestorum S. Teclæ, ex quibus Falconillæ salus constat, tot insignes pietate, & doctrina antiqui Patres Sancti approbatores fuerint.

FRANCISCI COLLII

AMBROSIANI COLLEGII DOCTORIS DE ANIMABVS PAGANORVM LIBER TERTIVS.

DE MAGIS, ET SIBYLLIS.

Gaspare.	*Sib. Cumæa.*
Balthasare.	*Sib. Erythræa.*
Melchiore.	*Sib. Samia.*
	Sib. Cumana.
Sibylla Persica.	*Sib. Hellesponthica.*
Sib. Libyca.	*Sib. Phrygia.*
Sib. Delphica.	*Sib. Tiburtina.*

De Tribus Magis.

Magos, qui nati Saluatoris incunabula adorarunt, tres fuisse.

CAP. I.

CVM omnium Scriptorum suffragio constet, magos gentiles fuisse, qui Christi adhuc infantis diuinitatem coluerunt, hoc loco de illis agere nostri est instituti, qui non modò supplicia, quibus mali in gehenna torquentur, sed etiam præmia, quibus fruuntur in cœlis boni gentiles inuestigamus. Ex his autem difficultatibus, quæ de Magis excitari possunt, ab ea, quę est de numero illorum, ordiamur. Nam licet hæreticus interpres, vt vir doctus annotauit, risu & cachinnis huic quæstioni satisfactum velit Catholicorum Doctorum vota condemnans, qui numerum Magorũ, eorumq;

Maldonatus in Matt.

eorumq; dignitates, quales essent, decernunt, attamen cum istud certis propemodum coniecturis, ac rationibus assequi haud difficile sit, vnius perfricatæ frontis, licentia tot Sanctorum Patrum, & Scriptorum votis cur obijcienda?

Auctor operis imperfecti in Matthæum in 54. homilias diuisi (siue ille sit D. Ioannes Chrysostomus, vt quidam volunt ea permoti cogitatione, quòd hoc obfirmatum videatur auctoritate Catholicæ Ecclesiæ, quæ in diuinis laudibus publicè persoluendis nonnullas habet lectiones earum, quæ in his homilijs leguntur sub nomine B. Ioannis Chrysostomi, & quòd pondere, & grauitate sententiarum huius doctoris aliquando glossæ vtantur, quamuis vitio hæreticorum pluribus erroribus nunc opus sit inquinatum, siue quiuis auctor alius fuerit, vt reor probabilius, non modò ob allegorias, & dictiones à stylo Chrysostomi perquam remotas, ob apochryphorũ librorum testimonia ab eodem adducta auctore, & ob errores, quibus scatent eorum nonnulli sermones) Hic, inquam, alioqui digni lectione operis auctor ex scriptura quadam nomine Seth prænotata, magos duodecim fuisse opinatur, qui sideris ductu longissimi itineris emensi spatia in Belhehemetico Præsepio Christum adorarint. Huius autem duodenarij numeri rationem simul, & mysterium aperiens hanc narrat historiam, quam gratis accipiat lector admirandas antiquorum opiniones proprijs eorundem verbis expressas cognoscendi cupidus. *Audiui aliquos referentes de quadam scriptura, etsi non certa tamen non destruente fidem, sed potius delectante. Quoniam erat quædam gens sita in ipso principio orientis iuxta Oceanum, apud quas ferebatur quædam scriptura inscripta nomine Seth de apparitura hac stella, & muneribus ei huiusmodi offerendis, quæ per generationes studiosorum hominum patribus referentibus filijs suis habebatur deducta. Itaq; elegerunt se ipsos duodecim quidam ex ipsis studiosiores, & amatores mysteriorum cælestium, & posuerunt se ipsos ad expectationem stellæ illius, & si quis moriebatur ex eis, filius eius, aut aliquis propinquorum, qui eiusdem voluntatis inueniebatur, in loco constituebatur defuncti*, statimq; addit illis apparuisse tot annis expectatum sidus, eoque itineris duce contendisse magos in Iudæam.

Auctor operis imperfecti in Matthæum qui nam fuerit.

Scriptura Seth prænotata annonyma.

Magos duodecim fuisse.

Hom. 2. in cap. 2. Matthæi.

Verùm nos certioribus Scriptorum votis rem agamus. Etenim pro ternario Magorum numero pugnant passim Catholici Doctores S. Ambrosius ser. 12. de Epiphania, Leo Papa ser. 1. 2. 3. 4. 5. de eadem sollemni die habitis, fauentq; huic rei ceu certissimæ, quæ tradunt DD. Io. Chrysostomus; Augustinus, Anselmus, Beda Hieronymus, & his vetustiores Origines, Tertullianus, Irenæus, Epiphanius, Cyprianus, & quotquot in medium adduci possunt Patres, quibus adhærent Petrus Commestor in historia scholastica, Euthymius, Theophilactus, Tostatus, & tandem omnes pari voce sacrarum litterarum superioris, & nostri huius æui interpretes.

Tres magi fuere.

Com. in Matthæum, & ser. in Epiph.

Adsunt huic veritati præter apertam omnium fidelium traditionẽ, præter commuuem imagines, quibus tres solum Magi oculis ingeruntur, pingendi consuetudinem, etiam non spernenda penitus momenta rationum. Nam Psaltes de hoc Magorum aduentu diuino spiritu plenus loquens. *Reges, ait, Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum, & Sabba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ*, at quorsum semel bis, & tertio reges appellantur, ni diuino Spiritu afflatus propheta horum regum numerum, prædicere voluisset? Quid si arcano Dei consilio talis Magorum fuit numerus, qualem ad Trinitatis mysterium nouerat accomodatum, qui Mago-

Psal. 71.

S 2 rum

rum mentes fide instruxit, vt etiam in triplici dono idem arcanum panderetur? Quòd si hæc repugnanti dubia videntur, ex inuentis eorum corporibus colligat certiora, quæ tria fuerẽ, de quibus olim Eustorgiana Basilica huius nostræ Ciuitatis Mediolani meritò gloriabatur, nunc solius Cenotaphij, in quo Sacrosanctæ reliquiæ quiescebant, domina ardenti nequicquã desiderio cara pignora repetit, quæ a Rudulpho Agrippinensium Archiepiscopo Coloniam translata sunt post miserrimam illam cladem, quam sæuus Imperator Federicus Aenobarbus patriæ nostræ intulit.

Corpora Magorum olim Mediolani.

Beda tom 2. de sex ætatibus mundi.

Tres Magos Reges fuisse.

CAP. II.

Pari etiam regia dignitate tres Magos ornatos fuisse vulgata est omnium ferme sententia. Tertulliani aduersus Marcionem. *Nam & Magos Reges habuit fermè Oriens.* Cypriani de Baptismo Christi (quamuis nonnulli illud non esse Cypriani opus suspicentur) *Non satis est quod Angeli loquuti sunt pastoribus, quòd apparuerit stella regibus.* D. Ambrosij: *Illi Magi tres Reges esse dicuntur.* Auctoris sermonum ad fratres in Eremo, qui temerè ab aliquibus Augustino adscribuntur. *O Christiane caue ne quæras Christum cum Iudæis, sed cum paganis Regibus quærere non desistas.* Theophylacti enarrat in cap. 2. Matthæi *oportebat enim gaudere potius, quod rex suus à Persis Regibus adoraretur.* Isidori Hispalensis qui de Magis loquens iuxta sermonum propheticum, *Reges Tharsis &c.* Tertulliani est æmulatus sententiam. *Nam & magos, ait, reges habuit Oriens* D. Paschasij Rutberti. *Persæ fuerunt Reges.* Lyrani *Et ideo dicti sunt etiam Reges, quia illo tempore Philosophi sapientes regnabant.* Zachariæ Chrysopolitani cap. 8. Petri Galatini de arcanis fidei lib. 8. cap. 3. cuius titulus est. *Quod reges gentium ad Messiam adorandum venturi erant ei munera deferentes*; quod tota capitis serie ex Rabbinorum sententia probat hebraicis illorum votis prolatis in medium, & passim aliorum recentiorum, quorum aliqui Athanasiũ huius sententiæ patronum lib. 9. contra Iudæos, seu lib. ad Antiochum q. 2. faciunt, & D. Hieronymum enarratione in psal. 71. ; Sed quo iure nescio: illius enim sententiam adhuc etiam quæro; huius autem in explanatione verborum illorum Psaltis. *Reges Tharsis*, sententia est. *Quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatum. Ipsi enim gentium, regumq; typum tenuisse monstrantur*; atqui longe aliud est Magos fuisse Reges, & aliud typum Regum tenuisse. Propius ad hanc opinionem accessisse videtur Euthymius, cui dum tradit Babyloniæ Regem Nabuchodonosorem Hierosolymitanũ templum olim expoliasse thesauris, quos postmodum Persæ, in quos Babylonica sceptra, & opes cessere, eidem templo obtulerunt Regiam potestatem Magis fuisse liquido innuit, quod apertè docet Innocentius Tertius Pont. Max. dum ait. *Secundum historiam tres isti Magi tres Reges fuerunt.*

Lib. 5.

Tom. 5. ser. 12. de Epiph.

Aug. non est auctor sermonũ ad fratres in Eremo ser. 12.

Lib. 2. in Matth

Athanasius & Hieronymus an Magos Reges sint arbitrati.

Ser. de Epiph.

Huius assertionis aliqua ex diuinis litteris firmamenta facile peti possint. Canit enim Regius vates, *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent Reges*

Ex Sacris litteris probatur Regia dignitas Magorum.

Arabum

Arabum, & Sabba dona adducent, & adorabunt eum omnes Reges terræ, quod in his regibus, qui primitiæ gentium a Sanctis Ioanne Chrysostomo, Leone Papa, Augustino, & cæteris vocitantur, patet esse impletum. Esaiæ 60. *Ambulabunt reges in lumine tuo*, quid enim clarius esse potest, quàm magos sideris splendore duce, & comite tot terrarum confecisse spatia. Eidem sententiæ suffragantur perpetua Catholici cœtus traditio, picturæq; vsus in re ad Ecclesiasticos mores spectante haud paruipendendus. Qui ex Persiæ regnis Magos venisse arbitrantur, hanc proferre possunt allatæ opinionis confirmationem. Quòd his duntaxat additus esset ad regnum, qui Magicæ scientiæ callentes essent, vt & Tullius de diuinatione, & Philo de specialibus legibus tradunt, hic enim de magica naturali scientia agens. *Non plebei solum, ait, sectantur, sed etiam reges regum maximi. Præsertim Persici tam curiosi harum artium erant, vt regnare non liceat, nisi cum magis versato familiariter.* Verùm nobis aliter de Magorum patria opinantibus, vt postmodum patebit, vel nullius, vel modici roboris hæc esse videntur. Melior illa persuasio apparet, quòd thesauros dono alijs concedere regium sit; magi autē, Matthæo teste, apertis thesauris suis obtulerunt ei aurum, thus, & myrrhā. Ad hęc vix prudens quispiam in animum suum inducet, communis fortunę, & potestatis viros ausos esse fidenti animo Herodem Regem interpellare, & alloqui de ortu noui regis, qui eiusdem Herodis destructurus videretur imperium; quo modo enim Herodis sæuitia, & crudelitas sibi temperasset, quo minus priuati iuris viros duro necasset supplicio? quis ignotorum hominum nouum regem perquirentium voces non irrisisset? & tamen audiens Herodes turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Sublimior igitur consueta hominum dignitate Magorum excellentia fuerit necesse est, quam callide se æmulaturum pariter pollicitus est Herodes, vt magos decipiens suę crudelitatis conceptum animo virus in vix natum Saluatorem effunderet. *Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renunciate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Quid autem est dicere, vt ego veniens &c. nisi vt ego qui eadem regia dignitate, & pietate vt vos polleo, regem natum venerari possim. Placet postremo huic rei finem imponere S. Paschasij Rutberti testimonio, quod vtriusq; agitatæ quæstionis enodationem tangit. *Quia etsi tria rerum munera detulisse leguntur, non ideo mox ex Euangelio non amplius, quam tres fuisse probatur. Sed ex traditione maiorum, vt per eos gentium multitudo, quæ de tribus Noe filijs enascitur, ad fidem Christi ventura præsignaretur. Quorum quia nomina etiam à quamplurimis viritim exprimuntur, potest fieri tot principes religionis, & potentiæ tanti itineris extitisse, & alios quāplurimos in suo comitatu, sicut mos est magnorum, socios habuisse. Alioquin videtur difficile vt soli tres homines per alienas prouincias tantum subirent negotium, & omnem Hierosolymam suo nuncio commouerent*; Iuxta quam B. Paschasij opinionem conati sunt nonnulli Auctoris Imperfecti in Matthæum de duodenario Magorum numero sententiam interpretari: at quam longissimè errent, ipsa eiusdem auctoris declarat historia, quæ eos eiusdem ordinis, & dignitatis esse recenset; vt vidimus, aliter omnino opinante Paschasio.

Cicero. Philo. Lib. 2. circa medium. Rationes quib. magos reges fuisse declaratur. Paschasius lib. 2. in Matth. Tres Magos cū magno comitatu Hierosolymā venisse.

Illud pro clausula huius capitis certum reor, Magos non reges huiusmodi, quales nunc dominantur, sed regulos fuisse, quales narrat sacra historia de Iobi amicis, de regibus ab Abrahamo victis, & similibus, qui etsi pleno iure in subditos vterentur, non magni tamen tractus terrarum principes erant.

Magi quales reges fuerint.

Cur S. Matth. Magos reges esse non scripsit.

At Magorum regij fastigij cur non meminit Matthæus, qui cum cætera diligentissima narratione recensuerit, rem Christi gloriæ, & honori mirum in modum conducentem haud tacuisset? Cur vetustiores Catholicę Ecclesiæ Doctores simili silentio vsi sunt? Visum est plerisque regiam magorum dignitatem à Matthæo satis declaratam, cum eos Magos appellat, quandoquidem arctam apud Persas consociacionem cum magia regis imperium habebat.

Cur S. Matth. maluerit magos, quam reges appellare.

At nobis, qui Magos non fuisse Persas arbitramur, illud occurrit commodius, Matthæum ideo magi, non regis vocem vsurpasse, quod Magorum nomen ad Christi diuinitatem contra infideles astruendam augustius, grauiusq; futurum esset; nam siue Magi à Magicis artibus, & excantationibus, siue ab apice philosophiæ, & profundissimæ scientiæ, cui vacabant, dicti essent, magnum protinus Diuinitatis Christi argumentum inde colligebatur, cum cernerent infideles Christum adorari ab illis, quos velut Deos, aut certè Dijs proximos admirabantur. Regis autem exemplum adhoc infirmius esse quis ignorat, cum sæpè numero rerum sublimium, veræque rerum cælestium contemplationis ignari sint reges. Antiquis autem Patribus hanc opinionem placuisse conuincunt ea, quæ nos antea protulimus, eorum testimonia.

De nominibus, & vestitu Magorum.

CAP. III.

Comestor c. 8.

Sed quid de Magorum nominibus censendum est? Scholasticæ historiæ auctor Hebraicè, Græcè, & Latinè eorum referens appellationes ait. Nomina trium Magorum hæc sunt. Hebraicè Apellus. Amerus, Damasius, quorum nominum interpretationem ex Zacharia Chrysopolitano audiat lector, *Apellus fidelem, Amerus humilem, Damasius misericordem significant*. Græcè Gulgalat, Magalath, Sarachin. Latinè Balthasar, Gaspar, Melchior. Venerabilis Beda præter eandem nominum latinam interpretationem, fortasse pictoris alicuius arti, & industriæ acquiescens meminit ætatis, formæ corporis, venustatis, atque vestimentorum, quibus reges olim fuisse indutos credidit. *Magi*, ait Beda, *sunt qui munera Domino dederunt; primus fuisse dicitur Melchior senex, & canus, barba prolixa, & capillis tunica hyacinthina, sagoque milcno & calceamentis hyacinthino, & albo mixto opere, pro mitrario varij compositionis indutus. Aurum obtulit regi Domino. Secundus nomine Gaspar iuuenis imberbis, rubicundus, Milenica tunica, sago rubeo, calceamentis, hyacinthinis vestitus: Thure quasi Deo oblatione digna Deum honorabat. Tertius Fuscus integrè barbatus. Balthasar nomine habens tunicam rubeam albo vario calceamentis milenicis amictus: Per Myrrham filium hominis moriturum professus est*. Hactenus Beda, cuius non iniocundam narrationem pro sua pietate accipiat lector vt voluerit: ego enim mei muneris non oblitus, quę etiam debili subnixa fundamento à grauibus viris tradita sunt, silere non potui.

In Matth.

In collectaneis & florib. tom. 3

An-

Antiquorum Patrum sententiæ cur dicti sint Magi.

CAP. IV.

NVnc de Magorum studijs, in quæ nec dum Saluatore orto incumbebant, dicendum est, huius enim rei apertam occasionem præbet Sacra Matthæi narratio, cum eos magos nominat, quorum appellatio & diuini honoris cultoribus inuisa semper fuit, & Sanctis Patribus inimica; ex hac .n. radice natam reor sententiã, quam plurimi Patrum de tribus magis differentes eulgauerẽ, fassi eos malis artibus, excantationibus, maleficijs, impuraq; Dæmonum consuetudini fuisse addictos. In hanc sentẽtiam interpretor, quod scriptũ reliquit B. Iustinus Martyr, qui aduersus Tryphonem disputans docet, quod Dei afflatu cecinerat Esaias. *Capiet Damasci potentiam &c.* esse in Christi natiuitate completum, qui vix in lucem editus Magos ex Arabia, & Damasco Dæmonum cultui dedicatos ad se traxit. *Nam quod Esaias ait, Capiet Damasci potentiam, samariaque spolia improbi Dæmonis, qui Damascum incolit, vim, & potentiam à Christo simul atq. natus esset, victum iri demonstrat, quod quidem factum ostenditur. Magi enim, qui vt capti ui rapti erant ad omnes improbas, sceleratasque actiones, quas Dæmon um illud faceret, cum venissent & Christum adorassent, videntur ab ea vi, & potestate discessisse, quæ eos spoliauerat, & quam obscurè nobis significauerat verbum habitare Damasci. Damascum porro Arabiæ fuisse, atque esse etiam se, nunc attributa est ei regioni, quæ Syrophenicè dicitur, nemo vestrum inficiari potest.* Dialogi cap. 8. Magos malis artibus addictos qui putent.

Latius eandem sententiam tractat Origenes contra Celsum, qui attritas fuisse Dæmonum vires ortu Saluatoris Græcos pariter, ac Iudæos docens, præstigijs, atque excantationibus assueuisse Magos scribit adhunc modum. *Si scrutanda fuerint, quæ nato Domino de Magis, & stella scribuntur, secus equidem Græcos, ac Iudæos affabor. Nam Græcis id dixerim Magos hosce, quia Dæmonibus assueuissent, vt quos pro eorum consuetudine, & pro arbitrio inuocarent, idcirco id agere, & Dæmones colere, quia nihil diuinius his aut fortius vel carminibus, quibus hos prouocarent, potentius ducerent, & faterentur. Quod si maioris, ac veræ diuinitatis vis quædam appareat, tollentur mox Dæmonum operationes, quippe qui nequeant obiectam diuinitatis lucem spectare. Iure ergo secundũ hanc Iesu natiuitatem cum cælestis exercitus multitudo (vt Lucas scripsit, & ipse teneo) Deum collaudando, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, decantarent: Dæmones ipsi attriti sunt, & infirmiores sunt redditi, vbi eorum deprehensæ sunt, & conuicta præstigiæ, & actiones omnes non modo per Angelos prorsus deletæ, qui ob Iesu natiuitatem ad terram hanc cælitus commigrarunt, sed per Iesu animam ipsam, & diuinitatem omnino sublata;* moxque idem non absimili ratione enarrat, cuius sententiam ideo nos omittendam nunc censemus, quòd sequentis capitis probationi valdè sit opportuna. Lib. 1.

Ter-

Tertullianus doctrina, & argumentorum subtilitate antiqui æui Patrum nulli secundus in libro, quem in idololatriam conscripsit, huic eidem adhæsit opinioni. Nam vbi magicæ prauitatis, cuius amatores non solùm e Romana vrbe, sed etiam è tota Italia Cæsarum legibus expelluntur, Dæmones auctores fuisse præmisisset, subdit pessimæ huius curiositatis vitio laborasse

De Idol. c. 9.

Magos. *Verum propono Angelos esse illos desertores Dei amatores fœminarum proditores etiam huius curiositatis, propterea quod damnatos à Deo. Vrbs, & Italia interdicitur Mathematicis, sicut & cælum & Angelis eorum. Eadem pœna est exilij discipulis, & magistris. Sed magi, & astrologi ab oriente venerant. Scimus magiæ & astrologiæ inter se societatem. Primi igitur stellarum interpretes natum Christum annonciauerunt, primi munerarunt, hoc nomine, Christum, opinor, sibi obligauerunt. Quid tum? ideo nunc & mathematicis patrocinabitur illorum magorum religio?* Cæteris Patribus ætate superior, & Apostolis ipsis suppar Ignatius martyr idē tradit in epistola, quā ad Ephesios dedit,

Quæ est nu. 13 in ordine sub finem epist.

nam etsi disertis verbis præstigiatores magos fuisse non tradat, quia tamen de stellæ ortu, & de magis inusitatum illud cęli signum meditantibus loquens abolitas magiæ superstitiones, & sublatas de medio præstigias edocet, ab aliorum opinione non videtur fuisse alienus. *Turbabantur, ait, vnde prodiret hæc, quæ apparebat nouitas, hinc euanuit mundi sapientia, præstigia facta sunt nugæ, magia risus, omnes ritus malitiæ aboliti, ignorantiæ caligo fugata, & tyrannicus principatus destructus, cum Deus vt homo apparuit, & homo, vt Deus operabatur.* At quorsum ista de magis loquens protulisset Ignatius, ni eos celeri ad Saluatorem aduentu in meliorem mentem rediisse contemptis idololatriæ, & magię iuribus putasset? Pro hac eadem comprobanda opinione adscribam hoc loco beneuolam Sancti Ambrosii de Magorum studijs cogitationem, is enim motus fide, pietate, piaq; sollicitudine, qua Christum venerati sunt ex orientis partibus venientes, fortassis, vt opinor, opinatus est eos ad conciliandum sibi cęleste numen magicis artibus nauasse operam.

Cap. 2. in Lucā

Magi, qui licet magicis artibus conciliandæ sibi diuinitati studium impendunt, ortum in terris Domini crediderunt. Non inquam ociose, sed vt ex aduersarijs gentibus Sanctæ religionis testimonium sumeretur, & diuini timoris exemplum. & post plura ad idem respiciens ait. *Magus ergo intelligit suas cessare artes tu non intelligis tua dona venisse.* Verum & D. Basilius hoc in primis velut certæ veritatis secutus est decretum, cum inquit. *Genus persicum magi incantationibus, & magicis, & naturalibus quibusdam affectibus, astronomiaque, & rebus sublimibus vacabant:* hos autem Christi diuinitatis cognitionem ex eo hausisse putat, quod re ipsa omnem magicæ curiositatis rationem, quam sequebantur, irritam animaduertissent viso sidere Saluatoris.

Hom. 25. de humana Christi gener.

At ne putes his solum citatis Patribus placitum istud de magorum superstitionibus arrisisse, si placet, hæc aliorum vota contemplare. Etenim eloquentiæ christianæ parens Chysostomus cum cæteris sensit, dum docet à Deo suaui prouidentiæ suæ inuitamento ad Christi cultum vocatos sideris apparitione magos, qui eidem siderum scientiæ studentes Dæmonibus famulabantur. *Sed Deus,* inquit, *ob deceptorum salutem per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi Dæmones antè coluerant, aliquandiu illa in melius inflectens, vt eos paulatim, & a consuetudine sua reduceret, & ad philosophiam perduceret altiorem. Hunc igitur ipsum dispensationis suæ morem seruauit in magis, quos per stellæ apparitionem vocauit, vt eos inde efficeret altiores,* ad quod præterea allusisse eum opinor, dum omnes ad Saluatoris adorationem inuitans ait.

Hom. 6. in c. 2. Matthęi.

Ibid.

Et

Et si magus forte sis, nihil te ad hunc regem introire prohibet, modo vt adoraturus, atq; honoraturus Dei filium, & non quasi conculcaturus aduenias. Nec aliud fuit B. Augustini iudicium, dum ab idololatriæ, & superstitionis peste, qua magi laborabant, antequam Deum in carne venerarentur, eos à Christo liberatos perhibet. *Debellaturus scilicet Christus gladio spirituali per vniuersum orbem regnum Diaboli, hac prima puer spolia idololatriæ dominationi detraxit, vt ad se adorandum magos conuersos à peste illius superstitionis auerteret, & in hac terra nondum loquens per linguam loqueretur de cælo per stellam*; quod clarissimis verbis antea tradiderat hunc in modum Magos, & Pastores inter sese inuicem comparans. *Sicut præualet imperitia in rusticitate pastorum, ita præualet impietas in sacrilegijs magorum, vtrosq; tamen sibi lapis ille angularis applicuit, quippe qui venit stulta eligere, vt confunderet sapientes, & non vocare iustos, sed peccatores, vt nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret.* Ser. 5. de Epiph. Tom. 10. ser. 2 in Epiph. medio.

Nec vereor S. Leonis Papæ mentem similiter interpretari, cum scribit. *Vnde cum cernimus homines mundanæ sapientiæ deditos, & à Iesu Christi confessione longinquos de profundo sui erroris reduci, diuinæ proculdubio gratiæ splendor operatur.* Ita de magis loquens Pontifex; qua autem ratione ista quadraret in magos, ni illi arti nequissimæ, quæ omnium errorum perennis fons est, demergitq; cultores suos in profundum abyssi, dedissent operam? Clarior autem, quam expeti possit, Theophylacti est ad idem sententia. *Magi homines cultui idolorum dediti, & obnoxij Dæmonibus*, quod peculiare eorũ est, qui Dæmonum fædere astricti infami magiæ studiũ impendunt. Nec nostra interpretatione eget quod scribit Theodoretus ea Cantici Canticorum verba explanans. *Similis est nepos meus Capreæ &c.* (sic enim ille legit) Ait enim *Cum magos, qui Diaboli vates erant, confestim, vt natus est, ad adorationem protraxit.* Præterea haud silendus est à nobis hoc loco Isidorus Hispalensis, qui fatetur magos præcelluisse in eadem arte, qua magister, & princeps eorundem Balaam se exercuerat, portentosa autem, ac Dæmonum familiari magica vanitate vixisse olim insignem Balaamum priori volumine a nobis in lucem dato fusius ostensum est. *Scilicet*, ait ille, *vt quem olim princeps artis eorum prædixerat, illi inspecto sidere demonstrarent.* Mens eadem fuit illius, qui scholijs Ecclesiasticam Nicephori Callisti historiam illustrauit. *Gentis Persarum magi sunt in obseruatione rerum sublimium impostoris, incantationibus, naturalibusq; contrariorum consensionibus vacantes.* Sed extremum, vt de recentioribus idem sibi persuadentibus, quorum non ita grauis est auctoritas, sileam, allatis Patribus addi potest Angelicus Doctor, qui non solùm peccatores, verum etiam D. Augustini testimonio innixus sacrilegiorum patratores magos appellat. Ser. 6. in Epiph. Enar. in cap. Tom. p. operum suorum. De Natiuitate cap. 13. 3. p. q. 36. a. 3. corp. & ad 2.

Quod autem opinati sunt nonnulli D. Hieronymum probatæ hactenus opinionis fuisse assertorem, id mihi non probatur. Nam siue illius commentaria in cap. 19. siue in cap. 47. Esaiæ prophetæ quis adeat, in quibus hanc de magis habere sententiam asserunt, hoc Hieronymo adscribi non potest, in cap. enim 19. super illis verbis. *Stulti principes Taneos.* Non pauca quidem habet Hieronymus in diuinos, & coniectores seu magos, quos ibidem irridet Propheta. At de Magis Domini cultoribus, ne verbum quidem. *Et hoc*, ait, *breuiter indicatur, quod Babylonica vastitate veniente omnia magorum consilia, & eorum, qui futurorum scientiam promittebant, stultitiæ coarguuntur, & in aduentu Christi cuncta redigantur in nihilum.* Capitis verò 47. in illis verbis. *Sta cum incantatoribus &c.* ista dumtaxat habet. *Vnde &* An magicis artibus addictos magos putarit S. Hier.

Magi ab oriente venerunt Domini stellam se vidisse dicentes. Quo autem iure ex citatis Hieronymi locis suam hi opinionem eliciant, non video.

Tres reges non ab excantationibus, & artibus magicis, sed ab insigni de rebus scientia, qua pollebant, magos fuisse appellatos.

CAP. V.

MVltorum tamen nobilium olim, & nunc æui nostri omnium fermè scriptorum sententia fuit. Reges illos non à turpi Dæmonum commercio, sed è mira, quæ in illis vigebat, sapientia, nactos nomen magorum; quod vt clarius intelligatur, in primis illud ratum esse debet, quod ex Eubulo tradit Diuus Hieronymus; Tres apud Persas olim magorum floruisse ordines, quorum primi, qui & doctissimi, & eloquentissimi erant, excepta farina, & holere nihil amplius sumebant in cibum; Sacerdotis gradu excellebant secundi, cuius rei etiam nunc mos viget apud Persas: postremi erant hi, qui ludificandis hominibus assueti incantationibus, Dæmonumque familiaritate mortalibus exitium inferebant. Si secundum genus excipias, primi, & tertij clara apud Philonem mentio extat libro de specialibus legibus, vbi posteaquam de dęmoniaca magia egerat, eam omni arte, seuerissimisq; Principum legibus de medio planè tollendam contendens, alteram, quæ exactissima rerum naturalium scientia est, his laudibus prosequitur. *Veram quidem illam magiam, hoc est perspectiuam scientiam, perquam naturæ opera cernuntur clarius, vt honestam, expetendamque non plebei solùm sectantur, sed etiam reges regum maximi. Præsertim Persici tam curiosi harum artium, vt regnare non liceat, nisi cum magis versato familiariter*; & rursum iusto odio accensus in alteram adulteratam magiam inuehens docet vnde illa suam originem traxerit. *Ex hac adulterata, deprauataque descendunt, quas maxime proprio vocabulo malus artes dicimus, circulatorum, Ariolorumque studia, & mulierum, mancipiorumque nequissimorum expiationes, lustrationesque profitentium, mutationesque amoris in odium, aut è diuerso in amorem odii per quasdam potiones amatorias, & incantamenta idonea, atque his dolis inuncant simplicissimum quemque, donec in calamitates ingentes pertrahant vt nonnumquam magnæ familiæ, cognationesque paulatim silendo sine ruinæ strepitu intercidant*. Hanc magiæ partionem non solum Philo, sed etiam omnes approbauerè scriptores, de qua videat lector Cælium Rodiginum, Iodochum Lorichium. Iosephum Langium, Bernardum Basin, Franciscum Patricium, Marsilium Ficinum, Cælium Calcaguinum & alios. Taceo eorum nomina, & litteras, quorum nō paruus est numerus, qui de infami magia scripsere, cum eorum monimenta inspicere nefas sit.

Tom. 3. contra Iouinianum. fol. 3. a princ.

Circa medium libri.

De magia qui scripserint

Citatæ magicæ artis diuisioni adfuit Diogenes Laertius, qui de philosophorum, seu sophistarum vitis scripturus in exordio operis plura habet de ijs,

ijs, quos magos antiqui vocauerê vbi inter extera hæc, quæ rem nostram iuuant, notatu digna docet. *Diuinationem*, verba sunt Laertij, *præstigijs plenam ne nouisse quidem magos Aristoteles ait in magico*, & Dio *in 5. historiarum*. Imirò quam hi dignè & scitè philosopharentur ex hoc, quod affert Diogenes, decreto colligere licet, testatur enim, illos statuas repudiare, & eorum maxime opinionem, qui Deos mares, & fœminas esse aiunt, deq; iustitia verba facere &c. & infra rursus ex votis antiquorum Scriptorum Magorum decreta ostendens ex Necatæo in primo de philosophia subdit, magos consueuisse simulachra, ac templa idcirco ædificare quod Dei formã ignorarent. Quæ autem idem Diogenes tradat de ijs, qui Dæmones certis carminibus e tartareis sedibus cient, haud opus est recensere.

Assentiuntur prophanæ litteraturæ testimonijs etiam Patres, qui olim apud Persas, Aegyptios, Chaldæos, Indos, & cæteras nationes nomen magorum inualuisse asserunt ad significandos sapienes, vt videre est apud Athanasium de Incarnatione verbi, Clementem Alexandrinum stromatum libro primo, Cyrillum Alexandrinum in Esaiam Theodoretum lib. 5. Histor. cap. penultimo, & plures alios, quorum mox vota perscrutabimur. Circa medium lib. 4. cap. 47.

Nunc, quod capitis titulus deposcit, probemus testimonijs Sanctorum Patrum magos, qui Saluatoris nostri infantiam genuflexo venerati sunt, ex eorum fuisse numero, qui ex sapientia, & multiiugi rerum cognitione sibi nomen illud pepererunt. Etenim in primis huius sententiæ propugnator fuit Clemens Alexandrinus, qui studiosas olim philosophiæ nationes commemorans, inter primas ponit magos, quos in Perside celeberrimos fuisse arbitratus est. *Et persarum magi, qui quidem seruatoris nostri ortum significarunt stella eos præcedente venientes in Iudæam*, cuius sententiæ adhæsit D. Hieronymus qui verba illa illustraturus. *Præcepit ergo rex, vt conuocarentur arioli, & magi*, ita scribit. *Magi, qui de signis philosophantur. Porro in Chaldæis significari puto, quos vulgus mathematicos vocat. Consuetudo autem, & sermo communis magos pro maleficis accipit, qui aliter habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi Chaldæorum, & ad artis huius scientiam reges quoque & principes eiusdem generis omnia faciant. Vnde & in natiuitate Domini Saluatoris ipsi primum ortum eius intellexerunt, & venientes in Sanctam Bethlehem adorauerunt puerum, stella eis desuper ostendente*. Ex quo B. Hieronymi testimonio illud etiam intelligitur, quod huius capitis firmamentum est, non solum apud Persas, vt ex Eubulo superius annotarat, verum etiam apud reliquas orbis terrarum gentes viros insignes sapientia magorum appellatione insignitos. Hæc sententia in Chalcidij Platonici animo insedit qui historicæ de magorum aduentu ad natum Saluatorem adorandum narrationi fidem suam accomodans in cõmentarijs in Timæum Platonis sapientes eos appellat. *Est, quoq;* inquit ille, *alia sanctior, & venerabilior historia, quæ perhibet de ortu stellæ cuiusdam non morbos mortesq. denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conuersationis, rerumq; mortalium gratiam, quam stellam cum nocturno itinere suspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri, & consideratione rerum cælestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaq; illa maiestate puerili, veneratos esse, & vota Deo tanto conuenientia nuncupasse*.

1. Stromatum.

Tom. 4. comment. in Dan. l. 1. c. 2.

Ante medium l. b. comm.

Quid B. Ioannes Chrysostomus, qui aliquoties oppositum docuisse videbatur, commutata postmodum opinione, sapientes, doctores, amatoresque philosophiæ eos passim appellat, dum ait. *Vt melius nuda magorum philoso-* Hom. 8. in Matth.

phia clarefceret: si autem nuda, & aperta eorum philosophandi ratio fuit, sine dubio omnis excantationis, & perniciosę artis expers fuerit necesse est. Egregium etiam testem innocentiæ magorum fuisse Auctorem operis imperfecti in Matthæum hæc astruunt. *Qui sunt Magi? Viri orientales, qui venerunt a Perside. Magi enim apud illos non malefici, sed sapientes intelliguntur. Ideo autem dicti sunt virtus Damasci, quia virtus vniuscuiusq; prouinciæ sunt sapientes ipsius*. Faciunt præterea ad idem roborandum quę recitantur in ea scriptura, quę nomine Seth circumfertur apud eundem. *Itaq; elegerunt se ipsos duodecim, quidem ex ipsis studiosiores, & amatores mysteriorũ calestium, & posuerunt se ipsos ad expectationem stellæ illius, & si quis moriebatur ex eis, filius eius, aut aliquis propinquorum, qui eiusdem voluntatis inueniebatur in loco constituebatur defuncti. Dicebantur autem magi lingua eorum, quia in silentio, & voce tacita Deum glorificabant*. Vide igitur quodnam magis studium esset familiare. Nec ab alijs dissidet B. Leo Papa de apparitione astri, & magis edisserens, quippe eos doctores, & sapientes non vno in loco esse meminit. Astronomica autem scientia peritos fuisse magos D. Cyprianus testatus est cum inquit. *Erant in illis regionibus viri siderum inspectionibus aßueti, qui arte mathematica vim, discursumq; nouerant planetarum, quia ex elementorum natura rationem temporum metientes astrorum mysteria certis experimentis proprijs didicerant effectibus assignata*; quod fieri potuisse sine criminis nota quid prohibet, si & a tacito, & expresso Demonis fędere non solum abstineatur, sed etiam nullum humanę libertati vinculum inijciatur, quod obseruasse piétissimos reges piè credimus.

Hom. 2. in cap. 2. Matth.

Ser. de stella & magis.

Tom. 8. q. p. Transierẽ in eandẽ opinionẽ Beda in lib. quæst. *Magi viri doctissimi, & astrologiæ sciẽtia peritissimi*, Tom. 1. lib. 2. Rupertus de gloria, & honore filij hominis. *Et sicut tũc magi idest sapientes vtiq; gentiles*, Nicephorus Callistus Eccl. hist. lib. p. *Sapientes autem, nobilitateq; generis, & opibus insignes Magi fuere*, Nicolaus de In cap. 2. Matt. Lyra. *Et ideo isti magi dicti sunt magi non a magica arte* (quod de Diabolica, & adulterina non autẽ magia naturali accipiendum est). *Sed à magnitudine scientiæ, & ideo dicti sunt etiam reges, quia illo tempore philosophi sapientes regnabant*, D. Paschasius Rutbertus, qui eos mathematicas artes calluisse scribit, quamuis in illis virtutem spiritus sancti verius, quàm studia ad Christum inueniendum valuisse credat. *Et ideo ex prophetia eius*, inquit (Balaam videlicet) *euidentius cognouerunt, quod etiam ex doctrina studiose recolentes experiri secundum disciplinam ipsius artis meditabantur. Nam magi idem sunt, qui postea mathematici sunt vocati, quorum est in stellis nascentium ortus inspicere, & ex mathesi rerum probare euentus. Sed de his magis fatendum potius, quod ex prophetia, vel certe Spiritu Sancto eos excitante crediderunt*, D. Tho- 3. p. q. 36. a. 3. corp. mas, qui dum tradit decuisse illuminari & Magos, & Pastores ita loquitur. *Nam magi fuerunt Sapientes, pastores autem simplices, & viles*; quos omnes secutus Innocentius huius nominis Pon. tertius. *Magi, ait, non arioli, sed phi-* Ser. de Epiph. *losophi, qui à magnitudine scientiæ sunt sic vocati*.

Plu-

Plures sensisse tribus Magis inditum nomen a Magia naturali.

CAP. VI.

CAeterùm sine criminis contagio tribus magis nomen magi inditũ á magia naturali, quam profitebantur, non pauci sensere scriptores, quorum vt clarior sit opinio, nosse opus est. In vniuersum duo magię assignari posse fastigia: alterum turpe, & perniciosum, Dęmonis commercio, & familiaritate inauspicatum, quod communis fidelium cętus perpetuo execratus est: ingeniosum alterum, & laude dignum, quod re ipsa nihil aliud est, quam apex, exquisitaque philosophię naturalis cognitio per causas, vt vna voce testantur hi, quos ante de magia disputasse doctores annotauimus. Hinc vocitatos ab Euangelista magos, qui tenellam Christi ętatem primi salutarunt, opinatur Marsilius Ficinus, dũ pro medicina, astrologia, ac magia disputat his vocib. *Quæ sane facultas tã concedenda videtur ingenijs legitimè vtentibus, quam medicina, & agricultura iure conceditur, tantoque etiam magis, quanto perfectior est industria terrenis calestia copulans. Ex hac officina Magi omnium primi Christum statim natum adorauerunt. Quid igitur expauescis magi nomen formidolosum, nomen Euangelio gratiosum, quod non maleficum, & veneficum, sed sapientem sonat, & Sacerdotẽ;* Apologia de medic. &c. Cœlius Rodiginus huic opinioni ita firmiter subscripsit, vt putet impiũ esse aliter opinari. *Denique ad inuisendum, adorandumq; Christum venisse magos veritas testatur Euangelica, eos, opinor, impium fuerit omnium suffragio damnatis illis adiecisse, quando & interpres quidam non maleficos ibi, sed Chaldæorum philosophos monuit intelligi oportere.* Lib. 9. antiq. lectionum c. 23. Sed nimis longum esset prætera adducere recentiorum vota, qui vel á sapientia, vel á doctrina, vel á mathematica scientia reges istos sibi magorum nomen acquisiuisse opinantur. Nempè hoc placuit Tostato, Salmeroni, Maldonato, Gaspari a Mello, Dionysio Carthusiano, Christophoro Sanctotisio, Burgensi, Ioanni Arboreo, Io: Fe o, Caietano, & alijs.

Quibus omnibus dum assentior, haud velim probator videri Salmeronis sententiæ aientis rationi non esse consentaneum arbitrari, astrologicæ scientiæ magos fuisse amatores, cum stellæ, quæ in ortu Saluatoris apparuit, cognitionem nõ hauserint ex astronomia, sed ex Balaami vaticinio, de quo sæpius dictum est: *qua enim ratione, subdit ex astro recens nato regem Iudæorũ, cuius dominatio non terrenæ, sed diuinæ potestatis erat futura, natum poterant argumentari? imò cur nouo sidere astrologos vocari ad Christum diuina prouidentiæ non repugnasset, cuius partes potius fuerant ab ea scientia veluti mortalibus noxia magos auocare?* Salmeronis op. At non ista in magorum astrologiam pugnant, quid enim causæ est, cur præter Balaami oraculum de futuro sidere, præter diuinam inspirationem, quæ se se magorum cordibus infudit, ex ipsis etiam astrono-

mię

miæ rationibus salutem magorum iure auspicari non potuerit Deus, cuius suauissimæ prouidentiæ ratio effecit vt nouis signis, & rebus, quarum antea cultores erant eximij; facilius ad diuina raperentur. Nempe haud insolens est Deo, qui modis omnibus humanam salutem operatur, hac arte vti, cuius recondita ad magorum salutem procurandam mysteria opportunasq; rationes disertè prosequitur D. Ioannes Chrysostomus, dum probat, nihil noui sideris splendore ad vocationem magorum peragendam fuisse magis conueniens. *Propterea igitur omnia derelinquens per ea illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat mira quadam dispensatione pietatis ad hominum condescendēs salutem. Ingens igitur itaq; magis & clarum ostendit astrum &c. Hæc itaq; Paulus imitando ab ara occasione sumpta cum gentibus disserit ex poetis domesticis testimonia proferens.*

Hom. 6. in cap. 2. Matth.

Postrema autem illa Salmeronis ratio, quam frigeat, nimis clarum est, quippe inde consequens fieret, nullo modo decuisse magos nouo sidere de Saluatoris nostri natalitio erudiri, aut eo duce ad iter conficiendum vti, cum esset futurum, vt cæteri astronomię studentes ad eam scientiam ardentius amplexandam ex noui sideris apparitione allicerentur. At quis diuinæ magorum vocationis sideris ministerio peractæ censor esse audebit?

Auctoris de tota quæstione iudicium.

Et ecce habes lector quidquid in vtramque partem de magorum studijs disputari potest; quam verò potiorem, tutioremq; iudicaueris sententiam, amplectere. Ego sicut priori sententiæ, quæ primis nascentis Ecclesiæ Patribus placuit negare probabilem assensum non debeo ob auctoritatem tot insignium doctrina, & sanctitate virorum (in quorum perlegendis monumentis quia non multum Rodiginus insudarat per imprudentiam, impiũ esse hoc Patrum de malis magorum artibus placitum criminatus est) ita totis sensibus non possum non sequi posteriorem, quæ & grauissimis multorum Patrum testimonijs nixa est, & placuit deinceps posterioribus rerum Ecclesiasticarum scriptoribus tanta animi consensione, vt vix aliquem, qui ab ea desciscat, reperias. Hoc enim pietas, qua erga magos maxima tenemur, in animum instillat, hoc eorum vitæ probitas deposcit, atq; hoc palam testari videtur Matthæus, qui honoris, & singularis cuiusdam prærogatiuæ gratia magos potius, quàm reges eos voluit appellare. Quocirca immerito memoriæ prodiderunt nonnulli, hos reges, eo quod Herodi regi illuserint, cum diuerso tramite illum fugientes paterna regna petiuerunt, magos hoc est, illusores dictos esse, cum ex hactenus dictis constet à sola doctrina & scientia illis hoc nomen esse inditum. Magus enim apud eas gentes, de quibus actum est, idem plane sonabat, quod apud Romanos Sapiens, apud Græcos Philosophus, apud Iudæos Scriba, & Propheta, apud Aegyptios Dryida, siue Druida, apud Assyrios Chaldæus, apud Indos Gymnosophista, vt cum Porphyrio Diogenes Laertius, & Plutarchus non obscurè docuerunt.

Magi hoc est illusores non appellati.

De vitis philosophorum.

Quòd si velint alij magos a magodia regione, quam habitatione tenuerunt Abrahę filij quos ex Cætura susceperat, qui ad orientalem plagã recedentes in partibus Arabicis Magodiæ regionis sedes suas collocauerẽ, ex quorum semine magi procreati sint, magos fuisse denominatos, non spernenda erit opinio, cuius auctor est antiquitate, & Ecclesiastica eruditione insignis S. Epiphanius lib. 3. contra hæreses tom. 2. in eo capite, quod inscribitur compendiaria vera doctrina de fide catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ.

Quid

Quid e suis sedibus Magos traxerit ad adorandam Christi diuinitatem.

CAP VII.

QVid? An non noui sideris splendor ratio fuit vel ipsis auctoribus Magis, qui longissimi itineris suscepti causam enarrantes, eam in nouum sidus coniecere. *Ecce Magi ab oriente venerunt Hierosolymam dicentes. Vbi est qui natus est Rex Iudaeorum? Vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Qua de re clarum praeterea est Innocentij Tertij testimonium, dum inquit. Conuenientes igitur isti tres magi iuxta condictum secundum consuetudinem in suis dogmatibus perscrutandis, viderunt quandam stellam mirabilem existentem supra regionem Iudaeae in multis notabilem, & discretam, quia videlicet lux solis eam non obumbrabat, nec in firmamento cum sideribus erat, nec cum planetis in aethere, sed in aere sublimiori vicina terris immobilis permanebat, cuius signo commoti crediderunt illum regem esse natum in Hierusalem. Probe illud sane. Matth. 2. Ser. de Epiph.

Verum si altiori indagine scrutari mysterium non pigeat, illud adhuc remanet aperiendum, quo docente magi in spendidissimum astrum oculorũ aciem contorquentes ex eo natum Dei filium, regemque Iudaeorum tanta animi firmitate cognouerint, vt nulla cunctatione illius natiuitatem confiterentur. In Matthaeum operis imperfecti auctor ex libello nomine Seth praenotato hanc profert rationem iucundam auditu, & dubio procul si veritas constaret, admirandam, nam de Magis summo animi desiderio stellae ortum operientibus cum loquitur ita scribit. *Et sic faciebant per singulas generationes expectantes semper, ne forte in generatione sua stella illa beatitudinis oriretur, donec apparuit ei descendens super montem illum victorialem habẽs in se formam quasi pueri paruuli, & super se similitudinem crucis, & locuta est eis, & docuit eos, & praecepit eis, vt proficiscerentur in Iudaeam.* Vide egregium doctorem magorum, qui si diuino iussu, vt absolute fieri potuit, re ipsa illos humana voce effatus credatur, iam quis maiora desideret? at ambiguę fidei res rursus ad eundem scrupulum nos reuocat. Hom. 2.

Origenes Saluatoris nostri ortum ex eo Magis innotuisse opinatus est, quod magicae artis vires, quibus Daemonum ministerio portentosa magi operabantur, irritas sensissent, inopinatiq; casus solliciti indagantes latentem causam nouum in caelo sidus animaduertere, quod esse signum magni regis orti iuxta Balaami originis suae principis oraculum certo crediderunt: *Daemones* inquit, *ipsi attriti sunt, & infirmiores sunt redditi, vbi eorum deprehensae sunt, & conuictae praestigiae, & actiones omnes non modo per Angelos prorsus deletae, qui ob Iesu natiuitatẽ ad terrã hãc caelitus cõmigrarunt sed per Iesu animam ipsã, & diuinitatẽ omnino sublatae. Magi itaq; qui Iesũ postea adoratũ venerũt, cũ vellent quae soliti fuerant, magicis quibusdã carminibus suscitare, apparentis stellae causam conquirentes, & non mediocrem esse hanc contemplati: cum in caelo signum spectarent, quod diuina, non humana praeferret, caepit cupido animum quid porten-* Contra Celsum lib. p.

portenderet, peruidere. Et vt nobis apparet, cum haberent & hi ex Balaam prophetias, quas Moyses ipse, vt erat ingenio acer, conscripserat, & in his de stella quod traditur, comperissent, intellexerunt hominem demigrasse ad vitam, & natum esse, quem Propheta cum stellæ inditio iampridem venturum denuntiassent. Et cum hunc vt potiorem Dæmonibus praetulissent, qui soliti essent variis rerum imaginibus ludificari, in Iudæam eundem adoraturi se contulerunt. Hinc claret falli eos, qui de mente Originis lib. 1. contra Celsum factam à Dæmonibus aduentus Christi in carne Magis reuelationem memoriæ prodiderunt. *Nec improbabile*, inquiunt hi, hanc Originis, vt sibi videbantur cōfirmantes opinionem, *omnino est, voluisse Deum filij sui ortum per Dæmones declarari, cum videamus eos Christū negantibus Iudæis confiteri, & consentaneum videbatur, vt pastores, qui cælum perpetuò contuebantur, per Angelos è cælo, magi, qui ab inferno scientiam hauriebant, ab inferno per Dæmones docerentur.* At quis ex allata Originis sententia hoc animaduerterat, aut eam dæmonum admonitionem inde colligat præcipuè (vt hoc adijciam) cum maximè probabilis, tutiorq; sit Sanctorum Patrum, ac Theologorum sententia, Verbi diuini Incarnationem, quæ redemptionis humanæ erat pretium, tenebrarum principibus fuisse ignotam vsq; ad Saluatoris nostri completam passionem: cuius ignorationis suæ Dæmones signa non obscura dederunt, cum suaserē Iudæis arte solita, vt Dominum in cruce figerent; & cum ante mortem, vt periculum de illius diuinitate facerent, Christum illis verbis aggressi sunt. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Similiter hallucinati sunt qui D. Hieronymum velut eiusdem opinionis propugnatorem in cap. 19. Esaiæ afferunt, cum nec somniasse quicquam eiusmodi visus sit eo loci Hieronymus.

Maldonatus in Matt.

Dæmones Christi aduentum an cognouerint

Persimilem habet allatæ ex origine opinioni sententiam D. Basilius, qui licet hæsitans loquatur, tamen ex magicarum superstitionum defectu ad cognoscendam nati regis virtutem magos permouisse scribit, *Forsitan & per aduentum Domini aduersariam potestatem iam debilitatam irrita sua energia sentientes magnæ virtutis nato attulerunt.* D. Basilij planè æmulatus videtur opinionem Scholiastes in Ecclesiasticā Nicephori Callisti historiam, cum ad hanc eandem, quam sibi posuerat quæstionem respondens ait. *Fortasse verò cum apparitione Domini aduersaria potestas reddita esset infirmior, magi etiā efficaciā suam abolitam esse sentientes, magnamq; potestatē nato regi attestantes &c.* Verùm Virgineo partu non irritas penitus Dæmonum fuisse machinationes mortalium plurimi ab eo temporis spatio ad hanc vsque diem suo in dies periculo experti sunt, cum miserrimis morbis afflictati Dæmonum arte inuentis lenta morte consumpti sunt. At esto, defecerint Dæmonum præstigiæ, cum humanos artus Dei verbum induit, qui tamen fieri potuit, vt nullo alio superaddito Dei auxilio natum Deum protinus crederent, quærerent, & venerarentur Magi?

Hom. 25. de human. Christi generat.

Lib. 4. cap. 13.

Putauerē alij, magos, è Iobi historia, & sermonibus, quos de Dei filio, & Incarnationis arcano tres amicos alloquens protulit, arcanum istud didicisse, immò senserunt pariter ijdem sibyllinis carminibus eruditos magos accessisse Bethelem, quandoquidem hæc de Saluatoris ortu Samia Sibylla cecinisse creditur.

Humano quem Virgo sinu inuiolata fouebit.
Annuit hoc cælum, rutilant'a sidera monstrent.

At diuinantis illa sunt verius, quàm certa loquentis, ignotumque vt mihi, sic

fic etiam illis planè semper fuit, an ad manus magorum & Iobi, & Sibyllarum volumina peruenerint? Quod si liberalitatis ergo hoc illis concedamus, eadem adhuc premuntur difficultate, quo modo videlicet nouum astrum, quod oculis conspexerê magi, adeo firmiter crediderint id ipsum esse, quod Iob, & Sibyllę esse futurum prędixerant, vt statim ad adorandum natum regem tanto sudore contenderent.

Mira sunt, nec celanda lectori, quæ in huius quæstionis explanationem excogitauit Marsilius Ficinus, qui vt erat acri vir ingenio astrologicis commentis nimium addicto, ita ex situ, & positione cælorum, & ex Planetarum Virginis, Iouis, Veneris, Mercurij concursu, & constellatione, quam in cælo tunc fuisse prædicat, cum stella Magis apparuit, certo iuditio magnum, iustissimumque regem cognouisse magos arbitratur, inspecto cometa, (stellam enim fuisse cometam putat), qui duorum mensium spatio, duobus annis antequam Christus ederetur in lucem, Magis illuxerat, eosq; excitarat in apertam futuri regis expectationem, at quia motio cometæ tūc index non fuerat certi loci, in quo esset rex iste magnus, diu suspensi, & dubij hæsitauerê, donec duobus elapsis circiter annis, rursus se se magorum oculis idem cometa obijciens traxit eos Hierosolymam. Nouum Ficini commentum.

Omissis fictis iudiciariæ astrologiæ rationibus, ex quibus Magos Saluatoris ortum percepisse contendit Ficinus, quas curiosus lector apud eundem videat, videamus, qua ratione bis conspecti sideris sententiam tractet. *Cometa quidem*, ait, *ad duos forte menses duxit secundum duas ascendentis horas & si vergeret ad meridiem versus Iudæam, locum tamen certum non designabat. Hactenus insuper ob eiusmodi controuersiam nesciebatur vtrum natus, vel nasciturus ille, cælitus potius an diuinitus mitteretur. Quoad cometa rursum post duos annos referens videlicet menses duos, non in summo, sed in infimo iam aere se monstrauit, tunc agnoscētes priorem magi cometam, motum eius prosecuti sunt, eoque duce Hierosolymam quadraginta, & duo peruenere diebus.* Nouum hoc Ficini commentum iure meretur antiquam Sanctorum Patrum, totius Ecclesiæ, ac Theologorum omnium censuram latam in eos, qui hominum genesim ex astris conijcientes futura nascentium ingenia prædicant, quorum acerrimi castigatores fuerê Origenes, Tertullianus, Augustinus, Io: Chrysostomus, & alij Patres. Quod si eorum, qui consueto naturæ ordine nascuntur, nec ex astris ortum, nec ex ortu mores, & studia nosse possunt astrologi, quanto magis Christi Domini ortum, qui cælestis, diuinus, & supra naturæ uires fuerat, ex planetarum cognitione, & concursu ignorare prorsus debuerunt Magi etiam qualicunq; siderum peritia instructissimi? Tùm quis non irrideat nouū Ficini de duplici sideris apparitione placitū nō Sanctorum Patrum testimonio, non Sacrarum litterarum præsidio, non grauissimi alicuius scriptoris auctoritate, sed sua nuda assevcratione firmatum? Libella de stella & Magis.

Magi inspecto sidere ex Balaami vaticinio Christum natum crediderunt.

CAP. VIII.

Illud igitur, quod ad præsentem quæstionem attinet, verum arbitror: Ortum Christi Domini ostensum signo splendidissimi sideris cognouisse magos ex Balaami vaticinio, & ex diuina inspiratione, quæ eorum mentes ita illustrauit, vt nulla prorsus ratione de veritate hæsitarent. Nam cum Magi iure hæreditario celeberrimi quondam vatis, ac magistri sui Balaam oracula obseruarent, illius attentissime præstolabantur euentum, quod Numerorum 23. ab eodem editum legitur. *Orietur stella ex Iacob, & exurget homo ex Israel.* Quocirca stellam videntes protinus cōpletum illud intellexerē, quod apud eosdem fortassis clariori, apertiorique modo fuerat euulgatum, vt nulla esset dubitandi occasio, quominus stella, quæ illis postmodum apparitura erat, certum esset nati magni Regis argumentum. Sed quoniam nostra hæc assertio duplici parte constat, vtramque separatim firmemus testimonijs eorum, qui vtriusq; auctores fuerē.

Et prioris quidem membri tot ferme recenseri possunt propugnatores, quot fuerē illius Euangelistæ loci interpretes, quorum nonnullos referam incipiens à Patribus, & ab Origene in primis, cuius clarissima est hac de re opinio. *Si,* inquit, *a Moyse prophetiæ Balaam sacris insertæ sunt voluminibus, quanto magis descriptæ sunt ab his, qui habitabant tunc Mesopotamiam, apud quam magnificus habebatur Balaam, quosq; artis eius constat fuisse discipulos? Ex illo deniq; fertur magorum genus, & institutio in partibus orientis vigere: qui descripta habentes apud se omnia, quæ prophetauerat Balaam, etiam hoc habuerunt scriptum, quod orietur stella ex Iacob & exurget homo ex Israel. Hæc scripta habebant magi apud semetipsos: & ideo quando natus est Iesus, agnouerunt stellam, & intellexerunt adimpleri prophetiam magis ipsi, quam populus Israel, qui Sanctorum Prophetarum audire verba contempsit. Illi ergo ex his tantum, quæ Balaam scripta reliquerat, agnoscentes adesse tempus venerunt, & requirentes eum statim adorauerunt.* Sed rursum audiamus eundem alibi ita disserentem. *Possunt quidem isti tres, qui pacem requirunt a verbo Dei, & præuenire cupiunt pacto societatem eius, figuram tenere magorum, qui ex orientis partibus veniunt eruditi paternis libris, & institutionibus maiorum.* Hactenus Origenes, qui alijs etiam in locis idem repetit. Nec minus claritatis est in verbis Basilij de hac Magorum cognitione ita ratiocinantis. *Idcirco ex oriente Magi excitati stellam sunt ducem secuti &c. Nimirum Balaam vaticiniū sequi sunt visi, qui de Christo talia visus est dicere orietur stella &c.* Ab his stetit Nyssenus Gregorius dum hęc habet. *Ecce tibi, qui ab eo genus duxerunt magi ex prædictione ipsius nouum obseruant ortum stellæ.* Neque repugnat B. Hieronymus, qui licet indagandæ veritatis studio alias etiam huius notitiæ magorum causas subtexat, hanc nihilominus, quam de Balaami prophetia

Hom. 13. in Numeros.

Hom. 14. in Genes. cap. 26. t. p.

Hom. 25. de Huma. Christi generat.

Oratione de Die Natiuitatis

protulimus, maximè approbauit. *Vnde & magi de oriente venerunt, Domini stellam se vidisse dicentes, vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaam prophetæ sui, qui in Numeris dixerat. Orietur stella ex Iacob, & homo de Israel.* Et alibi. *Successores, ait, Balaam, Magi vaticinio nouerant futuram stellam.* Ad hanc eandem sententiam lib. 2. commentariorum in Lucam ita scribit Ambrosius. *Sed tamen, qui sunt isti magi, nisi qui (vt historia quædam docet) à Balaam genus ducunt, à quo prophetatum est. Orietur stella ex Iacob? Isti ergo sunt non minus fidei, quam successionis hæredes. Ille stellam vidit in spiritu, isti viderunt oculis, & crediderunt.* Præterea his verbis vsus est in hac approbāda opinione auctor operis imperfecti in Matthæum, qui cum hanc quæstionem excitasset, quo modo magi ortum Saluatoris intellexerint, ad eam duplici ratione ita respondet. *Primo quidem dicimus diuinæ dignationis fuisse hoc munus. Deinde legimus in libris Mosi fuisse Balaam quendam prophetam gentium, qui aduentum Christi, & Incarnationem eius ex Virgine certis sermonibus prophetauit &c. orietur stella ex Iacob. Et idcirco viso nouo stellæ signo crediderunt.* Sed iuuat insuper quæ D. Cyprianus perspicuè meminit ob oculos lectoris ponere. *Hi, enim ait, ex vaticinijs Balaam olim audierant, stellam oriri ex Iacob & hominem ex Israel, cuius fortitudo quasi &* mox. *Diu,* subdit, *homines illi huius prophetiæ prouentum expectauerant, & vbi venit plenitudo temporis orto repente nouo sidere ad antiqua recurrentes volumina, tam testimonio muniti, quam signo Dromedarijs inuecti in Iudæam stella duce perueniunt.* Hoc idem pulchrè declarant quæ habet S. Leo Pontifex ita scribens. *Potuerunt magi etiam de antiquis Balaam prænunciationibus commoneri scientes olim esse prædictum, & celebri memoria diffamatum, orietur stella &c.* Quò etiam spectant illa verba Innocentij Tertij. *Successores doctrinæ Balaam, qui stellam eius vaticinijs cognouerunt prædicentis olim in spiritu. Orietur stella &c.* Cum citatis omnibus senserê Theophylactus, Euthymius, Beda, Hisidorus Hispalensis locis ante citatis, Eusebius Cæsariensis lib. 9. de Demonst. Euang. Dem. prima, Lyranus in Matthæum, S. Paschasius Rutbertus ibidē, & alij. Ad extremum, ne in adducendis Patrum testimonijs nimius sim, finem faciā apertissimo Angelici Doctoris testimonio. *Dicendum quod sicut dicitur in lib. de quæstionibus veteris, & noui testamenti Magi illi traditionem Balaam sequebantur, qui dixit. Orietur stella ex Iacob, vnde videntes stellam extra ordinem mundi, hanc esse intellexerunt, quam Balaam futurum indicem regis Iudæorum prophetauerat.*

Tom. 4. lib. 1 comm. in cap. 17.
Tom. 6. in Matt.
Hom. 2. in Matth.
Serm. de stella magorum.
Hom. de Epiph.
Ser. de Epiph.
3. p. q. 36. a. 5. ad ultimum.

Mirum præterea est quanto assensu in hoc conspirent omnes, qui subsequentibus seculis ad hanc vsq; diem in sacris litteris illustrandis notis, cōmentarijs, scholijs disputationibus, aliove laudabili labore insudarunt. Nempe hoc voluerê Abulensis, Salmeron, Maldonatus, Zacharias Chrysopolitanus, Gaspar à Melo, Diony. Carthusianus, Chrystophorus Sanctotisius, Burgensis, Ioannes Arboreus, Ficinus, alijq; ferme omnes.

Quibus non assentiens Caietanus in contrariam opinionem discessit ea ratione motus, quod ex illo Balaami vaticinio non habeatur, orituram stellam nati Saluatoris indicem, sed Saluatorem duntaxat stellæ futurum similem, vt ex sacræ scripturæ verbis liquet. *Orietur,* vel vt ipse de more suo hebraizans legit *incessit stella ex Iacob.* Ergo, subdit, stellæ apparitio nihil ad ortum Saluatoris magorum cognitionem iuuare potuit; nī fortassis apud magos clarior vigeret notitia, vel traditioni, vel Balaami vaticinio innixa, qua hi docerentur, stellam nati Saluatoris futurum argumentum, quod

Caiet. opinio confutata. non constat. Verùm miror Caietanum subtili præditum ingenio, sacriq; eloquij gnarum communi Sanctorum Patrum sententiæ repugnasse, præter enim allatos & Iustinus Martyr in apolog. secunda ad Antoninum Imperatorem pro Christianis habita, & Irenæus lib. aduersus hæreses 3. ea sacri codicis verba intellexerê de stellæ ortu natum Messiam præmonstrante; quasi verò non viderit Caietanus in vna, eademq; Sacrarum litterarum sententia varios sensus latitare, & eos præcipuè quos Spiritus Sanctus cuiusuis earum particulæ auctor, & magister nouit idoneos; ergo quid prohibet & stellam Christum appellatum fuisse, & eandem stellam ortus vindicis nostri signum pariter fuisse à Spiritu Sancto tribus magis patefactum, vt doctè voluit D. Ambrosius, qui vtrumq; Christo tribuens, & illum stellam iure à Prophetis dictum, & stellæ eiusdem splendore se ipsum ostendisse Magis testatur, dum inquit. *Ipse enim est stella splendida, & matutina. Sua igitur ipse luce se signat.*

Lib. 2. comm. in Lucam.

Posterioris membri assertio multitudine, & grauitate Patrum & Scriptorum testimonijs vix superiori concedit. Magorum enim vocationem, & ad incunabula Saluatoris adoranda aduentum opus fuisse diuinæ inspirationis, quæ eorum mentes illustrauit, inflammauit voluntatem, propositum confirmauit itineris longissimi, deditq; vires euntibus, vt credam suadet in primis Gregorius Nyssenus. *Nam qui solem suum oriri facit super iustos, & iniustos, qui pluit super bonos, & malos cognitionis radium, & verem Spiritus alienis etiam linguis demisit, vt aduersariorum testimonio magis etiam apud nos veritas confirmaretur.* hæc de magis loquens Nyssenus. At quia hanc de diuino gratiæ auxilio Magis concesso sententiam dissertè tractat B. Ioannes Chrysostomus pauca de eiusdem verbis rem declarantibus hic apponam. *Verum, ait, quid illud est, quod magis puerum adorare persuasit? Nam neq; Virgo ipsa erat nobilis, neq; domus, in qua habitabat, illustris, nec quicquam in his omnibus, quæ videbantur eiusmodi erat, quod magis admirationem faceret, eosq; ad puerum alliceret adorandum,* & mox. *Quod proculdubio fecit & stella, quam viderant, & à Deo donata lux, quæ illorum mentibus quasi aliud quoddam sidus effulserat, eosq; paulatim ad perfectiorem scientiam prouehebat. Cum enim essent cuncta vilia, nisi illud eorum animos incitasset, numquam profectò illi tantum honoris paruulo detulissent.* Idem tradit breui, sed clarissima oratione operis imperfecti auctor in Matthæum cum ait. *Neq; enim Christum Dominum nostrum magi falsæ religionis auctores cognoscere poterant, nisi dignationis diuinæ gratia illustrati.* Et rursus eundem lapidē euoluens. *Primò quidem dicimus diuinæ dignationis fuisse hoc munus.* Nunc Leonem Pont. Max. hoc semel, & iterum explicantem audiat lector. Commouet magos remotioris orientis habitatores stellis cæteris stella fulgentior, agente hoc sine dubio in eorum cordibus inspiratione diuina, vt eos tantæ visionis mysterium non lateret, & quod oculis ostendebatur insolitum, animis non esset obscurum. Et mox, *fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit.* Huc etiam illa Euthymij verba spectant. *Splendor diuinus animos magorum illustrarat.* Nec recedit ab aliorum opinione Rupertus Abbas de gloria, & honore filij hominis edisserens, vbi lib. 2. magos diuinitus inspiratos fuisse, vt Iouum regē perquirerent, admonet. Fauet subinde Paschasius Rubertus his verbis scribens. *Nisi enim lucifer matutinus primum eorum cordibus oriretur, nequaquam stella præuia regem Iudæorum tam constanter inquirerent.* Adhac D. Thomæ Aquinati hoc placitum arrisisse, qua scripta reliquit 3. p. q. 36. a. 5.

Orat. in die Natiuitatis Domini.

Hom. 7. in cap. 2. Matth.

Ser. 3. de Epiph.

In c. 2. Matth.

Lib. 2. in Matt.

ad

ad vltimum, fidem astruunt. Tandem ex recentioribus doctoribus ij omnes, quos anteà non semel retulimus, in cælestis auxilij opem conferunt, quòd magi Christo recens nato munera obtulerint.

Quamuis D. Augustinus maluerit opinari, hòc esse peractum Angelorum ministerio, qui magos reuelatione monuerint, & quid inusitatum sidus significaret, & quid sibi protinus esset agendum. *Ipsos etiam magos, ait, quibus tam clarum signum in cælo dederat, & quorum cordibus se natum esse reuelauerat &c.* At ne dicas hæc de nuda inspiratione accipiēda esse, vt voluit hactenus explicata opinio, quid alibi clarius docuerit Augustinus agnosce. *Hinc stellam, sicut intelligitur, admirati, cuius etiam esset consequenti reuelatione nosse meruerunt.* Quod B. Augustini placitum probabilitate sua non carere censendum est ob tanti Patris auctoritatem, quamuis opinati sint complures, hoc Angelorum officio haud opus fuisse, cum commodior videatur diuinitus animis eorum concessus inspirationis radius. S. Aug. sententia. Ser. 5. de Epiph. tom. 2. Ser. 7. de Epiph.

Quo tempore ab ortu Saluatoris Magi ad eum adorandum Bethlehem accesserint.

CAP. IX.

PErgrauis ista est inter doctores, celebrisq; disceptatio, pro qua dirimenda quinq; numerari possunt Scriptorum opiniones, quarum primo loco recensenda est, quam Eusebius Pamphili, Sanctus Epiphanius, & posteriores alij illorum secuti vestigia tradiderē. Huius autem opinionis quæ fundamenta fuerint ex Epiphanio audiamus, qui de nece puerorum ab Herode scelestissimo interfectorum edisserens ita scribit, ea verba ponderans Euangelij. *Occidit pueros à bimmatu & infra. Hinc vero cui non apparet, quod quando venerunt magi duos annos puer natus erat? Nam & ipsa tractatio omnem certitudinem declara, t Lucas etenim dicit fasceis innolutũ esse puerum recens natum, & iacuisse in præsipi, & spelunca, eo quod non esset locus in diuersorio. Erat enim tunc descriptio, & qui dispersi erant à tempore bellorum in Machabæis factorum per omnem terram dissipati erant, & pauci omnino manserunt in Bethelehem habitantes. Quare in quodam exemplari Euangelistarum appellatur ciuitas Dauid, in alio vero pagum ipsam vocant, eo quod ad modicam terram deuenerit. Quando autem factum est edictum regis Augusti, & necesse habebant, vt venirent dispersi, ipsorumq. gratia venerunt in locum, vt describerentur affluentes populi multitudines, & impleuerunt locum, & non erat locus in diuersorio propter frequentiam. Postea verò facta descriptione habijt vnusquisq; eo vbi habitationem habebat, quare & amplitudo in terra fuit. Proficiscentes autem memoriæ gratia eorum, quæ illic facta fuerant primo anno perfecto, & secundo impleto venerunt parentes illuc à Nazareth velut ad conuentum hunc. Quare & Magorum aduentus contigit circa talem casum, itaut non æqualis fuerit tunc habitatio Mariæ, & Ioseph ei apud Lucam propter descriptionem relata est. Non enim inuenerunt Mariam in spelunca, vbi peperit, sed* Euf. in Chronico. Epiph. lib. 2. tom. 1. hær. 51. Duobus elapsis annis a Virginis partu venisse magos.

velut

velut Euangelium habet. Deducebat, inquit, ipsos stella vsq; ad locum vbi erat puer, & ingressi in Domum inuenerunt puerum cum Maria. Non amplius in præsepi, non amplius in spelunca, sed in domo, vt cognosceretur veritatis certitudo, & temporis duorum annorum spatium, ex quo natus est, donec accesserunt magi. Et in illa nocte post duos natiuitatis annos visus est Ioseph Angelus, & dixit, vt assumeret puerum, & matrem in terram Aegypti. Quapropter non amplius reflectit Ioseph in Nazareth sed aufugit cum puero, & matre in Aegyptū, & alios duos annos istbic transigit. Eandem plane sententiam repetit aduersus Ebionæos hæresi 30. quamuis breuiori verborum circuitu vsus sit, contentus ea sola ratione, quæ ab occisione puerorum binorum ducitur, vbi ex magorum adoratione probat Christum Dominum verum Deum fuisse humana carne indutum. *Et quod statim genitus Deus erat, & non nudus homo, magi clarè ostendunt. Nam post duorum annorum tempus, vt ostenderunt Herodi tempus stellæ a bimmatu, & infra progressi in Hierusalem ijdem magi, vbi interrogauerunt, & cognouerunt, quod in Bethlehem gignitur, rursus exierunt stella ducente ipsos, & venerunt à Hierosolymis in Bethelehem, & ingressi inuenerunt ipsum cum matre sua Maria,* & in Panario lib. 1. tom. 2. penult. capite, cuius titulus incipit. *Præsentiam Christi, & aduentus in carnem, nihil aliud probat.* Ex quibus locis claret, duplici innixam esse firmamento Epiphanij opinionem. Altero quod Saluatorem non in spelunca, non in præsepi, in quo iacuerat, sicut Lucas meminit, sed in domo, in qua commodiorem habitationem habuerat, stella duce salutarint Magi. Altero quòd duobus iam elapsis annis post Virgineum partum magos accessisse illa Matthæi verba demonstrant. *Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethelehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra secundùm tempus, quod exquisierat à Magis.* ergo cum Euangelista illud biennij spatium referat ad ea, quæ Herodes tempus apparitionis stellæ, ac quod inde erat consequens, ortus Christi enixè quærens à Magis didicerat, clarum est, Christum cum Magi ab oriente venerunt, iam duos annos natum fuisse.

Eadem repetita ab Epiph. sententia.

Quod non tam allata Euangelij verba, quam ratio declarare videntur. Nam si decimo tertio die à natali suo est à magis adoratus, cur Deipara Virgo par turturum, aut duos pullos columbarum in solemni purificationis die, non verò certam auri summam, cuius ingentem vim à magis dono acceperat, Deo obtulit, vti non modo Virginis liberalitas, sed & religio, & pietas postulare videbantur? Illud obiter hoc loco monuerim, a quibusdam hanc opinionem Zachariæ Chrysopolitano falsò imponi, cum is ad eum Matthæj locum, ex quo tota quæstio oritur, ne per suspicionem quidem hanc attigerit vnquàm.

D. Augustinus anniuersaria, vt puto, Ecclesiæ celebritate permotus, qua colitur festus dies aduētus magorū decima tertia ab ortu Saluatoris die, eadem quidem die venisse magos arbitratus est, sed voluit biennio ante stellam eis apparuisse, vt opportuno tempore Messiam venerarentur. *In Cælo enim videntes ignotissimam stellam non ante paucos dies, sed ante fermè biennium, sicuti inquirenti Herodi patefecerunt. Vnde à bimatu & infra occidit infantes secundum tempus, vt scriptum est, quod exquisierat a magis.* A sententia Augustini non valdè abhorrent ea, quæ B. Ioannes Chrysostomus memoriæ prodidit, ex eo suæ circa dæ suæ opinionis trahens argumentum, quod necessario sequi videatur, ante multum temporis, quàm Christus nasceretur, visam à magis

Ser. 7. de Epiph.

Biennio ante Christi ortum stellam visum a magis.

magis fuisse stellam, vt qui longissimis terrarum spatijs distabant, statim nati Saluatoris infantiam etiam in præsepi degentem colerent. *Siquidem, ait, & quod stella magos [illegible] itus vocauit, & quod homines barbari longinquæ subierunt peregrinationis laborem, vt adorarent in pannis, atq; in præsepi collocatum, & mox subdit. consequenti rerum ratione colligitur stellam ipsam ante multum apparuisse tempus. Quia enim magi plurimum erant itineris longinquitate remorandi, vt possent mox nato puero assistere (quem vt mirabilius rei dignitas eluceret pannis adhuc infantiæ colligatum oportebat adorari) ante multum tempus stella se demonstrauat. Si enim quando puer natus est in Palæstina, tunc illis stella apparuisset in Perside, plurimum in itinere tempus terentes nequaquam illum adhuc in pannis inuenire potuissent.* Præter allatam à Chrysostomo rationem huius etiam secundæ opinioni inuemendæ occasionem præbuisse videtur Matthæus, dum eos ab oriente Hierosolymam, & Bethelehem accessisse narrat; at cum fieri nulla ratione possit, vt tam breui temporis spatio è vltimis partibus orientis recedentes Christo astiterint magi decima tertia die; eos itineri se commisisse ante Saluatoris ortum videtur asserendum. Hom. 7. in 2. Matth.

Vtriusq; narratæ opinionis visus est defensor Theophylactus, licet posteriori libentius adhæreat ita scribens. *Stella enim antequam natus esset Dominus apparuerat magis, quoniam multum temporis in itinere insumpturi erant immò multo ante apparuit stella. Adorant eum in fascijs iacentem. Alij autem dicunt, quod cũ Christo nato apparuerit stella, & magi per biennium venerunt, & non in fasciolis inuenerunt puerũ neq; in præsepio, sed in domo cũ matre bimũ. Sed tu priorem sententiam, vt meliorem habe.* His recensitis opinionibus non aliud adiecit iuditium Nicephorus Callistus, quam quod protulit Theophylactus, dum ait. Porro duobus elapsis annis post spontaneam illam, feminisque expertem conceptionem, vteriq; gestationem, quam in domicilio Bethlehemetico Virgo Dei mater esset, seu potius (vt alij tradunt) duobus ante diuinam Natiuitatem annis, patria relicta, se in viam magi Persici dedere, atq; itinere peracto, quum etiam in præsepi, fasciisq; iaceret Christus, & simul in casa illa diuersorij versaretur, Dei genitrix in Bethelehem aduenere, quod quidem certius est. Enarr. in 2. Matth. Eccl. Hist. lib. 1. cap. 13.

Elapsis ab ortu Christi duobus annis Magos non accessisse Bethelem, nec antequam Christus nasceretur ijsdem ostensum sidus, quod in natali eius emicuit.

C A P. X.

CAeterum quia vtraq; opinio ijsdem nititur scripturæ testimonijs, ne cæteras, quæ supersunt, opiniones subijciens, obscurior euadat, oratio, vtraq; hîc refellenda est à nobis. Neq; enim primum illud prioris sententiæ fundamentum adeo firmum est, vt in suam sententiam me trahat cogitantem, vsitatam esse sacræ scripturæ loquendi formulam, locum quemlibet habitationi quoquomodo deseruientem domum appel-

appellare, vt probè psaltes canit, *Passer inuenit sibi domum*, vbi passeris tugurium, siue nidū domum vocat: *Ergo leuis est ea argumentatio, qua Christum bimum fuisse probant hi, propterea quod de præsepi, aut spelunca, in qua natus est Dominus, nihil edisserens Matthæus, in Domo Saluatorem salutatum a magis scripsit. Intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria Matre &c.* Sed taciamus nec in præsepi, nec in specu accumbentem infantulum, sed in domo repertum à magis; quo iure protinus hęc eorum obfirmatur sententia? an non satius esset cogitare Deiparam Matrem cum Iosepho sene ad purificationis vsq; tempus ibi commorantem, commodiorem sibi, & puero habitationem inuenisse, vbi gentium multitudo, quæ Bethlehem confluxerat, ad sua tecta se recepit, vt voluit Theophylactus? *Mox quidem vt natus fuit, reclinauit Virgo puerum in præsepium, non enim inuenerant domum. Verisimile autem est postea eos inuenisse domum, vbi & Magi inuenerunt eos.* Tum ab vtriusq; sententiæ patronis causam sciscitor tantæ magorum tarditatis, si iter aggressi duobus ab ortu stellæ armis nacti sunt Saluatorem: an forte de signo illis diuinitus patefacto diu hæsitantes, quid consilij caperent, quodue iter sequerentur ignorabant? donec certiori nuncio moniti moras abruperê; Verum diuinæ inspirationis natura, qua eorum mentes decorabantur, hoc penitus auersatur, nimisq; clarum apud magos erat Doctoris sui Balaam vaticinium. Quis verò præter ista, aliud signum exhibitum magis commentari audeat? An pene immensa orientis, ex quo venerant, distantia id effecit? certe cum vnius anni curriculo, non solum Palæstinæ, sed orientis, atq; occidentis plagas, & limites quilibet inuisere possit, esse hoc, quod de magis asseritur infirmum, quis ignorat? Quid si venisse Magos non a dissitis adeo regionibus ostendam testimonijs multorum?

Cap. 2. Enarr. in c. 2.

Sed, ais, nati sideris arcanum probe agnoscentes magi, vt pararent quæ itineri conficiendo erant opportuna, tardius iter sunt aggressi: *At nescit tarda volumina*, vt in simili scite protulit Ambrosius, *spiritus sancti gratia*, huius autem vocationis magorum auctorem fuisse paracletum iam probauimus. Præterea, qui elapsis duobus annis à partu Virginis aduentum magorum accidisse volunt, non vident hinc sequi, fore vt Christum non in Bethelehem, sed in Nazareth magi reperissent, cum ex Luce Euangelio clarum sit, Iosephum cum Deipara, & infantulo, expleto munere purificationis die quadragesimo post ortum, se Nazareth contulisse, & tamen in Bethelehem muneribus Christum cumulauerê magi, vt Matthæus refert.

Quod si asserant æquè Nazareth, ac Bethelehem coluisse cum sene, & puero Deiparam, cum vtrobiq; aliquid diuitiarum, seu prædiola quædam possiderent, vt voluit Nicephorus Callistus ita scribens. *Congruebat enim, quum per quadraginta dies Bethlehemitæ scilicet munus suum in censu, & descriptione eo loco ritè obijssent, vt ad domicilium suum in Nazareth redirent, propter eam, quæ tum ibi eis erat substantiam, & possessionem. Vtrobiq; enim habitabant, quod vtroq; loco prouentum aliquem, vt conijcere licet haberent*; quod & Scholiastes in eundem locum coniectura affirmari posse testatur. At sanè nudam esse hanc Callisti coniecturam eius loquitur testimonium nulli veterum, nulli recentiorum scriptorum consonum voto, Virginisq; & Ioseph paupertati contrarium, quibus nullus vnquàm fuit in exigendis pecunijs, aut in colligenda terrenarum rerum substantia labor, aut industria.

Eccles. Hist. lib. 9. c. 13.

Ioseph, & Virginis paupertas

Nec illud mihi vero vnquam simile visum est, quod addiderê alij. Mariã & Iosephum cum puero Bethlehem venisse, occasione sollemnis cuiusdam

dìei;

diei; ibique tunc à Magis repertum Dominum. Sed quodnam festi genus hoc fuerit ignorant, & merito: non enim è legalibus olim à Deo per Moysem datis populo Hebræorum esse poterat, quandoquidem illius propria sedes non Bethelehem, sed Hierosolyma erat, ergo spectaculum illud fuerit necesse est, quod Virginis grauitate, prudentia, sanctitate, cæterisque virtutibus, quibus ornata ad miraculum vsque semper fuit, indignum esse, non est cur moneam. Illud autem quod Epiphanius in huius difficultatis explanationem excogitauit, nempe Mariam & Ioseph rursum primo, & secundo anno Bethelehem accessisse memoriæ gratia eorum, quæ ibidem antè facta erant, quis credat? vt enim gratis asseritur, sic nullo negotio repelli potest.

Nunc ad illud Matthei testimonium, quod huius quæstionis caput, & origo fuit, reuocanda est oratio. Licet autem multiplex, & varia loci illius sit doctorum explanatio, eas dũtaxat ego solutiones proferam in medium, quæ firmiores videbuntur. Placet igitur in primis, sic eam Matthæi sententiam interpretari, vt concedamus iussu Herodis tenera matronarum pignora perempta à bimatu, & infra, sed tamen illud, quod dicitur, *secundum tempus, quod exquisierat à magis*, cogitemus non esse referendum ad illud à bimatu, sed ad id quod sequitur & infra secundum tempus, itaut sensus sit, ab Herode necatos eos paruulos, qui bimi erant temporis amplitudine abusus, & eos etiam, qui minoris erant ætatis interfectos pariter à Tyranno iuxta tempus, quod à magis didicerat. Sed præstat hîc Euthymij sententiam, & verba ascribere, quibus subtiliter, & enucleatè hanc interpretationem posuit. *Eos ergo, ait, qui bimuli erant occidit, vt temporis amplitudinem haberet, sicut prædiximus, illos verò, qui minoris erant ætatis, secundum tempus quod exquisierat a magis. Itaq; & tempus, quod a magis didicit, obseruauit, & latitudinem alteram ipse adiecit. Restat igitur, vt verba illa secundum tempus quod exquisierat a magis, non in eo quod dicitur à bimatu intelligas, sed in eo quod additur, & infra. Oportet enim post id quod dicitur à bimatu distinctionem ponere, deinde totum quod sequitur simul legere. Si enim, sicut dicunt, duorum annorum tempus expletum esse didicisset, nequaquam eos perdidisset, qui minoris erant ætatis.* Ingeniosæ Euthymij explicationi totidem ferme verbis subscripsit Melchior Cano de locis Theologicis.

Varia interpretatio illius Matthæi sententiæ occidit pueros a bimatu, & infra &c.

Cap. 1. in cap. 2. Matthæi.

Lib. 11. c. 4.

At cur, ais, bimos interfici iussit Herodes, si germana est loci illius interpretatio. Triplici ratione. Nam sicuti furore percitus ferro grassari voluit in pueros non solum Bethlehemeticos, sed etiam quos vicinæ ciuitates, & castella fouebant, ita non minores bimulis solum, in quos ex stellæ ortu tyranni cadebat suspicio, sed etiam bimos omnes iugulauit, quemadmodum solita eloquentiæ suauitate annotauit D. Ioannes Chrysostomus ita scribens. *Quod si à biennio, & infra Herodes pueros interfecit, non mireris. Siquidem conueniens in eundem tyrannum pauor, & furor pro abundantia cautionis, & licentia persecutionis maius etiam tempus includit, ne quis profectò eius ætatis, & fortè is potissimum, propter quem alij interimuntur, effugiat. Tum vti sensit se a magis illusum, ita illis etiam, quæ de tempore nati sideris ab eisdem didicerat fidem abrogans, ne puer regius, quoquomodo elaberetur, hoc inexpiabili scelere se obstrinxit.* Postremo, quod docuit S. Paschasius Rutbertus. Nouerat callidissimus Dei hostis puerum subito coram oculis ita duorum annorum, ac vnius noctis apparere potuisse, vt ætatem sui temporis celaret, & ideo sub hac conditione hinc inde temporis, ac locorum partes omnes

Hom. 7. in cap. 2. Matth.

Lib. 2. in Matt.

X præocu-

præocupauit, vt absq; vllo ambiguo in mortem eum, quem quærebat includeret.

Nec reticenda est à nobis subtilis, & acuta Cornelij Iansenij horum verborũ sententia, ex leui ab Euthymij explanatione, vt videtur, discreta, quam ore eiusdem audiat lector. *Hoc quod dicit Matthæus Herodem sustulisse pueros à bimatu & infra secundum tempus, quod exquisierat a magis, sic est intelligendum, vt verba illa secundum tempus, non referantur ad illud a bimatu, sed tantum ad illud, quod dicit & infra, (in quo ne latum vnguem ab Euthymij cogitatione discessit) Ideo enim illud ab Euangelista adiectum videtur, vt significaret minores bimulis non quoslibet, sed qui essent circa, & ante non autem post tempus stellæ aditi, iussos ab Herode occidi. Neq; enim natum hunc puerum regium post stellæ apparitionem arbitrabatur;* Iuxta quam interpretationem falsam putat Iansenius sententiam eorum, qui minores bimulis vsque ad paruulum vnius diei ab Herode peremptos esse opinati sunt. Quæ postrema Iansenij explicatio an cum Euthymiana interpretatione conueniat, non ita facile ex Euthymij dictis tuto potest affirmari. Attigerat ingenij sui acumine hanc ipsam interpretationem, eamq; suis annalibus intexuerat Cæsar Barronius, qui postmodum non mediocri lætitia affectus est, cum eam prius ab Iansenio inuentam animaduertit. Ego lubens vtrique sententiæ assentior, cum tricæ omnes de tempore aduentus magorum tollantur, si animum suum his interpretationibus lector præmuniat.

cap. 11. in concor. Euang.

Ad annum primum Christi.

Cęterũ alia planè fuit B. Paschasij Rutberti opinatio, & circa illum Matthæi locum sententia, quæ etsi explicet magos statim præsto fuisse Christo nascenti, tamen quia sensit non statim post discessum magorum patratum ab Herode infanticidium, vbi se a magis delusum agnouit, non ita probabilis censenda est. *Magis reor fatendum, quod idem quibuslibet ex rebus fraudis suæ venena tanti temporis silentio pressit, vt eum quandoq; sollicitius deprehenderet, ne laberetur è manibus, & ideo fortassis eum constat sustinuisse annis, ne forte quibusq; delitesceret argumentis. Aut certe qui missi fuerant, tandem morarum causis explicitis interdum renunciassent.* Verum quis credat, Tyrannum vndiq; regni amittendi curis agitatum duobus a discessu magorum annis sibi temperare potuisse, quo minus conceptum, ac destinatum scelus non exequeretur?

Lib. 2. in Matt.

Alij ab aduentu magorum duobus annis puerorum stragem ab Herode editam ideo putant, siue quod domesticis discordijs, quibus à filijs, & vxore vexabatur, circumuentus tardius, quàm voluerat, necem distulerit, siue quod sua falsus sit opinione credens magos phantasticæ stellæ aspectu deceptos, nec quem tot laboribus consequebantur reperientes, erubuisse, vt spoponderant, ad se reuerti, qua de re præclarum extat B. Augustini testimonium nulla ratione hoc loco pio lectori celandum. *Posteaquam,* ait Augustinus, *nihil Herodi magi renunciauerunt, eum credere potuisse, illos fallaci stellæ visione deceptos, posteaquàm non inuenerunt, quem natum putauerant, erubuisse ad se redire, atq; ita eum timore depulso ab inquirendo, ac persequendo puero quieuisse. Cum ergo post purgationem matris eius in Hierusalem cum illo venissent, & ea gesta essent in templo, quæ à Luca narrantur, quia verba Simeonis, & Annæ de illo prophetantium, cum cepissent ab eis, qui aderant prædicari, ad pristinam intentionem reuocatura animum regis, admonitus per somnium Ioseph cum infante, & matre eius fugit in Aegyptum. Deinde vulgatis rebus, quæ in templo factæ, dictæq; fuerant, Herodes se à magis sensit illusum, ac deinde ad*

De consensu Euang. lib. 2. cap. 11.

Christi

Christi mortem cupiens peruenire, multos infantes, sicut Matthæus narrat, occidit. Siue tandem quod Romam ad Augustum Imperatorem concesserit obiectis sibi criminibus satisfacturus, vt S. Tho. Cano, & plures alij voluere.

Verum ne his rationibus, & interpretationibus assentiar, multa mihi sunt in promptu. Etenim omnes istæ rationes eo graui incommodo vrgentur, quod certum esse statuant, quod plane aut incertum, aut falsum est, nempe duobus transactis annis, vel certe multo post reditum magorum in patriam puerorum sanguine irrigatum Betlehemeticum solum, cuius oppositum sustinendum esse ex Matthæi historia ostendemus. Subinde mirum est, eo vsque temporis protractas in Herodem adeo graues vxoris, & filiorum insidias, vt non nisi tanto temporis transacto spatio sitim edendæ stragis paruulorum extinguere potuerit, cum non minus ad Herodis, quam ad filiorū tyrannidis perpetuitatem paruulorum occisio facere videretur. Præterea quid impediebat, ne Herodes opinionis suæ errorem agnoscens, vel nuncio, vel fama eorum, quæ in templo acta erant, dum Christum parentes Deo obtulerunt, recessisseque magos intellexerat, infantes trucidaret? humanam enim, vt probè Augustinus, fidem excedit, non nisi post duorum annorum transacta spatia, renunciatum Herodi, magos in patriam suam redijsse, cū non magno Hierosolyma, & Betlehem distarent interuallo.

Vltima autem allata ratio, quam inanis sit, quid opus est recensere, cum ea nullo historiarum, aut certi auctoris testimonio euinci queat; nisi forte, vt plerique illorum sunt opinati, hoc ex Ioseph Hebræi libris peti posse dicant, vt certe dicunt. In quo hallucinatos eos nostri muneris est hic breuiter edocere. Etenim bis duntaxat, si Flauio Iosepho adhibenda fides, dum liberas regni habenas moderabatur Herodes, sub Octauij Augusti Imperio Romam concessit. Primo cum Alexandrum, & Aristobolum filios, quos secum adduxerat accusaturus Antipatrum, Cæsaris patrocinio commendauit. Postea, cum Archelai Cappadociæ regis prudentia sublatis dissensionibus, quæ inter Herodem, eiusq; domesticos, grauissimæ fuerant, vt Cæsarem de his omnibus redderet certiorem, profectus est. Neque anni plures tribus à primo ad secundum discessum fluxerē, vt & ipsa series historiæ declarat, & testantur in eiusdem Iosephi histor. scholia ad eundem locum. Redijt autem ad regnum olympiade centesima nonagesima secunda anno Imperij sui vigesimo octauo, qui expletis nouem alijs animam efflauit anno trigesimo septimo sui dominatus. Cum vero Christus Dominus, vti doctissimè ex Eusebij Chronico docet Baronius olympiadis centesimæ, nonagesimæ quartæ anno secundo natus sit, clare conuincitur ex humanis abijsse Herodem, Christo nec dum in lucem edito, si sub initium nonagesimæ secundæ olympiadis Herodes Roma redijt, aut certe vix vnum, aut alterum annum vixisse Herodem post partum Virginis, quæ cum absurdissima sint, Euangelicæq; veritati contraria, videant isti, quàm egregiè eorum opinioni faueat Ioseph, qui in temporum supputatione non semel errauit, vt adductis ex eodem auctore pluribus locis apertè conuincit Baronius. Ceterum vixisse Herodem, cum natus est mundi Saluator & Sacra Euangelia, quæ veritate ipsa certiora sunt, docent, & Ioseph ipse sibi malè constans suadet. Etenim dum asserit Herodem natum annos quindecim per ea ipsa tempora, quibus Iulius Cæsar Antipatro eius Patri Iudææ regionis administrationē concessit, dumq; alibi docet ipsum septuagenarium obijsse, necessario fit consequens, Herodem vixisse vsq; ad nonum annum ætatis Christi, si tem-

Herodes bis Romam concessit. Ioseph lib. 16. de antiquitatibus cap. 9.

Lib. 16. de antiq. cap. 13.

Quo tempore domū redijt.

Herodis mors.

In apparatu ad Annales n. 101.

De Antiq. lib 14. cap. 17.

pore Consulatus Caleni, & Vatinij decimum quintum annum expleuerat Herodes, sicuti inita temporum ratione apertè constat.

Potuit ne igitur, inquis, vltimum ad Vrbem iter Herodis post magorum adorationem accidisse? Nequaquam potuit. Nam teste Iosepho, quando Herodes Hierosolymam ex vrbe postremo venit, trigesimus circiter regni sui annus voluebatur; at cum sole clarius sit, Iosephum in recensendis Herodis annis nouem missos fecisse (propterea quod triginta septem, quibus regnasse Herodem palam erat omnibus, ab eo tempore numerauit, quo Herodi regnum ex Senatus consulto decretum est, quos tamen numerare debuerat duntaxat ab eo anno, quo Augustus nauali prelio Antonium, & Cleopatrã debellarat, tunc enim primo in publicis tabulis anni regni Herodis consignari cœperunt, cum ab Augusto regnum, quod demeruerat, rursus eidem collatum est) negari non potest septem annis antequam Christus mortalitate indueretur, è Romana ciuitate postremò venisse Herodem, nam supra trigesimum regni Herodis annum septem adhuc numerandi sunt, quibus si nouem adijcias, quos errore temporum deceptus Ioseph recensere prætermisit, clarè comperies, Christum qui cum Herodes è vita cessit, nouem annos natus erat, non nisi transacto septem annorum spatio post vltimum è Romana Vrbe Herodis recessum, vitales auras attigisse. Si fortassis hæc paulo obscuriora, quam lector optaret, videbuntur, mihi rem multiplicibus implicitam nodis, & varijs refertam quæstionibus innuenti danda est venia, cũ non sint hoc loco repetẽdæ altius de Herodis imperij annis, de Octauij Augusti regno, deq; Iosephi inconstantia in temporum supputatione, quæstiones perplexæ nimis, & litigiosæ, quas apud Baronium in apparatu ad annales Ecclesiasticos videat, qui has latius nosse voluerit.

Tostatus ad vltimum argumentum ita respondet, vt velit duobus annis à Partu Virginis mansisse in Iudæa Dominum, primisq; quadraginta diebus fuisse Betlehem, postea factam ab Angelo Iosepho reuelationẽ, & post duos annos iussos ab Herode pueros iugulari. Quod si ei obijcias, haberi ex sacris litteris, statim post discessum magorum editam stragem paruulorum, respondet, non esse verba illa intelligenda quasi subito & statim cædes sit secuta, cum modus loquendi sacrarum litterarum sit, vt quæ longo post tẽpore facta sunt, statim facta esse dicantur. *Nam sicut dicitur*, ait ille, *de aliqua muliere quod & concepit, & peperit, & tamen non est sensus, quod statim, vt conceperit, pariat, cum oporteat magnum tempus intercedere: scriptura tamen solum curat de his, quæ sunt de intentione omittens cætera intermedia*. Verùm hanc ego Tostati opinionem sicut certam in eo, quod de quadraginta diebus, quib. Betlehẽ fuisse Dominũ, ac de modo sacras litteras interpretandi, probabilem censeo, sic fallacem de annis duobus, quibus in Iudæa habitasse dominum, ac de infanticidio post biennium edito arbitror, contra quam militant, & quæ hactenus à nobis discussa sunt, & communis aliorum sententia, totiusq; Catholicæ Ecclesiæ assensus, quo martyrium paruulorum paulo post Christi natiuitatem accidisse credit. Quare licet difficultas illa, *occidit omnes pueros à bimatu, & infra secundum tempus, quod exquisierat a magis* hac Tostati interpretatione dissoluatur, plus tamen apud me ponderat cõmunis fidelium sensus, sanctæq; matris Ecclesiæ iuditium, quam Tostati cogitatio.

In Matth.

Confutata Tostati op.

Quid autem tam exile est, quàm ex munere, quod in purificationis die Deo obtulit Virgo Maria, argumentari nondum accessisse magos? Cur enim

Munera a magis Christo ablata in quem usũ cesserint.

potius, vel Virginis liberalitatē in pauperes, vel ob fugæ necessitatē prudentiam, vel ne subitò diues, quæ antea pauper fuerat, videretur, modestiam, & humilitatem, vel in sacros vsus accepti a magis auri distributionem laudibus non extollimus, cum hæc omnia Deiparæ moribus consentanea essent?

Aliæ de tempore aduentus Magorum recensitæ opiniones.

CAP. XI.

HVnc in modum confutatis primis de aduentu magorum opinionibus, cæteras discutiamus. Nam alij, quorum sententiam D. Paschasius Rutbertus, & Tostatus referunt, Dominum a magis adoratum transacto anno tredecimque diebus ab eius natali dixere, moti ea, opinor, coniectura, quod tantundem omnino temporis exigeretur ad tot longissima spatia terrarum conficienda, quæ magi emensi sunt. At quæ eos in hanc opinionem traxit cogitatio inanis est, & ex falso principio ducta, vt latius sequenti capite disseremus. *Magi post partum Virginis transacto anno & diebus anno non uenerunt.*

Euthymius ex parte opinioni Sanctorum Augustini, & Chrysostomi asserentium stellam nec dum nato Saluatore fuisse à magis obseruatam subscribens, diuinis mysterijs plenum opus appellat magorum profectionem, ac ex proprio sensu adijcit, incertum esse, an Magi pastoribus, an pastores magis in adorandis Christi incunabulis priores fuerint. *Propter hoc*, enim, ait Euthymius, *stella tempus anticipauit, vt præuenientes in fascijs eum inuenirent. Nam hæc res erat plena mysterij. Incertum igitur venerint ne hi ante pastores, an pastores ante ipsos, vtrumuis enim dixeris securè dicere poteris*. Cum autem pastores eadem nocte ab Angelo admoniti festinantes positum in præsepio Saluatorem repererint, quis aures suas Euthymij sententiæ non occludet, qui mysterij specie (quod & nos non inficiamur) rem prodigiosam, alijsque omnibus doctoribus contrariam finxit? quasi vero ex Matthæi historia non clareat, magos Betlehem accessisse ductu sideris, quod illis Hierosolymam ingredientibus delituit; hæc autem & cætera, quæ Euangelista narrat, vna, eademq; nocte, vel proxima illucescente die peracta arbitrari an non rediculum est; præcipuè cum ex eodem Matthæo constet, natum iam fuisse Saluatorem, cum Hierosolymam attigere magi? *Cum natus esset Dominus Iesus in Betlehem Iudæ in diebus Herodis regis ecce magi ab oriente venerunt Hierosolymam dicentes vbi est, qui natus est rex Iudæorum?* *Opinio Euthymij.* *Cap. 2 de pueris interfectis.*

Abhorret præterea non minus à communi scriptorum opinione, quam à veritate Marsilij Ficini super hac ipsa quæstione inuentum, quo voluit magos quadragesimo primo die completo, & absoluto purificationis præcepto accessisse Betlehem. *Diximus in superioribus magos Hierosolymam die post natiuitatem quadragesimo primo* (ita enim legendum est vt ex contextu, & ex ipsa auctoris opinione patet, quamuis errore Bibliopolæ legatur vigesimo primo) *Quando eo purificationis die tempore iam absoluto obtulit Maria filium templo. Quo igitur die Simeon, & Anna Christum iam agnoscunt, eodem & magi adhuc ignotum in Hierosolyma prædicant. Postea verò Betlehem accedunt.* *Marsilius Ficinus putat magos post 40. diē uenisse. Lib de stella Magorum.*

Hæc

Hæc Ficini opinio inde fluxit, quod sequenti nocte eius diei, quo accessere Magi, per quietem ab Angelo dictum est, vt in Aegyptum cum puero, ac Maria matre fugam arriperet Ioseph. *Proinde*, inquit Ficinus, *cum Ioseph in accessu magorum iubeatur cum puero fugam arripere, ideoq; non sit probabile, eum post diuina mandata in templum puerum aduexiße. Verisimile videtur magos post purificationem puerum salutaße.* Verum hallucinatus est apertè Marsilius, qui non coniecit mentis suæ oculos in id, quod Lucas scripsit Euangelista. *Et vt perfecerunt omnia secundum legem Domini reuersi sunt in Galilaam in Ciuitatem suam Nazareth.* Ergo non Aegyptum fugiens, sed sponte Nazareth paternum solum adijt Ioseph impleta purificationis lege, ac quod hinc consequitur, nonnulli fluxere dies post purificationem ad Angelicum præceptum de ineunda fuga in Aegyptum. Subinde quod Ficini animum permouit, irritum fit ex ijs, quæ in adducta Tostati opinione annotauimus. Non enim illud Euangelij dictum. *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph*, ita accipiendum est, vt statim, ac protinus recedentibus Magis somniantem Iosephum admonuerit Angelus, sed intelligi debet iuxta sacrarum litterarum phrasim, quam ibidem probat Tostatus.

Cap. 2.

Die decima tertia ab ortu Saluatoris uenere magi.

Reliquum est igitur, vt dicamus, die decima tertia ab ortu Saluatoris degentem adhuc in præsepi dominum adoratum à Magis, quod anniuersaria celebritate Epiphaniæ, sollemniq; ritu vniuersa Ecclesia testatur, traduntque, ne sigillatim omnium vota recenseam, quotquot de hac egere quæstione scriptores, ijs exceptis, quos hactenus oppositarum opinionum patronos confutauimus. Ea est huius sententiæ veritas, & certitudo, vt illa Augustinum, qui aliâs in contrariam opinionem discesserat, ad se traxerit, suumque constituerit propugnatorem. Etenim gregem suum verbi diuini cibo enutriens in ea ipsa sollemni die apparitionis stellæ, quam Epiphaniam dicimus, ita loquitur. *Hoc enim die Magi dominum nostrum adoraße perhibentur, stella scilicet apparente commoti, & præcedente perducti. Eo quippe die, quo natus est, illi stellam in oriente viderunt, & quem natum indicauerit, agnouerunt. Ex illo igitur die ad hunc diem occurrerunt, Herodem regem nuncio terruerunt.* Ea igitur ipsa die, qua ad redimendum genus humanum mortalitate indutus apparuit Saluator, sideris inditio admoniti reges iter Iudæam versus suscepere, ac Hierosolymam regionis Iudæorum Metropolim ingressi, vbi Christus nasceretur ab Herode sciscitantes, Sacerdotum, & scribarum responso, siderisq; rursum apparentis beneficio Betlehem peruenerunt, & infantem genuflexo, & muneribus colentes Deum esse contestati sunt.

Ser. 4. de Epiph. de temp. 32.

Nulla autem nostræ sententiæ persuadendæ certior, validiorq; esse ratio potest, quàm totius Ecclesiæ assensus, ac Sanctorum Patrum id attestantium auctoritas. Nam quod omnes fermè sacrarum litterarum æui nostri interpretes ad rem hanc confirmandam ex illis Matthæi verbis adducunt. *Cum ergo natus esset Iesus in Betlehem Iudæ in diebus Herodis regis. Ecce Magi ab oriente venerunt &c.* contendentes particulam illam. *Ecce* de re proxima, & præsenti esse intelligendam, itaut germanus sit iste sensus. Cum natus esset Iesus. Ecce idest, statim, protinus, nulla mora intercedente, Magi venerunt &c. in præsentiarum minime est ponderis, Nam licet videam in Sacris litteris plerumq; & sæpissimè hanc esse vim vocis illius. Ecce, vti varijs exemplis petitis ex sacro eloquio probare possem. Huc enim illa Geneseos verba spectant. *Nec dum intra se verba compleuerat* (seruus Abraham) *Et ecce Rebecca egrediebatur.* Et Lucæ 1. *Ecce concipies, & paries filium*, & rursus.

Genesis 24. vers. 15.

Et

Et ecce Angelus domini stetit iuxta illos; attamen hoc loco valdè dubiam illa Matthæi particula sententiam habet; eodem quippe tenore verborum, eodemq; referente Euangelista de discessu Magorum agente habes. *Qui cum recessissent Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens, surge, & accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Aegyptum*. Et nihilominus nonnisi completo præcepto purificationis, posteaquam Ioseph in ciuitatem suam Nazareth se receperat cum puero, & Deipara Virgine, illi per quietem non se se obtulit Angelus; cum autem triginta circiter ad minus die magorum discessu ad Angelicam admonitionem fluxerint, perspicuum c certi nihil haberi posse ex probatione illa eruta ex vocula, Ecce. Cur en primo loco. Ecce, subitam Magorum profectionem, & secundo loco n subitam Angeli apparitionem significet cum eadem planè sit Euangelic locutionis formula. Cap. 2. Cap. 2.

Ad persuadendum autem in præsepio domino recumbenti supplices adfuisse Magos, clara mihi suppetunt Sanctorum Patrum testimonia, & Augustini ante alios, dum ait. *Illud verò quale est, quod Magi veniunt ad Deum natum immò ducuntur, positum in præsepio vident*; & alibi. *In præsepi iacebat, & Magos ab oriente ducebat*. D. Ioannis Chrysostomi, qui apertissimis verbis idem memoriæ prodidit. *Siquidem & quod stella Magos cælitus vocauit, & quod homines barbari longinquæ subierunt peregrinationis laborem, vt adorarent in pannis, atq; in præsepio collocatū*, & mox *quem*, ait, *vt mirabilius rei dignitas elucceret pannis adhuc infantiæ colligatum oportebat adorari*. Nec D. Hieronymi ad huius veritatis corroborationem desideratur testimonium. *Denique enim*, inquit, *iacentem in præsepio Angeli pastoribus nunciant, Magi adorant de oriente venientes*. Verum ad hoc ne allusisse credendus est S. Leo, dum cælestis gratiæ auxilio ad adorationem Saluatoris inuitatos, immò suaui ratione tractos fuisse Magos ideo opinatur, quòd diuinitatis Christi agnoscendæ humana penitus deessent argumenta? *Nec immerito cum tres Magos ad adorandum Iesum noui sideris claritas deduxisset, non eum imperantem Dæmonibus, non mortuos suscitantem, non cæcis visum aut claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua diuin m virtutum actione v.derunt. Sed puerum silentem, quietum, & s l matris sollicitudine constitutum?* Equidem de mente Euthymij quid suspicer non habeo, quippe qui tutum putat opinari etiam ante Pastores exhibitum à magis recens nato Saluatori latriæ cultum, hos autem Christo in præsepio moranti pronos adfuisse nullus est qui nesciat. His assensus est antiquitate clarus Nesychius Hierosolymitanus presbyter ita scribens. *Quapropter vbi cognouerunt omnes, rursum apparet stella Magis, donec venisset supra infantem in stabulo, vel potius in cælo. Vbi enim Christus est ibi, & cælum. Nam stabulum visum est esse cælum in terra*. Ser. 1. de Epiph. Hom. 7. in cap. 2. Matt. Com. in cap. 7. Esa. Ser. 7. de Epiph. Ser. 1. de laud. Virg. Mariæ.

Illud quoq; nemoratu dignum est, quod scribit Nicephorus, qui agens de magis humilem casam, in qua Saluator iacebat, ingredientibus, hoc prodigium narrat contigisse vires tenelæ ætatis pueri euincens, quod pro sua pietate, vt ei libuerit accipiat lector. *At puer ipse præter ætatem quasi exultans, & intelligens exceptionem, officiumque, quod per dextrarum porrectionem fiebat, adorationemq; Magorum, & munera eorum item agnoscendo admittebat, quæ munera Deum ipsum, & regem esse declarabant*. Christus infans magorum munera benigne excipiens. Lib. 1. hist. c. 13

Si autem quæras, an singuli magi singula munera, an quilibet eorum aurum thus, & myrrham simul Saluatori Christo largiti sint. Vt volueris opinare: vtraq; enim earum opinionum egregios propugnatores habet, & An vnusquisq; magorum aurū thus, & mirrhā obtulerit.

vtraq;

vtraq; sine aliqua temeritatis nota sustineri potest. Mihi regiam magorum amplitudinem, & liberalitatem mente percurrenti arridet asserere, tria illa à Matthæo memorata dona ab vno quoq; magorum Saluatori oblata, quod placuit etiam historiæ scholasticæ auctori, & Innocentio Tertio aienti. *Non singula singuli, sed omnes omnia obtulerunt, quia quilibet obtulit aurum credens eum esse regem, & dominum dominantium, quilibet obtulit thus, credens eū Deum Deorum, & creatorem creaturarum, & quilibet obtulit myrrham credens eum mortalem pro mortuis, & pro mortalibus moriendum.*

Varia Sanctorum Patrum fuisse decreta de regione, ex qua Magi olim profecti sunt natum Saluatorem inquirentes.

CAP. XII.

HVius quæstionis definitio declarata à nobis superiori capite veritati haud parum lucis est allatura, quippe opus planè necessariū est agnoscere limites regionum, e quibus iter suscepere Magi natum Saluatorem inquirentes, vt clarum fiat, an tredecim dierum spatio Betlehem concedere potuerint.

S. Leo ser. 3. de Epiph. S. Leo Pontifex Euangelicæ seriem veritatis intuitus remotissimarum Orientis regionum habitatores Magos appellat. *Commouet Magos remotioris orientis habitatores stellis cæteris stella fulgentior*, verum quæ fuerit peculiaris regio, ex qua profecti sunt, eo loci haud visus est sollicitus aperire.

Remigius properasse Magos opinatur e prima illa orbis terrarum parte, ex qua sol oriens in occidentem pergit, quæ cum longissimo ab Iudæa spatio distet, diuino miraculo factum esse tradit, vt hi tertio decimo die longissimum iter confecerint Betlehem venientes, huiusque miraculi effectorem Remigius apud Tostatum. Christum Dominum, quem Magi inquirebant, fuisse docet. *Ille puer, ad quem properabant adorandum eos in tam breui spatio temporis perducere potuit miraculose e terra habitabili prima, vnde sol oritur.* Verum in dirimendis quæstionibus, quæ humano iuditio dissolui possunt, quid opus est ad miracula confugere? & præcipuè in rebus, quæ si hoc modo explicentur, vix eorum explanatio cohærere potest cum sacris litteris, quæ, teste B. Augustino, propriè explicandæ sunt, si commodè fieri possit, ex ijs autem constat, Magos ab oriente venisse; at si hoc actum miraculosè velimus, non venisse, sed potius translatos esse, vt de Abachuch legitur, asserendum esset, contra apertam Euangelij veritatem.

Si ab antiquioribus Patribus libet, vnde nam venerint Magi, audire; eos Iustin. Martyr Dialog. cum Tryph. ex Arabia profectos intelliges. *Simul enim atq; natus est*, ait Iustinus Martyr, & philosophus de Saluatore loquens, *Magi ab Arabia venerunt, cumque adorauerunt*, & rursus subdit, *Cum Magi, qui ex Arabia ad eum venerant, dixerunt*. Ita Iustinus, qui vt opinionis suæ testimonium credibile lectori redCap. 8. deret: illam Esaiæ sententiam. *Capiet Damasci potentiam, Samariæq; spolia*, de aduentu Magorum interpretatur, quos Damasci, quod Arabiæ pars erat,

Cal-

cultores fuisse confirmat, nam vbi probasset impletum Esaiæ vaticinium in Magorum personis, adiecit. *Damascum porrò Arabiæ fuisse, atq; esse etiam si nunc attributa est ei regioni, quæ Syropherice dicitur nemo nostrum inficiari potest*. Idem planè opinari placuit Tertulliano in Iudæos scribenti, & libro tertio aduersus Marcionem Hæreticum, quod vt opinaretur, illæ Psaltis sententiæ fecerunt. *Dabitur illi ex auro Arabiæ, reges Arabum, & Sabba dona adducent*. Præterea D. Cyprianus eo sermone, quem de stella, & Magis conscripsit, (quamuis suspicentur aliqui suppositititium alicuius scriptoris, non martyris opus esse, opinionem hanc suam colligentes ex dictione, quæ Cyprianam elegantiam non redoleat) transijt ad eandem opinionem sic scribens. *Nec multo post Arabum fines huius rei notitia penetrauit, & incolis Sabba præclari stella luminis cæleste numen nouis splendoribus indicauit*, quamuis infra non solum ex Arabia, sed etiam ex Aethiopia Magos arripuisse iter velit. *Ecce Alienigenæ à fluminibus Aethiopiæ ad paruulum Christum supplices perueniunt*. Ad huius etiam opinionis adiumentum locus ille est apud Epiphanium in compend. doctrina, cuius hæc sunt. *At verò in Christi aduentu cum ijdem filij Abraham & discessissent, & habitassent in partibus Arabicis Mogodiæ regionis, Magi, qui ex successione seminum illorum descenderunt, eadem dona in participatione eiusdem spei Christo in Betlehem obtulerunt*. Iuxta quorum patrum sententiam sensere Pamelius in notis ad citata Tertulliani loca, & Baronius, qui solidum huius opinionis fulcimentum esse id arbitratus est, quod in Sacro Genesis textu legitur. Nempe Abraham quos ex Cætura filios susceperat, non solum Arabiam perpetuò coluisse, sed etiam vaticinium illud, quod Balaam ediderat de futuro Saluatore prolatum in ijsdem Arabicis regionibus intellexisse, atq; properasse ad Saluatorem adorandum inspecto planeta, quem diligenti studio nasciturum obseruabant. Nec ab eadem sententia remouendus est S. Hieronymus, qui super illis Esaiæ verbis. Surge illuminare Hierusalem &c. & rursum Dromedarij Madiam, & Epha, sic ratiocinatur. *Madiam, & Epha regiones sunt trans Arabiam, omnisq; prouincia appellatur Sabba*, ex qua aduenisse Magos dixerat.

Tertullianus. Pamelius. Baronius Ad annum Christi nu. 27. Genes. 25. Cap. 60.

Hæc opinio sane mihi semper visa est probabilis, quippe quæ non solum antiquorum Patrum votis est firmata, verum etiam sacræ scripturæ illustrata testimonijs, quæ hanc sententiam non retorte reddere possunt, quam etiã suadet Arabiæ felicis proprietas, quæ feracissima est auri, thuris, & myrrhæ, quæ munera fuerunt Saluatori nostro oblata à Magis. Verum ne omni penitus semota formidine eidem sententiæ adhæream in causa est, quod in explanatione nostræ opinionis attigemus argumentum.

Op. probab.

Paulo liberius reijci potest opinio Chalcidij aientis Chaldæos magos fuisse, ei quippe præter nudam asseuerationem nihil esse potest adiumenti.

Multiplici scriptorum testimonio ab alijs decretum est, Magos fuisse Persarum sapientes, qui Persia relicta Domini natale inuestigarint. Hoc enim placuit Clementi Alexandrino, qui dum docet, vbi nam terrarum philosophia floruerit, ac dum varias regiones sapientiæ studiosas recenset ad rem nostram subdit. *Persarum Magi, qui quidem Seruatoris quoq; nostri ortum significauerunt stella eos præcedente venientes in Iudæam*. Basilio. *Genus Persicum Magi*. Ioanni Chrysostomo, dum Iudæorum perfidiam redarguit, qui prophetarum oraculis de Christo editis fidem suam accomodare renuebant. *Accidit diuino consilio, vt persico primum sermone, discerent, Magis, dominus vbi nasceretur, sciscitantibus, quæ prophetis nunciantibus disce-*

Persarum sapientes Magi. 1. strom. cap. 7.

Cyrill. Alex. in Esaiam lib. 4. cap. 40. *re noluerunt*. Cyrillo Alexandrino, qui nomine Arabiæ Persiam intelligendam esse docet. Nicephoro Callisto. *Patria relicta se in viam Magi Persici dedere*. Angelico Doctor. *Ita enim Iudæa iacet ad Persidem, vnde Magi venerunt*. Magistro histo. Scholasticæ, quamquam eos non minus ex Persia, quam ex Chaldæa venisse scribit. Theophylacto in cap. 2. *Oportebat enim gaudere potius, quod rex suus* (de Herode loquitur) *à Persicis regibus adoratur*. D. Paschasio Rutberto. *Persæ fuerunt reges Magi, qui salutatum Dominum perrexere*. Innocentio Tertio. *Venerunt autem de finibus Persarum, & Chaldæorum, vbi fluuius est Sabba, quo & Sabæa regio nuncupatur*; & huc tandem spectare opinor, quę ex Eubulo contra Iouinianum docet D. Hieronymus, triplex apud Persas Magorum genus vigisse narrans; & idem sensit Scholiastes, cuius opera vna cum Lyrani glossis excussa leguntur.

3. p. q. 36. a. 7.

Lib. 1. Hist. cap. 11.

Lib. 1. in Matt.

Ser. de Epiph.

Lib. 2. cont. Iulia. fol. 5. a principio tom. 2.

Quas autem huius opinionis habuerint rationes adhuc quero, nihil plane hac de re innuentibus illis. Subit mentem suspicari, in id decretum conspirasse tot Patres, quod Persarum regio remotissima sit, ac in orientis partibus constituta, ex quibus ductos sidereo duce magos Sacra Matthei historia narrat, arbitror enim orientis nomine hos auctores primam terrę partem intellexisse, quę splendore solis ita illustratur, vt humanę vitę vsui esse queat: ne vero tamen asserentes, breui tredecim dierum interuallo è Perside venientes Magos Betlehem tenuisse, miraculam admittere cogerentur, tradidere plurimi eorum, Magos ad iter conficiendum vsos Dromedarijs, seu camelis, quę citissima, & velocissima animalia esse prodidit Aristoteles ita scribens. *Currunt Cameli celerius, quàm equi Hispani propter laxiorem sui gradus glomerationem*.

Lib. 9. cap. 50. Hist. anim.

At ex hoc non ita valido argumento oriri haud iure debuit presens sententia, quę varijs, si exactius discutiatur, difficultatibus perplexa est; norunt enim hi, quos historica lectio delectat, diu ante Saluatoris ortum regiam magorum dignitatem in Perside sublatam de medio, cum teste Herodoto constet post Cambysis obitum, duos duntaxat Magos fratres septem mensibus regno potitos vita, & imperio postmodum cessisse; quo igitur iure Magi reges Persici appellari possunt, vt nonnulli ex allatis Patribus credidere? Tum vix probabilitatis speciem habet, asserere magos tot immensa terrarum spatia etiam adhibitis velocissimis dromedarijs confecisse, quot inter Betlehem, & Persiam iacent, quę vix aliquorum mensium curriculis superari posse cōmunis est eorū, qui geographię studēt, opinio, maximè cum Magi Hierosolymæ, antequam Betlehemeticum solum attingerent, duobus, vel tribus circiter diebus commorati sint, Herodem, Scribas, Legisq; doctores de ortu Saluatoris interpellantes; non enim breuiori tempore, quæ Matthæus recenset, peracta esse iustum fuerit opinari. Quare argumenti, quod huius opinionis causa fuit, nimis aperta noscitur imbecillitas, si haud insolens in sacris litteris esse cogitet lector, orientis nomine, non solum eam primam orbis partem, ex qua sol enascens ad occidentem tendit, sed quamlibet in orientis partibus sitam partem significari, ducta orientis, & occidentis appellatione ab ea ipsa ciuitate, vel orbis loco, ex quo magi profecti sūt. Quo in sensu ea sacræ scripturæ verba accipienda sunt. *Elegit sibi Loth regionem citra Iordanem, & recessit ab oriēte*, & illa eiusdem genesis 25. in quibus de Abrahamo concubinarum filios ab Isaac separante hæc leguntur. *Filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viueret ad plagam orientalem*, & iterum Num. 23. *de Aram addu-*

Herodotus lib. 3. hist.

Orientis nomē quid in sacra scriptura significet.

Genes. 13.

adduxit me Balac rex Moabitarum de montibus orientis; non enim his in locis siue Loth, siue Abrahæ filij, siue ariolus Balaam ex prima, ex qua dies oritur, ora venisse, aut ad illam recessisse putandi sunt; sed in orientem ideo perexisse dicuntur, quod in eam orbis partem diuerterint, quæ ad orientalem plagam vergebat, respiciendo solum, in quo anteà fuerant.

Auctori præ cæteris probata de patria Magorum opinio.

CAP. XIII.

QVocirca illud mihi fit credibilius, quod Angelicus Doctor, Nicolaus de Lyra, Tostatus, & alij his posteriores tradiderê. Nimirum venisse Magos e regione aliqua propinqua Hierosolymæ, dictosq; venisse ab oriente, quod ea regio, quæ Magorũ patria erat, ad oriẽtalem plagam iaceret, si Hierosolymæ situs respiciatur; ad eã ferme rationem, qua nos in hac magna Ciuitate Mediolani degentes patrio more portam orientalem eam nuncupamus, quæ orientem respicit attento solo ciuitatis, cuius pars ea, quæ nascentis magni planetæ radios intuetur, orientalis dici assolet. Quare licet hanc quæstionem omnino definire ob rei obscuritatem, & mutuam Patrum inter se pugnam non ausim, in hanc tamen postremo loco allatam sum omni sensu procliuior, cum videam hinc plane tolli difficultates, & dubia, quibus aliæ inuoluuntur opiniones: hinc enim omnis de medio tollitur miracula fingendi necessitas: hinc à Sacrosancta Matre Ecclesia Epiphaniæ festus dies decimo tertio die ab ortu Saluatoris rite colitur, & hinc tandem Camelorum vsus, si quis fuit, non tam necessitati, quam magorum opportunitati, maioriq; commodo conducebat. Allicit me præterea non leuis ad hanc opinionem amplectendam coniectura, quæ mutuo Patrum, & scriptorum ferme omnium assensu roboratur; vno siquidem ore quotquot nos de magis differentes Patres, & scriptores adduximus in medium docent, Magos sanguinis, & doctrinæ Balaami successores, & hæredes fuisse; at cur non etiam loci, patriæ & regionis Balaæ cultores? num memores solum auiti oraculi, cognationisq, iuriumq custodes, & natalis maiorum soli, terræq; auorum altricis desertores putandi? dicant hi, obtestor, quid e sede, domiciliove patriam suorum magos deficere potuit? extorres ne à patria ij censendi erunt, qui regna maiorum suorum, insignia, stemmata, cæteraq; fortunæ bona iure hereditario, & pacifico possidebant? Merito igitur opinamur nos venisse Magos ex Syria, seu Mesopotamia, & Ammonitarum regione, quam Balaami fuisse patriam altero volumine probauimus, cum de Balaami moribus ageretur.

S. Tho. 3. p. q. 36. a. 6. ad ult.
E non longinqua nimis regione aduenerunt Magi.

Non est autem cur à nobis desideret lector mysticam munerũ, quæ à Magis Christo donata fuerê, explanationem, tum quod eam luculenter, & copiosè apud Sanctos Patres Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, Leonem, Innocentium Tertium, cæterosq; Patres explicatam habeat varijs sermonibus; tũ quod eã haud necessario ad operis nostri rationem arbitramur pertinere. Quapropter ad id, quod superioribus adnectitur, veniamus indagandum, ac de orto sidere, quod a Magis visum est, cum Saluatorem peperit Virgo, non iniocunda quæramus.

Noui sideris, quod in natali Christi Domini emicuit, quæ fuerit natura, & proprietas.

CAP. XIV.

Hom. 1. & 2. in Matt. c. 2. 3. p. q. 36. a. 7.

NOn fuisse stellam hanc illius ordinis, & naturæ stellarum, quibus cælum splendet, adeò clarum est ex ijs, quæ D. Chrysostomus, Sanctus Thomas, Tostatus, & alij subtiliter, & acutè litteris prodiderunt, vt nostro ad idem firmandum labore non opus sit: non enim cælestium stellarum motionis habuit rationem; quæ vna semper, & constans est, & circularis, sed insitato modo. Magis viam præmonstrans recto, ac plano mouebatur, aspectabilis non solum noctu, sed interdiu etiam, quod stellarum naturam euincit; immo velut creatura rationis, & consilij particeps, vt è re magorum erat, illis apparere, ac etiam delitescere nouerat, motumq; suum ita moderabatur, vt quiescentibus Magis sisteret, ter verò agētibus moueretur, nec in summa firmamenti arce, sed in hoc caliginoso aere radiorum suorum præstantiam ostenderet, contra cælestis planetæ vim, & naturam.

Nec ista asserentes B. Augustini sententiam oppugnamus, qui etsi nudis verborum corticibus non vno in loco in numerum stellarum cæli sidus hoc coniecisse videatur. *In cælo enim,* ait, *videntes* (Magi) *ignotissimam stellam,* & rursus, *dum pendet ad vbera, & vilium patitur Deus inuolumenta pannorum, repente nouum de cælo sidus effulsit,* & iterum. *Pastoribus Angeli, Magis stella Christum demonstrat, vtrisq; loquitur lingua cælorum, quia lingua cessauit Prophetarum,* & rursus de eodem planeta loquens. *Quid erat nisi magnifica lingua cæli:* haud tamen re ipsa voluit, cæleste sidus illud fuisse: in omnibus enim allatis Augustinus testimonijs sacræ scripturæ phrasi adherēs, quę aerem cęlum non vno in loco appellat; iuxta illud. *Volucres cæli, & pisces maris,* cęli nomine aerem intellexit.

S. Aug. ser. 7. Epiph.

Ser. 2.

Hom. 6. in c. 2. Matth.

D. Ioannes Chrysostomus non solum vnam è stellis cælestibus, sed nullo modo stellam hanc fuisse varijs ratiocinationibus persuadet: cuius primæ argumentationis vim meditetur quæso lector. *Quod enim, ait, non vna fuerit hæc stella de plurib. immò (vt ego arbitror) nec stella omnino, sed quædā inuisibilis virtus in specie sideris figurata ab ipso primum itinere monstratur. Non est enim stella omnino non est, quæ per hanc cæli plagā cursum tenere doceatur, ab oriente cætera astra in occidentem, hæc &c.* moxq; pluribus, & varijs rationibus, & argumentis virtutem quandam plenam rationis fuisse cōtendit, quarum duas duntaxat recisis nonnullis hic apponam. *Hæcq; verò,* inquit, *stella ipsos etiam solis radios proprio quodam, præcipuoq; fulgore superabat, clarius illis profectò apparens, atq; in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens. Nam vsq; ad Palæstinam venientibus Magis quasi dux itineris semper apparuit, cum verò Hierosolymam introissent sese rursus abscondit. Hoc autem non agit motus sideris, sed virtus quædam plena rationis. Neq; enim proprium quempiam illa*

Hom. 6. in cap. 2. Matt.

tunc

tunc stella sursum tenebat, sed cum eos oportebat pergere etiam ipsa pergebat, cũ verò standum esset, stabat opportunè, ac decenter iuxta dispensans &c. At nos libenter damus Chrysostomo vim quandam rationis, & consilij compotem ab illo stellæ motu nõ abfuisse, quod solum allatis argumentis conuincitur, sed non arbitramur inficiandum, illam, quę dux itineris magorum fuit, stellam fuisse, vt mox ostendemus.

Sententiæ Chrysostomi non visus est contradicere Auctor operis imperfecti in Mattheum, dum inquit, *Donec apparuit eis descendens super montem illum Victorialem habens in se formam quasi pueri paruuli, & super se similitudinem crucis, & locuta est eis, & docuit eos, & praecepit eis, vt proficiscerentur in Iudaeam,* ac cum stella & ratione & anima, & humana voce careat, virtutem illam fuisse rationalem, in stellę illius splendore, & inuolucris latitantem, dicat is necesse est. Paulo ampliorẽ, ac multiplici eruditione aspersã Theophylacti super eadem re sententiam non possum non attingere, quam 3. cap. in Matth. habet. *Quando audis stellam, ne talem putes illam, quales videmus, sed diuinam virtutem, & Angelicam in figura sideris apparentem. Nam quoniam astrologi Magi erant, propterea dominus familiari eos signo ad duxit, sicut Petrum piscatorem à multitudine piscium ad nomen Christi venatus est, & stupescere fecit. Quod autem Angelica virtus fuerit stella manifestum est ex eo, quod & in die refulsit, & ad motum Magorum se moueret, & ad quietem eorum quiesceret, quin & a septentrionali parte &c.* Idem notum est ex monumentis Euthymij stellam hanc non stellarum naturam, sed figuram duntaxat habuisse scribentis, in ea enim fuisse diuinam quandam potestatem, quæ se se in stellæ similitudinem Magis obtulerat, latè prosequitur. Præterea accessisse eidem opinioni Nicephorum Callistum me dubitare non sinunt, quæ in fine cap. 13. libri primi historiæ Ecclesiasticæ scripta reliquit; nam agens de reditu Magorum in patriam. *Sed enim, ait, ea ipsa nocte Angelus, qui dux viæ eorũ fuerat, illos oraculo admonuit, vt Herodis inuidi congressum fugerent:* ergo quæ paulo ante tradiderat falsus stellam ceu animatam, & intelligentiæ perticipem fuisse ducem itineris magorum in hanc sententiam citatis patribus probatam cogimur interpretari.

Auctor operis imperfecti in Matth.

Theoph. op.

Euthymij op. in c. 2. Matt.

Niceph. Callist.

Nec defuerunt, qui assererent tertiam Sanctissimæ Trinitatis personam, quæ postmodum in specie columbæ super Saluatorem e cælo apparuit, cum in Iordane baptizaretur, stellam hanc fuisse, quod esse figmentum nulla subnixum ratione prorsus reor. Marsilius Ficinus hæc omnia ab Angelo Gabriele perfecta ita arbitratur, vt velit, eiusdem Gabrielis Archangeli opera Zachariæ Ioannem, Deiparæ Virgini Christum, Pastoribus, & Magis natum mundi Saluatorem ostensum fuisse. Nec displicet Nysseno Gregorio visam à magis stellam Angelum appellare.

Non fuit Spiritus Sanctus stella.

Apud Tost.

Lib. de stella Magorum.

Dialogo de anima.

Origenes contra Celsum in eodem se se puluere exercens in earum stellarum classem hanc reponit, quę in aere ex vaporibus coaugmentatis, & accensis vulgo cometę dicuntur, cui sententię suffragantem hanc rationem contexuit, quam illius verbis commemorabo. *Stellam, quæ in oriente visa est, nouam fuisse opinamur, nec vlli e notis stellis similem, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus, sed eius, quales cometæ visuntur temporanei, docides, pagoniæ, pithi, aut quomodocunq; libet Græcis varijs nominibus signare earum differentes figuras. Hanc nostram opinionem hoc pacto astruimus. Obseruatum est quoties res magnæ, insignesq; mutationes fiunt in terris, existere huiusmodi stellas significantes aut translationes regnorum, aut bella, aut quicquid*

Lib. 1. contra Celsum.

potest

potest apud homines contingere ad commonendas res terrenas validum. Legimus autem in Cæremonijs Stoici commentario, quem de cometis conscripsit, quomodo interdum etiam res bonas futuras exorti cometæ præsignauerint, idq; declarat exemplis petitis ex historijs. In cuius opinionem iurarunt cùm alij, tùm Marsilius Ficinus. In quos omnes hæc stant, quod cometa solum noctu, hęc autem stella etiam interdiu visebatur; ille motu irrequieto cietur, hęc interrupto, ille solis splendore vinci assueuit, hęc solis vincebat fulgorem, ille naturali, hæc voluntario motu gradiebatur, ille paulatim, hęc subito euanuit. Quare etsi, cometas indices etiam gaudiorum, & principum ortus, omen dexterum esse aliquando vsu compertum sit, vt fatetur Origenes, cętera tamen, quę cometę sequuntur naturam, stellam hanc e numero reijcit cometarum; quamuis Angelicus Doctor illam hanc communem cum cęteris cometis rationem retinuisse tradat, quod terrenę destruendæ potestatis foret indicium. *Et tamen*, ait, *non omnino aberat significatio cometarum, quia cæleste regnum Christi comminuit, & consummit vniuersa regna terræ, & ipsum stabit in æternum, vt dicitur Danielis 2.*

Libello de stella Magorum.

1. p. q. 36. a. 7. ad 3.

Magorum sidus ex vehementi aeris impressione ortum. Tum Marsilij Ficini de eadem re commentum exploditur.

CAP. XV.

Stella Magorũ impressio in magna facta in aere.

MIhi illud vero videtur simillimum, cęleste signum, quod in se non minus mentes, quam Magorum oculos rapuit, fuisse impressionem quandam in hoc infimo, terręq; propinquo aere factam, ex qua subito stetit corpus mira densitate, luceq; inenarrabili prędítum, quod aspicientibus ideo stella videbatur, quod stellarum figuram, rotonditatem, splendorem (miras enim luminis flammas iaculabatur) pręseferebat, non secus, ac olim Deus cum Hebręos ex Aegyptiaca seruitute in libertatem vindicauit, columnam ignis, & nubis ope angelorũ architectatus est, quę viam illis in deserto pręmonstraret, & solis ęstum temperaret.

Ficini op. de stellæ magorum creatione.

Quòd si roges qua ratione hanc impressionem accumularit Angelus, quicunq; is fuerit. Respondebit Ficinus hunc in modum philosophans. *Stans protinus in aere medio, mille aeris stadia circumfusa ibi in spatium aliquanto angustius congregauit, idq; totum velut animę corpus sibi mira potestate deuinxit, & à reliquo elemento secreuit, proinde ac virtute coaguli lac plurimum cogitur in angustius, & aqua secernitur, vt lumen pararet.* Hęc Ficinus, sed quam accuratè, & veraciter haud scio; absit enim, vt prudens quispiam credat, deuictam aeris partem Angelo ea ratione, qua animo humano adiungitur corpus, cum efformatis propria virtute aereis corporibus adsint, vt motores Angeli, ceu nauem suam gubernator moderatur, vnione duntaxat, vt loquuntur, extrinseca, corpus autem humanum vitali attactu, vt forma, & totius pars altera regat, informet, eiq; vitales functiones impartiatur animus. Rationi etiam dissonum planè est, arbitrari tantũ splendoris quanto

Ficini op. confutata.

stella

stella Magorum potiebatur, enasci potuisse ex compressione illa facta ab Angelo, vt putat Ficinus. Etenim adeo mirum, magnum inusitatumq; stellæ splendorem fuisse tradunt vna voce Patres, vt ad illius procreationem plura, quàm exigit Ficinus, exigi videantur. Ridiculum enim est, & sanæ theologiæ contrarium quod in explicatione suæ opinionis finxit Marsilius, qui stellæ fulgoris eximij causam assignans hæc tradit. *At vnde lumen corpori huic adhibuit Angelus? Ab ipso videlicet suæ intelligentiæ lumine. Quod enim in ea est intellectuale, & inuisibile lumen si quo modo traducatur in aerem, fit visibile, in aerem quidem subtiliorem conspicuum fit beatis. In aerem deniq; densiorem ab alijs quoq; videtur.* At quis ingenij acumine huiuscemodi luminis naturam attigit vnquam? Dicat, precor, Ficinus: an Angeli lumen, quod intellectualis, & inuisibilis est naturæ, aliam corporis aspectabilis, cũ in aerem traducitur, conditionem induat nec ne? at cum istud summæ sit dementię, ad primum illud confugiat necesse est inespectabile igitur maneat opus erit, quid enim lumini intellectuali cum in aere sistitur, ita addi potest, vt inuisibile cum sit, nouo protinus miraculo sensibus humanis obijciatur: an terrenę fecis particeps aer suaui rem omni penitus corporeę qualitatis immunem afficere, aut immutare poterit, vt visibilis euadat? an non mutuæ operationis exigit ratio, vt commune esse debeat principium inter ea, quæ inuicem agunt, & patiuntur, teste philosopho, quod in rebus spiritalibus, & corporeis sibi inuicem negatiuè oppositis dari non potest? Lib. de stella Magorum.

Tum quis patienter ferat inauditum Ficini commentum aientis, lumen intelligentię Angeli in aere subtiliori beatis, in densiori alijs etiam fieri cõspicuum. An aeris subtilitas, vt beati lumen intellectuale Angelorum intueantur, efficiet? quasi verò nunc in Patria beati æuo sempiterno fruentes, qui non prorsus absimili vtuntur cognoscendi ratione, qualem ab auctore naturæ Deo Angeli sortiti sunt, e re sensili in elicienda videndi operatione lumen intellectuale Angelorum pendeant, cum omnibus corporeis vinculis absoluti non fantasmatibus, vt philosophi aiunt, non corporatis imaginibus in elicienda cognitione egeant, cur non ergo censendum erit beatis conspicuum esse lumen intellectuale Angelorum, si quod videri, cognosciue potest, omni penitus aeris etiam subtilissimi sublata de medio substantia? cum vtraq; sint ordinis spiritalis, ac proinde (si infusę adsint beatis a Deo imagines, quæ cognitionis sunt principia rei obiectæ respondentia) vtraq; sub obtutum cadere possint, & Angelorum & beatorum. Lumen intellectuale Angelicum omnino spiritale.

Perridiculum tandem est, quod de lumine in aere crasso existente delirat Ficinus. Etenim cum oculorum aciem planè anteuertat res materiæ expers, fieri haud poterit vnquam, vt ab hominibus lumen angelicum, quod spiritale est, oculorum virtute conspiciatur, non enim in denso aere receptũ lumen (loquor ex hypothesi, re ipsa enim portentum philosophis rectè ratiocinantibus accidet asserere, lumen intelligentiæ Angeli traduci posse in aerem, ni impropriè hac loquendi formula Angeli substantiam, eiusq; potestates naturales confundat Ficinus) sed aerem lumen in se asseruantem conspicient homines. Lumen Angeli in aerem traduci non potest.

Qua

Quæ fuerit fulgoris stellæ præstantia; & an naturali ope producta, aut diuino auxilio creata sit.

CAP. XVI.

QValis, & quantus noui sideris splendor fuerit, ex ijs patet, quæ Apostolis suppar Ignatius Martir de eo prodidit ita ad Ephesios scribens. *Stella fulsit exuperans omnes quotquot anteà fuerant. Lux enim illius inenarrabilis erat, & stuporem incussit omnibus aspicientibus eam rei nouitas. Omnia autem reliqua astra vna cum Sole, & Luna chorus fuerê stellæ illius: ipsa autem claritate exuperabat omnes.* Quæ beatissimi Martyris sententia, ni hyperbolica censenda sit; mirum protinus accidet, qui fieri potuerit, vt sole ipso orbis totius oculo splendidissimo clarior, splendidiorq; fuerit stella, quæ cum noctu micaret etiam inusitatum diem reducens è vniuersitate noctis tenebras, ipsa perdurante, fugasset. Vt vt martyris verba accipiantur, eximium, præstantissimumq; sideris illius fuisse fulgorem certissimum arbitror. D. Ioannes Chrysostomus fuisse videtur eiusdem opinionis, si quis attendat animum ad ea, quæ solitæ eloquentiæ neruis in cap. 2. Matthæi tractat noui planetæ naturam explicans. *Hæc verò stella ipsos etiam solis radios proprio quodam, præcipuoq; fulgore superabat, clarius illis profecto apparens, atque in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens.* D. Leo Papa sidus nati Saluatoris argumentum, si non solem, de quo silet, at cætera astra saltem fulgore, & radijs antecellisse testatur, cum ait. *Commouet magos remotioris orientis habitatores stellis cæteris stella fulgentior.* Illud omnium Patrum, & scriptorum testimonio dicere possumus, stellam ortus Christi indicem splendore eximio fuisse ornatam, qui eo maioris claritatis videbatur, quo terrę, magisq; propior erat, quæ enim longiore distant à nobis interuallo, vt quantitate, sic & splendore, cæterisq; qualitatibus magis exigua, quam re ipsa sint, contuentibus nobis videri solent.

Ordine est 13. epist. sub finem epist.

Hom. 6 in cap. 2. Matth.

Ser. 3. in Epiph.

Qua in parte sidus fuerit productum.

Th. 3. p. q. 36. a. 7.

Quod autem pertinet ad huius stellæ productionem sensit Doctor Angelicus eam fuisse non in cælis, sed in postrema aeris regione creatam. *Probabilius tamen videtur, quod fuerit stella de nouo creata non in cælo, sed in aere vicino terræ.* Verùm cum nihil aliud sit creare, quàm sine præiacente materia aliquid in esse producere, consequitur vni Deo, cuius virtus, & potestas infinita est, & illimitata, tribuendam esse stellæ creationem, cum creatio infinitæ duntaxat virtutis sit operatio. Prodidit hoc D. Thomas, atque ob eam maximè causam non solum probabilis, sed etiam venerabilis mihi fuit opinio, quæ nullis incommodis vrgeri potest.

Angeli stellam magorum operati sunt.

Sed nos procliuiores in id sumus, vt Angelorum ministerio, & opera hoc conflatum sidus arbitremur; constat enim inter scriptores omnes ad arcanum hoc Incarnationis mysterium Deiparæ Virgini, & Pastoribus aperiendum Angelicis nuncijs, & legatis Dominum vti voluisse; cur ergo impressionem illam, & signum, quo de ortu Saluatoris certiores magos reddidit,

ne pariter operarentur Angeli, prohibuit Deus? qui non solum administrationem, totiusq; vniuersitatis gubernationem eorum curæ commisit, verum etiam consueto prouidentiæ suæ ordine sic rerum effectionem moderatus est, vt ipse ea duntaxat præstet, quæ secundarum causarum virtutem, & vires anteuertunt: quid autem Angelis facilius est, quàm ex varijs exalationũ, alijsq; vaporum speciebus corpus effingere, in quod si oculi inijciãtur, forma, colore, splendore, radijs stellæ naturam referat, hoc agente Angelo & locali motione, & vnione eorum, quæ vi sua inuicem agunt, & patiuntur. Quid? vt Magos iter agentes stella præcederet, angelico auxilio opus fuit, vt suo loco probaturi sumus, & non eiusdem etiam Angelicæ virtutis artificium censendum erit stellæ procreatio? Præterea mitto inpræsentiarum probabili philosophorum opinione asserere, Deum, vbi primum mundialem hanc machinam è nihilo excitauit, eam materiæ quantitatem creasse, quæ vsui rerum agendarum toto durante seculo opportuna, & necessaria futura erat, vt ideo nunc sit superuacaneum opinari, Deum nouæ creationis rei corporeæ esse auctorem.

Qua virtute, qua ve ratione stella moueretur, & de fulgore illius.

CAP. XVII.

NOn alicuius creatę virtutis, sed spiritus sancti opera stellam Magorum ducem motam censuerē aliqui, sideris corpus sibi adiunxisse spiritum sanctum asserentes, in quo eos hallucinatos reor, non solum quod ea Trinitatis opera, quæ theologi vsitato vocabulo ad extra appellant, indiuisa sint, totiq; Trinitati conueniant, sed etiam quod inane sit eam corporis stellæ vnionem sancto spiritui tribuere, quæ, si qua fuit, in causas secundas, quarum famulatu in rebus humanis vtitur Deus, conijcienda est, ne vsus earum superfluus videatur. Angelicus Doctor de stellæ motu agens ait, eam secundum diuinam voluntatem motam. *Spiritus Sancti opera actam stellam.* *3.p.q.36.a.7. corp.*

Hanc opinionem referens Tostatus ea refellit ratione, quod præter diuinam voluntatem, cuius virtutem, & efficatiam nulla vel minima res effugere potest, aliud debeat assignari motus principium, cum vnaquæq; res perfecta intrinsecum, extrinsecum autem si imperfecta sit, sibi vendicet motus principium. At hæc Tostati ratio plus philosophicæ veritati consona est, quam menti Angelici doctoris opportuna, qui illis vocibus non motus stellæ principium, sed motus rationem, dum stella agebatur, declarauit: illud enim secundum diuinam voluntatem mouebatur, idem planè significat, ac si dixisset, non vsitato cæterarum stellarum modo, nec solita aliarum motione, sed ad arbitrium, voluntatemq; diuinam ciebatur stella Magorum, quæ diuina voluntate erat ab Angelo efformata, vt itineris illorum dux foret, non enim continuo, & irrequieto motu, vt cæteræ assolent, sed ad motum Magorum mouebatur, & ad illorum etiam quietem immota manebat. *Aduersus Tost. S. Th. op. defensa.*

Z Per-

Persuadere enim mihi ipsi nequeo, Sanctum Thomam, qui Angelica ingenii perspicacitate præditus maximarum difficultatum apices attigit, omnesq; nexus dissoluit, rem apertam, omnibusq; qui in philosophiæ studijs mediocriter sunt versati, plane perspectam ignorasse: quis enim clarius Doctore Angelico docuit assignandam imperfectis corporibus extrinsecam, perfectis verò intrinsecam, & naturalem virtutem, cuius vi corpora mouerentur, præter diuinam voluntatem, sine qua nihil agi, nihil perfici potest?

Hanc virtutem ignitæ exalationi in morem sideris efformatæ suppeditatam ab Angelo fuisse grauissimorum Patrum, & Scriptorum testimonijs adducti certum ducimus; huc enim omnino tendunt Sancti Chrysostomi, Auctoris operis imperfecti in Matthæum, Nicephori Callisti, Theophylacti, Euthymij, Tostati, & aliorum testimonia, quę anteà recensuimus, quibus Magis ostensum sidus fuisse virtutem Angelicam tradiderunt: attētis enim, quas ipsi innuerê, rationum ponderibus clarum fit vnicuiq; illis solùm peruinci cæleste signum patefactum Magis non propria ui, sed virtute, præsidioq; creaturæ rationis, & consilij compotis magis iter agentibus se se præbuisse ducem, & comitem. Neq; enim motionis stellæ ratio, quę viuentium progrediendi modum, & naturam prę se tulit, conijci potuit in stellam, si motū ei conuenisse fateremur, cum rectus motus inanimis corporibus haud congruat; pugnant præterea pro opinione nostra, recurruntq; argumentationes, quibus à nobis ostensum est Auctores noui sideris fuisse Angelos, quas suo loco adeat lector.

Stella ab Angelo mota.

Ego enim scrutari persequar peculiarem huius stellę motus rationem, quam etsi ex ijs, quæ hactenus dicta sunt, non necessariam, sed liberam fuisse constet; reliquum tamen est, vt doceamus, an ita semper libera motione stella cieretur, vt iugiter ab oriente vsq; Hierosolymam, & ab Hierosolyma vsq; Betlehem magis dux itineris, viæq; pręuia extiterit; an duntaxat illam conspicati sint Magi in orientali plaga degentes, nec ante moueri cępta sit, quam Hierosolyma egrederentur Betlehem contendentes; etenim quodnam istorum veritati consonum sit ambigi non inconsideratè potest, discrepantibus inter se doctoribus.

Venerabilis Beda adeo pugnaciter postremum illud defendit, vt eos, qui secus opinantur, mentem Sacri Euangeli non esse assecutos palam disputet. *Sed & de stella*, ait, *quæ eis apparuit quidam minus diligenter scripturam intuentes eam ab oriente vsq; ad viciniam Betlehem ducem eis itineris extitisse dixerunt; viæq; præuiam. At vbi relicta via Betlehemetica ad Hierosolymam iter, & oculos deflexerunt, disparuisse stellam, quæ eos ducebat, donec rursus ab Hierosolymis pedem referent ad Betlehem; quod nequaquam ita esse factum ipsa Euangelij veritas inquisita demonstrat. Sed potius in oriente tantum eos stellam vidisse, statimq; intellexisse quia &c.* & mox: *Non enim dixerunt Magi stella nos vsq; Hierosolymam deduxit, illud probatur, quia & Ecce ait Euangelista, stella, quam viderant in oriente.* Idem sibi persuasit Innocentius Tertius ita scribēs. *Et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, existimantes quod in oriente viderant stellam super Iudæam, & quæ prius stabat immobilis, donec Hierosolymam aduenissent incæpit moueri, & antecedebat eos donec veniens staret supra, vbi erat puer.* Iisdem sacrę scripturæ innixus verbis B. Paschasius Rutbertus in eandem opinionem concessit, ita nihilominus suam assertionem temperans, vt non penitus abijciendam aliorum opinionem huic contrariam censuerit, benigne vtramq; hoc modo concilians.

Tom. 8. lib. q. de stella & magis 9.

Ser. de Epiph.

Si diligentius, ait, inspiciatur, nequaquam Euangelij veritas probare videtur, quod ad Iudæam eos illa perduxerit. Immò in oriente tantùm eos stellam vidisse fatetur, ex qua nimirum intellexere natum in Iudæa, de quo Balaam prædixerat. Propter quod illi statim, vt conspiciunt Iudæam petunt, & ciuitatem regiam, vbi eius natiuitatem ex propheticis oraculis crediderant, agnoscere deueniunt. Vbi cum Bethlehem eum natum ex prophetarum testimonijs comperissent, mox illuc iter aggressi, ecce stellam, quam viderant in oriente præuiam cernentes recognoscunt. Sic namq; habes in Euangelio dicentibus Magis. Vidimus inquiunt, stellam eius in oriente. Neq; enim fatentur, quod eos ab oriente illuc perduxerit, sed tantum. Vidimus stellam eius in oriente. Qui cum profectò audissent regem, sequitur. Abierunt, & ecce stella quam viderant in oriente antecedebat eos. Et neq; scribitur quod alibi eam vidissent, neq; quod comes itineris esset. Veruntamen etsi ita possit, ac sic enucleatius explicari, non mo- prior plurimorum sententia videtur refellenda. Quia etsi cursu itineris sui visibilis non præcessit, tamen illustratione fidei intus in animo comes fuit. Quin etiam Benedictus Ariæ montanus Bedæ, & Paschasio probatam sequens opinionem hanc interpretationem illius scripturæ loci habet. *Namq; stella semel illis visa, & obseruata in regionibus suis, non deduxerat eos Hierosolymam, sed fide, & sapientia ducti Hierosolymam petierant. Illam itaq; stellam, quam indicem temporis in oriente viderant, Hierosolyma egressi ducem habuerunt certissimum, ita ut interrogare opus non fuerit.* In hanc quoq; sententiam intelligendum est quod scribit Fulgentius, stellam videlicet, antequam Magi intrassent Hierosolymam; super eadem ciuitate stetisse immobilem, illisq; egressis tunc primo motu notabili ducis viæ officio functam.

Lib. 2. in Matt. — Notis in Matt. — Apud Magistr. Hist. Schol.

Verum sententia opposita huic potius retineri debet, quæ Græcis iuxta, & Latinis Patribus arrisit, & in Ecclesia iã diu inualuit. Inter veteres autem, & nobiles patres, qui hanc opinionem sunt secuti, fuit Basilius Magnus, qui de humana Christi generatione hunc in modum loquitur. *Mota in primis est ex oriente in Bethlehem. Constitit autem supra vbi erat puer. Idcirco ex oriente Magi excitati stellam sunt ducem secuti.* Neq; hoc displicuisse Epiphanio mihi argumento esse potest, quod prodidit. *Deducebat ipsos stella vsq; ad locum, vbi erat puer.* Quod si dubius es de mente Epiphanij, peruolue animo quæ D. Ioannes Chrysostomus affirmatè tractat, ille enim rem præsentem enucleans. *Nam vsq;* ait, *ad Palæstinam venientibus magis, quasi dux itineris semper apparuit, cum verò Hierosolymam introissent se se rursus abscondit.* Quin hac vna liberæ motionis, quam stella habuit, ratione adductus idem Chrysostomus omnibus eloquentiæ neruis contendit, non solita stellarum natura, sed præstantiori præditam fuisse Magorum stellam ductricem, passim varias suæ opioionis argumentationes attexens. Assensus est eidem veritati operis imperfecti Auctor, qui super hac re ita scribit. *Proficiscentibus autem eis per biennium præcedebat stella, & neq; esca, neq; potus defecit in peris eorũ.* Nec est hoc loco reticenda à nobis ad huius opinionis confirmationem clarissima Theophylacti sententia, qui etsi aliud agat, perbelle tamen quod volumus obfirmauit. *Quod autem,* verba sunt Theophylacti, *Angelica virtus fuerit stella, manifestum est ex eo, quod & in die refulserit, & ad motum magorum se mouerit, & ad quietem eorum quieuerit,* id quod latissimè prosequitur nullo modo ab hac eadem via recedens. Fauit prætereà in Niceph. Callist. hist. scholiastes dum loquitur. *Stella ceu animata, & intelligentiæ particeps mota est ab oriente in Hierusalem comitata magos.*

Lib. 2. tom. 1. hæresi 51. — Hom. 6. in cap. 2. Matt. — Hom. 2. in cap. 2. Matt. — Cap. 2. — Lib. 1. cap. 13.

Z 2 Nunc

Nunc libet ad amplionem huius veritatis explanationem B. Augustini sententiam nostram asserentis verba adscribere, *Hoc enim die Magi Dominum nostrum adorasse perhibentur Stella scilicet apparente commoti, & præcedente perducti*. His simillima sunt quæ B. Leo Pont. Max. gregem suum edocēs sic habet. *Sequuntur tres viri superni luminis ductum, & prænuij fulgoris indicium intenta cogitatione comitantes ad agnitionem veritatis gratiæ splendore ducuntur*. Quod citati hactenus Patres senserunt adeò verum est, vt Angelicus Doctor haud ignarus contrariæ opinionis rem hanc totam ita definiat. *Dicitur enim Matthæi 2. quod stella quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos vsq; dum veniens staret supra vbi erat puer. Ex quo patet, quod verbū Magorum dicentium. vidimus stellam eius in Oriente, non est intelligendum, quasi ipsis in Oriente positis stella apparuerit existens in terra Iuda, sed quia viderunt eam in Oriente existentem, & præcessit eos vsq; in Iudæam, quamuis hoc à quibusdam sub dubio relinquatur*. Tandem foret planè otiosum sigillatim recentiorum doctorum, qui idem arbitrati sunt, vota recensere, cum eorū omnium hæc vna sit mens, vna cogitatio, & stabilis sententia.

Ser. 4. de tempore n. 32. — Ser. 1. de Eph. — 3. p. q. 36.

An Sideris splendor naturalis, an supra naturam censendus sit.

CAP. XVIII.

DE hac quæstione fuit Tostati decretum, naturæ limites excessisse lumen, quo stella præcelluit, non ob id solum, quod lux naturalis sole superueniente conspici nequeat, verum etiam quod lucis naturalis ratio postulet, vt eandem fulgoris emittendi viam seruet, desinatq; paulatim, cum ad interitum tendit; Sidus autem natalis domini argumentum, & ipsa solis luce splendidius, interdiu apparuit, & ita sese oculis Magorum obijciebat, vt delitesceret etiam aliquando, nec lento, sed subito interitu defecerit.

Mihi, qui effectorem huius stellæ felicem Angelum fuisse puto, expeditior videtur opinio, naturalem fuisse sideris lucem asserere; cur enim diuina miracula fingimus in eo, quod sicut ex naturalibus exalationibus tamquam principijs constat, ita eximij fulgoris, qui naturæ viribus produci inde potuit, particeps omnino putādum est. Nullum enim supra naturæ vires miraculum est ex magna aridæ exalationis, siccæ, solidæ, ac densæ copia, si accendatur, vt stellæ Magorum accidit virtute Angelica ignē suppeditante, tantū fulgoris enasci, quod etiam interdiu conspiciatur, si in infima aeris regione consistat terræ superficiei haud è longinquo imminens; secus tamen reor opinandum, si supremam aeris regionem, Lunæuè concauum teneret, quo enim à nobis remotior lux emicat, eo facilius oculorum fugit aciem, immò plerumq; fit inaspectabilis, si longior intercesserit distantia, vt à pari in stellis, & Luna perspicimus Sole splendente. Ad hæc visum interdiu cometam non modo asseruit de varietate rerum Cardanus, verum id etiam

Lib. 9. cap. 1.

etiam experientia compertum esse tradit Aristoteles, qui de cometa agens. *Nam, & magnum, ait, illud sidus, quo de supra mentionem fecimus tempore hyberno uigente gelu, atq; cælo sereno uesperi Aristæo prætore apparuit. At prima quidem die uisum non est, quod ante solis ocasum delituerit, postea autem apparuit, nam quam minima fieri potest distantia solem reliquit, & mox occubuit;* tristis ergo cometa, qui superiorem vltimam aeris partem colit, ceu scitè probat Aristoteles, faciem interdiu ostendit hominibus; & ingens in modũ magni astri cõpacta ardens exalatio, cometa splendidior vicina terræ & aeris loca percurrens in conspectum Magis se dare naturæ viribus interdiu nõ poterit? Meteorolog. lib. 1. c. 6.

Nec cæteræ Tostati argumentationes superiori iam dissoluta potiores sunt, si peruoluamus animo hæc duo longè diuersa esse, stellæ fulgorem naturæ iura vincere, & naturalem stellæ lucem visam aliquando, ac rursum latitasse etiam, ac nullo modo seruatis rei, quæ euanescit, legibus, subitò defecisse; non enim alterum ex altero iurè quis colligat, nec ex vltimo primũ illud fit consequens; quis enim captiosum esse hoc genus argumentationis non animaduertit? an enim solis splendor transnaturalis ideò censendus, quod ad preces ducis Iudæorum Iosue continuum, rapidissimumq; motum suum compresserit? An fornacis Babilonicæ ardentissimus ignis aliam naturam induit, quòd tres pueros, quorum corpora nata erant flammam cõcipere, non redegit in fauillam? quis hæc dixerit. Dandum quidem est Abulensi rei naturalis idest necessariæ, quæ ad vnum planè determinata est, in iaculando splendore non tenuisse modum sidus Magorum, quod solummodo ex illis rationibus conuincitur; at hinc immeritò fulgorẽ fuisse trasnaturalem autumat;

Qui fieri posset, ut stella, quæ admirabili luce prædita erat, ceu voluntario quodam recessu aliquando delitesceret. An etiã alij eam conspicati sint, cum in hospicijs degerent Magi. Deinceps nulli visa est mortalium, postquam ad adorandam nati Saluatoris diuinitatem Magos perduxit.

CAP. XIX.

Quòd libera veluti motione è Magorum aspectu abiret nõnumquã sidus non esse conijciendam causam in fulgorem, quasi ille fuerit supernaturalis, vel hinc argumentari licet, quod ex hypotesi fulgor etiam communi natura præstantior, & diuinitus productus, ni rationis capax esset, quod est absurdum opinari, non potuit eo motu vti, quem sidus confecit in deducendis ad Christi incunabula Magis, vt ex his, quæ hactenus tradita sunt, claret apertissimè. Nobis facilis erit labor venari causas, quibus res ista constet. Nam sicuti compactam exalationem (quam stellam Euangelistæ verbis vsi sæpe diximus) eiusq; etiam

motionē factā ope angelica probauimus, cum Hierosolymam ingrederentur Magi, sic sideris occultationē arbitramur cōtigisse eodem auctore Angelo, siue quod viribus sibi à Deo, initio suæ conditionis concessis eadē celeritate, qua effecit, vt primò micaret sidus, fulgorē ei omnē ademerit Angelus siue quod exalationis relaxarit compagē illius partes segregans, ex qua secretione omne lumen emarcuit, siue quod in pristinam naturam penitus restituerit exalationes; vel quod conglobatam sideris materiam ad eam tenuitatem redegerit, quæ aciem oculorum fugiebat, moxq; exeuntibus Hierosolyma Magis solita arte dissipatum redintegrarit sidus.

Quod si hæc non ita tibi creditu prona videntur, licet ea ab Angelo fieri potuerint. Cogita sideris defectum ex alijs capitibus virtuti Angelorum familiarissimis enasci potuisse. Nam integra, & perfecta existente siue materia, siue sideris luce fas Angelo fuit, illud vel ad Lunæ concauum, vel ad vltimas occidentis, aut septemtrionis partes remotissimas vno, eodemque temporis momento sic attollere, vt ob distantiam oculis humanis foret in aspectabile. Meditare prætereà Magorum, & aliorum Hierosolymæ ciuitatis accolarum oculos ita turbari potuisse ab Angelo, vt eos in astrum figere non valerent, ad eum fermè modum, quo Angeli ad euertendas infames Ciuitates cælitus missi sodomitas ea oculorum perturbatione percusserunt, vt ostium Loth per se maximè conspicuum omni adhibita sollicitudine inuenire non possent, cur enim spiritibus Angelicis humanos sensus illudendi, si expediat, abneganda facultas, quam tartarei carceris principibus concedendam esse & Sancti Patres, & quotidiana experimenta testantur?

Gen. 19. vers. 11.

An postremò radiāti stellæ eam nubium, & caliginosi, obscurioq; aeris subito congestā copiā opposuit Angelus, quæ eidem tenebras ita offunderet, vt plane non conspiceretur, non secus, ac sæua tempestas obducto nubibus aere solem interdiu humano ex aspectu abripit.

Alij præter Magos sidus vidére.

Nullo iure affirmant aliqui (quod ad secundam quæstiunculam spectat) non datum esse cæteris mortalibus vt sidus magorum oculis contemplarētur, propterea quod illius aspectu, tantiq; misterij cognitione essent indigni. Sed dicant hi, obsecro, quæ hæc esse potuerit indignitas, quæ repugnantia? An Saluatoris ortum, ex quo hominum salus orta est, præter magos plures nouisse iustum fuit, stellæ vero natalis domini indicis splendorē vidisse iniustum? An maioris præstantiæ sidus censendum, quam Christi natale, vt paucioribus ob mysterij rationem sideris claritas, quam Saluatoris ortus ostenderetur? at si ipsa verbi diuini cum humana natura coniūctio, quæ mirum fuit diuinæ voluntatis arcanum, pluribus hominibus palam fuit, næ illi vehementer errāt, qui splendidissimum astrum solis Magorum oculis illuxisse dixerunt, cum istud & Saluatoris honori, & hominum deroget vtilitati?

Quorsum prætereà hoc loco opem Angelicam, qua cæterorum hominū oculi eluderentur, inducunt hi, quam tamen plane fuisse necessariam, si perspici non potuit astrum, asserere coguntur, cum huius rei nulla sit indigentia, nulla necessitas? Ad hæc si rei natura, splendorisq; ratio spectetur, haud magnum discrimen fuit inter hanc stellam, & columnam Israelitici populi in deserto ducem; atqui hanc non solum gens Iudaica, verùm etiam quicunq; in eorum morabātur castris gentiles clarè intuebantur; ergo pluribus alijs præter Magos se se spectandū astrū obtulisse meritò opinamur nos;

Placet

Placet prætereà commorantibus in hospitijs tribus regibus præsentiam suam intuentibus stellam nō denegasse, quòd par, eademq; sit ratio sideris, & columnæ, de qua paulo ante diximus, quam iugiter faciem suam persistentibus in loco Hebræis ostendisse ex sacris litteris claret. *Cunctis diebus, quibus stabat nubes super taburnaculum manebant in eodem loco, & si euenisset, vt multo tempore maneret super illud erant filij Israel in excubijs, & non proficiscebantur, quotquot diebus fuisset nubes super tabernaculum.* Ex quibus scripturę verbis, (vt hoc quoq; obiter moneam) habes lector præcipuum discrimen, quod inter stellam, & columnam reperiebatur, ista enim quibus in locis figendæ, & è quibus mutandæ sedes suo proprio motu docebat Israelitas; illa autem, quamuis dux, itinerisq; præmonstrator esset, ad motum Magorum mouebatur, & ad eorum quietem stabat. Num. 9. Discrimē inter stellam Magorum, & columnam.

Inane autem est opinari toties occubuisse stellam, quoties naturę necessitatibus Magi tecta subibant; quid enim vel mysterij, vel vtilitatis, vel dignitatis hic sideris recessus habere potuit? Enim verò si quis rem maturè perpendat, fateatur necesse est, stellę abscessum non nisi hæsitationis, & dubij occasionem allaturam fuisse Magis, qui in ipso Hierosolymæ Ciuitatis ingressu stella itineris socia, & comite vbi se sensere priuatos, protinus natum ibi Saluatorem rati omni studio, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum*, sciscitabantur; ergo similis, & eadem cogitatio Magorum animos inuasisset, si alijs in locis eis defuisset stellæ splendor. Vt quid prætereà e Hierosolyma ciuitate pedem referentes Magi ob recuperatam paulo ante stellæ amissæ societatem eos ingenti lætitia affectos sacris litteris consignasset Euangelista, si sępius stellę occultationem degentes in hospitijs magi ita experti fuissēt, vt statim iter insequentes nouo eiusdem stellę famulatu ducērentur?

Illud postremo pro tertię quęstionis explanatione communi Patrum adseueratione affirmarim, nullibi deinceps visum sidus, posteaquam officio suo functum magos ad presepe Christi adduxit. Nam quod scripserē aliqui in firmamentū deinceps translatum inter cęteros planetas illuxisse, figmentum esse nemo non videt, cum exalationibus terrena concretione constantibus, ex quibus conflatam stellam dictum est, incorruptibilis cęlorum natura penitus aduersetur, ni diuinæ virtutis miraculum velit quis commentari, quo rem corruptioni obnoxiam incorruptibilem naturam induisse dicat, quod etiam si daretur, adhuc tamen inconueniens illud, quod philosophorum parens Aristoteles tantopere abhorruit, consequeretur, Deum videlicet, cuius opera in ipso creationis exordio numeris omnibus absoluta fuerant, ab re in classem cæterarum stellarum transtulisse nouum hoc sidus, cuius operatio in cætera corpora vel nulla, vel non nisi superuacanea censenda foret, cum ab initio mundi, perfectioni cuius cumulatissimè Deus consuluit, nulla esset stellæ huius indigentia. Sidus Magorū inter planetas haud translatū.

Quid igitur, ais, huic Magorum stellæ euenit? Aliquibus mirabile illud, mihi verò perridiculum visum est semper, quod in hanc difficultatis explanationem memorat scholasticæ historiæ auctor, ex aliorum sensu adhunc modum scribens. *Tamen quidam tradunt Bedam voluisse, quod in puteum Betlehe miticum ceciderit stella & post in diebus Paulæ, & Eustochij quasdam virgines Deo dicatas eam miraculosè vidisse, quod quoniam fabulosum existimauerunt fratres, cum quibus monasticam ducebat vitam, eum à communione sua quandoq; separarunt.* At cum in Venerabilis Bedæ operibus multiiugi eruditione In Matthæum. Sidus Magorū decidisse in puteū fabula est.

ditione refertis, nec mihi non planè oscitanter rem hanc inuestiganti, nec alijs obuiam hoc datum sit, certè suam hæc opinio nouitatem nulla fide esse dignam vltro prodit, nisi enim perpetuo conseruatam in aquis exalationem miraculo asserant, quod absurditate non vacat, quis æquo animo feret ignitam exalationem quadringentis annis qui ab ortu Christi ad Eustochij tempora fluxerê, in eo elemento, quod totis viribus in ignem pugnat, integris qualitatibus perdurasse? immò quis nō indignabitur viro doctissimo, & eidem venerabili tam ineruditum commentum affigi?

Redactum sidus in præiacentē materiam.

Meum iudicium est, sidus in præiacentem materiam rursus redactum ab eodem Angelo, qui huius meteorologici corporis artifex fuerat, hic enim sua naturali virtute compactas, & coaugmentatas exalationum qualitates à se inuicem segregare, dissipare, ac perdere subitò potuit, vt planè fulgor, soliditas, cæteraq; quibus stella constabat, euanescerent, remq; hac via peractam coniectura simul, & argumentum est, quod non paulatim, vt naturalis est mos exalationum, quem in interitu suo seruant, sed statim, ac nulla interposita mora totum sidus defecerit. Ni malueris opinari, (quod fieri etiam potuit) Deum, à quo sideris natura, & splendor non modò vt essent, verum etiam vt conseruarentur, fluxerant, eidem solitum auxilium denegasse, ex quo protinus factum sit, vt ad interitum planè rueret.

De Aeterna Trium Magorum felicitate.

CAP. XX.

NOn est meæ mentis hoc loco vertere in quæstionem, quod certa fide, communi Patrum, & sacrosanctæ Matris Ecclesiæ assensu planè profiteor. Magos felicissime degere cum beatis. Quid enim cultoribus catholicæ fidei antiquius? quid ab ipso Saluatoris ortu antiquissima traditione constantius? & quid anniuersaria fidelis populi celebritate illustrius vnquā fuit? quā memoria aduentus Magorum ad Saluatorem, & apparitionis stellæ, quam vsitato nomine Epiphaniam dicimus, cuius festiuitatis quæ, & qualis semper fuerit apud omnes existimatio, patet ex Baronio, qui huius rei mentionem faciens. *Adeò, inquit, vt extorris prorsus à Christiana religione videretur, qui tantæ eius diei celebritati non interfuisset. Vnde de Iuliano Apostata Ammianus scribit, quod licet clam Dæmonibus imolaret, tamen ne detegeretur, quòd erat idolorum cultor, voluit suam præsentiam exhibere his ferijs quas, inquit, Christiani celebrantes mense Ianuario Epiphania nomine nuncupant. Eadem de Valente Imperatore testatur Gregorius Nazianzenus. Nempe in hoc Magorum, qui cælesti beneficio & gratia donati primi ex gentibus Saluatorem reueriti sunt, mysterio transitum, & vocationem gentilitatis ad Christianam religionem, velut in expressa imagine perpetuò contemplati sunt Sancti Patres.* Quocirca consilium meum est alique proferre in medium, quę Patrum volumina peruoluentibus obuiam dantur, quęq; ad trium magorum laudes, & pręconia spectant. Etenim postea quā

Epiphanię diuini dignitas quæ.

Anno p. Christi nu 36.

Ammian' Marcell. lib. 21.

Orat. in funere Basilij.

in

in tenella carne Christi latitantem Deum transnaturali fide muniti coluerunt, admonitiq; per quietem Angelica voce ne irent ad Hærodem, patriam diuerso itinere petientes protinus cælestem in terris vitam non modo egerê, sed etiam per eos virtutum gradus ad contemplandã Dei maiestatem sunt euecti, quibus Apostoli præceptoris Iesu munita eudolientes sublimê illam in cælis gloriam meruerunt. Quemadmodum de illis scriptum reliquit operis imperfecti auctor in Matthæum ita scribens. *Cum reuersi fuissent manserunt colentes, & glorificantes Deum studiosius magis quam primum, & prædicauerunt omnibus in genere suo, & multos erudierunt. Deniq; cum post resurrectionem Domini Thomas Apostolus isset in prouinciam illam adiuncti sunt ei, & baptizati ab eo facti sunt adiutores prædicationis illius*, ergo iure, vt in simili Paulus argumentatur, vt socij passionum in terris, sic & consolationis fuerint in cælo plane opus est. Hom. 2. in cap. 2. Matthæi.

Quod si hæc, quæ ex apochrypha scriptura radicê trahere videntur, haud magni facienda esse arbitreris, reuereri omnino debes quæ in idem dogma tradidit D. Ioannes Chrysostomus, quæ cum (paucis duntaxat exceptis) similem & eandem sententiam habeant, non parum allatæ opinioni addunt roboris. *Vnde mihi, ait, videntur isti (Magi) etiam in regione propria* Hom. 6. in cap. *facti esse postea ciuium suorum magistri. Qui enim hic nequaquam ista dicere* 2. Matthæi. *timuerunt, multo hæc ipsa liberius patriæ suæ hominibus prædicarunt, quippe præter stellæ iuditium habebant & Angeli responsum, & prophetæ testimonium.* Enim verò si quæ de scriptoribus Ecclesiasticis memorat S. Hieronymus huc spectarent, fidenter, & omni prorsus de medio sublata hæsitatione incerti Auctoris subscriberem opinioni, at ne quod adhuc non planê compertum habeo, temerê dicam, nũ ad hoc, quod inuestigamus, D. Hieronymus alluserit, qui limatioris sunt ingenij iudicent, illius certê agentis de Thoma Apostolo ista sunt. *Thomas Apostolus quemadmodum treditum est nobis Partis, & Mædis. & Persis, Germanis, & Hircanis & Bactris & Magis prædicauit Euangelium Dei.* Quod si Magis fortasse, de quibus noster hic sermo est, Christi dogmata aperuit Thomas Apostolus nihil esse potest veritati, rationiq; magis consentaneum, quam arbitrari Magos, in disseminanda veritate Euangelica vna cum Apostolo munere functos. Illud, quod ad D. Hieronymi mentem attinet, de gaudio, quò Deum videntes Magi potiti sũt, certum, & indubitatum est, quod in Esaiæ commentarijs docet dum ait. *Deniq. iacentem in præsepio Angeli pastoribus nunciant, Magi adorant de orien-* C. 3. in Esaiam. *te venientes quos vtiq; electos esse credendum est.* Antiqui Patres Ignatius, Iustinus, Tertullianus æternam Magis coronam indubitanter concessisse ea astruunt, quę ex operibus eorum citatis anteà locis annotata fuerê. Ereptos enim ex Orci faucibus Magos, ac destructas dęmonum præstigias, cum Christum adorarunt, pari, & consona voce ideo tradiderunt, quod eos in ordinem beatorum cooptatos esse sine dubio credebant; idemq; fuit Basilij, Nazianzeni, Ambrosij, Augustini, Chrysostomi, Innocentij Tertij, Leonis Papæ, Paschasi Rutberti iuditium, cum gentilium primitias Christo oblatas, cum Spiritus Sancti afflatu instructos, cum felices, cum velut insigne fidei, spei, & charitatis exemplar omnibus imitandum eos apellant. Præterea sanctitatis Magorum testis est solemnis Ecclesiæ ritus, & deuotio, quibus sacrosancta eorum corpora veneratur, & colit eadem religione, qua cæteras aliorum sanctorum reliquias. Illa enim primò siuè à Perside vt ali- Martyr. Calend. qui volunt, siuè e Mesopotamia, vt potius reor translata Constantinopolim

in celebri sanctę Sophiæ templo augustissimo apparatu reposita sunt, tu ab Eustorgio Ciuitatis nostræ Mediolani primo nominis huius Antistite in Basilica, quæ ab eodem post mutuata vocabulum Eustorgiana dicta est, collocata iacuerê, vbi sexcentis & septuaginta annis exactis barbari illius hominis iussu, qui vrbem solo æquauit, communi omnium luctu Coloniam Agrippinam deportata feruntur, vti superiorum temporum, & æui nostri scriptores litteris tradiderê.

Corpora Magorum olim Mediolani.

Non est hoc loco tacendum, quod prodidit Andreas Alciatus in manuscripto exemplari, quod de nonnullis antiquis Mediolani inscriptionibus, prænotatur, quodq; in Ambrosiana Bibliotheca asseruamus. Nam dû agit de D. Eustorgij templo, in quo ad nunc etiam dicata Sanctis Magis ædicula cernitur, ex Paulo Veneto commentitiam hanc, vt ego arbitror, historiã de tribus Magis recenset. *Is*, hoc est Paulus Venetus, *in Perside Vrbem Sabbam esse tradit, à qua trium dierum itinere distat castellum, quod Indigenæ Calasatam vocant, perinde ac si nostra lingua eorum castrum dicas, qui igni diuinos honores præstent, cuius quidem rei talem assignant rationem: iuisse quondam eius regionis tres principes ad Solymos, vt nuper nato Prophetæ aurum, thus, & myrrham offerrent, quod cum egregie fecissent, ab eo vicissim recepisse clausam pyxidem cum mandatis ne eam resignarent, quæ cum aliquandiu reges obseruassent, mox vet ta conati aperuerunt, repertumq; in ea lapidem despectu habitum mersisse putei aquis. Res mira, protinus è cælo ignis prouenıens incendit puteum æternis flammis, quas gens illa colit. Lychnosq;, & lampades alio accendere foculo inexpiabile existimant scelus. Horum regum tumuli Sabbæ visuntur. Nimirum tres arcæ auro, & Lapillis insignes. In hunc fermè modum tradit Paulus, quæ vt barbaros finxisse existimem constans apud nostros scriptores facit sentẽtia. Quid enim si tumuli inanes sint, inde ad nos aduectis corporibus.* Ita Alciatus, cuius mihi non spernenda est auctoritas, quamuis Marci Pauli Veneti monimenta, quæ de orientalibus regionibus accuratè conscripsit, non semel peruoluẽs fabulosum hoc in eis commentum adhuc non legerim Figmenta hæc, vt puto, nequissimus gloriæ Sanctorum hostis Cacodæmon callidè excogitauit, vt cum veris, quæ de magorum sanctitate traduntur, fabulosa confundens Euangelicæ narrationi aut fidem abrogaret, aut certè hominum mentem eo scrupulo agitaret, vt nescirent quibusnam corporibus reuerentiæ, & honoris signa essent tribuẽda, alijs in Sebba Vrbe, alijs Mediolani olim, & nunc Coloniæ repertis magorum corporibus, & tumulis. At Christianę religioni, quę vna Euangelij luce ducitur, quid obesse potest nota Dæmonis calliditas?

Ex Paulo Veneto commentum de tumulis Magorum.

DE SIBYLLIS.

CAP. XXI.

Origo nominis Sibyllarum.

SI vocis rationem spectemus, non immeritò Dei mentem Sybilla significat è græca dictione σιὸς, quæ Aeolico sermone Deum,& βουλὴν que mentem sonant; eo quòd suis vaticinijs,& prędictionibus Dei secreta mortalibus aperiat; nam sicuti noto vocabulo homines, qui diuinorum decretorum interpretes sunt, prophetę, sic pari ratione mulieres eodem fungentes officio Sibyllę appellantur, ex quo fit, vt non tam ex proprietate vocis,quam ex munere, & officio hoc illis inditum nomen fuerit, vt post Firmianum Lactantium Isidorus Hispalensis obseruauit ita scribens. *Sibillæ generaliter dicuntur omnes fæminæ vates lingua græca. Nā σιὸς Aeolico sermone Deum βουλὴν græci mentem nuncupant quasi Dei mentem. Proindè igitur quia diuinam voluntatem hominibus interpretari solebant, Sibyllæ nominatæ sunt. sicut enim omnis vir prophetans vel vates dicitur, vel propheta: ita omnis fæmina prophetans Sibylla vocatur, Quod nomen ex officio non ex proprietate vocabuli est.* Lact.lib, p.c. 6. Orig. lib. 8. c. 8.

Diodorus Siculus eundem lapidem euoluens mulierem esse plenā Deo,& esse Sibyllam idem penitus arbitratur. Suidas ait significare vatem. Eustratius ex Ariano hanc nominis origenem tradit. Dardanum,cum ex Samo Thracia venisset,Teuchri Regis sibi despensasse filias Nesò, & Batean, ac ex Nesò suscepisse Sibyllam vatem, à qua quotquot mulieres fatidicę fuerunt, Sibyllæ dicebantur, non quòd Sanguine illi iunctę essent, sed quòd similiter Deum paterentur. Pausanias ex Herophile,quam cognomine Sibyllam nuncupatam tradit, ortum Sibyllę nomen arbitratur. Alij, quorū dictis non assentitur Pausanias, prodiderē Lamiam Neptuno genitam, quę omnium mulierum prima vaticinata est, ab Afris hoc nomen accepisse. Biblioth. hist. l. 4. In hist. verbo Sibyl. Homeri scholiastes l. In Phocia siue. x.

Alij vocis radicem repetunt a nomine Delphidis,quam Sibyllam vocitatam ferūt. Eugubinus putat fatidicas mulieres ex mutua consensione Sibyllę vocabulum iusta aliqua de causa sibi elegisse; *nam sicuti*, ait, *fertur Trismegistus sapè in Aegypto versatus suimet mentionem fecisse, tertioq; Henmetem appellatum, sic fortasis & hę ob aliquam inter eas communicationem, ac commemorationem suo appellationes delegerunt.* At quidquid de Mercurio Trismegisto,de cuius nominis origine priori volumine actum est, velit Eugubinus, lectoris iuditio, quod de Sibyllis scribit relinquimus, nobis enim haud magis probatur,quàm quod sola diuinatione in litteras mittitur. Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap 9. Lib, 1. de perēni phi.c. 25.

De numero Sibyllarum.

CAP. XXII.

Qvot verò ad hanc vsq; diem Sibyllę floruerint, incompertum est, non modò ob rei difficillimæ vetustatem, verùm etiam ob insignẽ inter scriptores de hac quæstione controuersiam, quam esse arcanam ea conuincunt, quæ hactenus de Sibyllæ vocabulo tradidimus. Nam si diuinorum arcanorum consciæ mulieres e Sibyllarum numero haud iurè eximendę videntur, quis scitè poterit numerum attingere fœminarum, quę ab mundi incunabulis ad nostra vsque tempora diuinum hoc priuilegium sortitę sunt? Conabor tamen, ducibus scriptorum testimonijs, hanc quæstionem è tenebris in lucem, si quoquomodo fieri poterit, vindicare. Quod vt faciam, explodenda est in primis eorum opinio, qui eandem fermè vaticinandi rationē ex Sibyllinis carminibus obseruantes temerè dixerunt, vnam duntaxat, eādemq; fuisse Sibyllam, cuius scripta, & prædictiones nobis supersunt, quorum olim opinionem à Marco Varrone confutatam in libris, quos de rebus diuinis conscripsit, auctor est Lactantius; *Marcus Varro, quo nemo vnquàm doctior ne apud Graecos quidem, ne dum apud Latinos, vixit, in libris rerum diuinorum, quos ad C. Cæsarem Pontificem Maximum scripsit, cum de quindecim viris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse vnius Sibyllæ, sed appellari vno nomine Sibyllinos, omnes quòd fœminæ vates Sibyllæ sunt à veteribus nuncupatæ.*

Apud Onophr. Panuin.

De falsa relig. c. 6.

Huic errori proximus fuit error eorum, qui duas tantùm Sibyllas agnouerunt, vt Marcianus Capella, cuius quod fuerit fundamentum haud mihi satis constat, illò nullam suæ opinionis adducente rationem, priorem eorũ appellat Erophilem Troianam Marmesi filiam, quam & Phrygiam, & Cumanam ab alijs appellatā arbitratur posteriorem verò nominat Symachiā Hipocrensis filiam fatiloquam Cumis, Erythræę vero ortam.

Lib. 2. Philologis.

Sunt qui putent Plinium tres duntaxat posuisse Sibyllas, hoc illius moti testimonio. *Equidem, & Sibyllæ statuas iuxta rostre esse non miror, tres sint licet: vna quam Sextus Pacuuius Taurus Hedilis plebis restituit, duæ, quas Marcus Messala. Primos putarem has, & Actij Nauij positas ætate Tarquinij Prisci, nisi regum antecedentium essent in capitolio.* At ego in Plinij verba, & sententiam intuens, cur illi hoc attribuatur, non video, fatetur quidem ille tria olim circa rostra stetisse simulachra Sibyllarum; at num cæteras inficiatus est? numquid tres illas numerum omnem expleuisse Sibyllarum dixit?

Hist. lib. 34. c. 5.

Placet mihi, tutiusq; videtur hanc de ternario Sibyllarum numero sententiam in Iulium Solinum conijcere, vt non obscurè indicant illius scripta, in quibus de Cumis verba faciens ait. *Ibidem Sibyllæ Sacellum est, sed eius, quæ rebus Romanis quinquagesima olympiade interfuit, cuiusq; librum ad Cornelium vsq; Scyllam Pontifices nostri consulebant, tunc enim vna cum Capitolio igni absumptus est, nam priores duos Tarquinio Superbo pretium offerente,*

Poly. hist. c. 8.

quàm postulabatur, ipsa exusserat. Huius sepulchrum in Sicilia adhuc manet. Delphicam autem Sibyllam ante Troiana bella vaticinatam Bocchius perhibet, cuius versus plurimos Homerum operi suo inseruisse manifestat. Hanc Eryphile Erythrea annis aliquot intercedentibus insecuta est, sibyllaq; appellata est de sciētiæ parilitate, quæ inter alia magnifica Lesbios amisuros maris imperium multo ante præmonuit, quàm id accideret: Item Cumanam tertio fuisse post has loco ipsa aui series probat. Totidem Sibyllas agnouit Phauorinus Philetæ Ephesij motus auctoritate, quas memorat fuisse Apollinis sororem, Erythream, & Sardianam. Apud Ghiraldū in hist. po...

Helianus, (in quo tot varias scriptorum discrepantes sententias iurè mirari lector poterit) tribus quartam addit earum exprimens vocabula, Erythræam. Samiam, Hegyptiam, Sardianam, licet dicat ab alijs sex alias numerari. Lib. 12. varię cap. 35.

Diodorus Siculus in bibliothec. histor. Strabo lib. Geographicarum rerum, Pausanias in Phocia, & ex Sanctis Patribus Clemens Alexandrinus etsi multos de Sibyllis sermones habeant, vix tamen eorum mentem de numero Sibyllarum conijcias: tres enim illi de vna, aut altera solum ita loquuntur, vt facilius duas, quam decem esse ex illorū scriptis lector intelligat; hic verò in libris suis nunc nouem, sæpè turbam, aliquando vnam, vel alteram oculis legentium subijcit. Primo enim stromatum. *Et Sibyllarum*, ait, *turba Samia, Colophonia, Cumana, Erythræa, Phyto, Taraxandra, Macetis, Thessala, Thespratis.* Et rursum velut Sibyllarum multiplicitatem enarraturus sic de prima refert. *Aiunt itaq; Delphis in Curia ostendi petram quandam, super quā dicitur sedisse prima Sibylla, quæ ex Helicone venerat educata à Musis, cum esset filia Lamiæ.* At in exhortatoria ad gentes velut vnius Sibyllæ testimonio, Deorum, quos gentiles venerabantur, flagitia, eorumq; promiscuam multitudinem coarguit. P. strom.

Insani, tumidiq; inceditis, atq; relicto
Recte callæ viæ fugitis per inhospita saxa.

Moxq; ait, *hæc vobis præcipit prophetica, & poetica Sibylla;* quam ideò his appellationibus notat, quòd vt propheta futurorum præscia fuerit, ac poetarū arte vtens scripserit oracula.

Ipse sententiam mihi magis præ cæteris probatam duabus propositionibus declarabo. Prima est. Decem duntaxat maximè insignes vaticinijs, ac fama cæteris nobiliores mundo hactenus Sibyllæ innotuerunt; huius opinionis & auctor est Marcus Varro in libris rerum diuinarum, & defensores plurimi Lactantius Firmianus, D. Augustinus, Isidorus Hispalensis, Suidas, Onuphrius Panuinus, Marcus Antonius Sabellius, Michael Medina, quorum vota suo loco adducemus & alij recentiores non pauci. P. propositio.

His tamen exceptis varijs & locis, & temporibus aliæ fœminæ floruerūt, quę iure merito Sibyllę possint appellari, cum & futura aperuerint mortalibus, & spiritu non humano agitatę fuderint oracula. In hāc postremam classem nonnullę earum reponendæ sunt, quas supra ex Clemente Alexandrino memorauimus; qualis est Taraxandra (quam ab alijs appellatā Cassandram arbitror) qualis est Macetis, Thessala, Thesprotis, de quorum diuinationibus apud Clementem fides sit, cum nulla apud cæteros scriptores, quos hactenus viderim, earum legerim oracula. 2. propositio.

Nec silentio reticenda est Europæa Sibylla, quæ licet multis scriptoribus ignota fuisse videatur, sedes tamen ei inter Sibyllas de neganda non est.

cum

cum Sibyllinorum oraculorum collector ex quodam codice exhastichon, cuius illa auctor putatur, in opus suum transtulerit, retuleritq; ex eodem Michael Medina hoc de Saluatoris nostri vaticinium.

Virginis æternum veniet de corpore verbum
Purum, qui valles, & montes transeat altos
Me volens etiam stellato missus olympo
Edetur mundo pauper, qui cuncta silenti.
Rexerit imperio: sic credo, & mente fatebor
Humano simul, ac diuino semine natus.

Maior vrget de Agrippina Sibylla difficultas, quam in cęterorum classē relatam reperio ignarus qua ratione hoc factum sit, cum perpetuum apud antiquos scriptores sit de illa silentium; quamuis alij opinentur hanc fuisse Aegyptiam, cuius meminit Helianus; sed cum id gratis asseratur, pari modo reijci potest, nisi Michaelis Medinę credamus testimonio, qui hanc Sibyllam à cęteris segregans hæc illius carmina recitat Christiano vate digna.

Summus erit sub carne satus, charissimus atq;
Virginis, & vera complebit viscera, sanctum
Verbum consily sine noxa spiritus almi.
Despectus multis, tamen ille salutis amore.
Arguet, & nostra commissa piacula culpa
Cuius honos constans, & gloria certa manebit.

Neq; à pręsenti ordine reijcienda est Cassandra Priami filia, cuius latinæ poeseos princeps Maro meminit.

Tum etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora Dei iussu nonnumquam credita Teucris.

Aeneid. lib. 2. Idem de Nicostrata putandum, quę a Latinis Carmenta dicitur Euandri Decade p. lib. 1. mater, Liuio teste, qui de Euandro agens inquit. *Venerabilis vir miraculo litterarum rei nouæ inter rudes artium homines: venerabilior diuinitate credita Carmentæ matris, quam fati loquam ante Sibyllæ in Italiam aduentum miratæ hæ gentes fuerant*; ita Liuius, qui postquam Herculem ab Euandro salutatū dixerat statim eum matris suæ vaticinium narrantē inducit. *Ioue nate Hercules salue: te mihi mater veridica interpres Deum aucturum cælestium numerum cecinit.* His accessērē Phytia, quam Iamblicus Sybillam appellat. Nesi filia, & Manto, quæ Mantuæ Vrbi nomen dedit, cuius etiam meminit Maro; Xenoclea, quæ Delphis oracula dedit, cum Dodonæis fata canerent Pelię Sibyllæ.

Mantuæ vrbis nomen vnde ductum.

Proferunt prætere alij Colophoniam ab nonnullis vocitatam Lampusiam Calcantis sacerdotis filiam, Elissam, Faunam secundi regis Italię Fauni sororem.

Michael Medina eo loco, quem ante retulimus, has etiam Sibyllas numerat, Simachiam Theanonem, & Eusippen Scedasi Spartiani filias, Percallā Martham Fatidicam, Athyrtiam Lesostris regis Aegypti filiam, Libyssam Bohemam, quorum nomina recensuisse satis sit cum omnes obscurioris famæ sint.

In compendio histor. Georgius Cedrenus reginā Sabba mulierem multiiugi diuinarum, humanarumq; rerum peritia insignem à Græcis vocitatā fuisse Sibyllam refert cū inquit. *At Regina Sabba, quę à Gręcis dicta fuit, audita eius (Solomonis) fama Hierosolymam venit, vt proposita quæstione de sapientia eius periculum faceret*:

ceret: nam & ipsa Sibylla ob ingenij promptitudinem, sapientiam, & rerũ multarum peritiam magni erat nominis. Verum in hoc Cedreni testimonio, auctoritatiq; libenter concedamus, nulla ratione ex sacris litteris constat, hãc reginam Sibyllæ vocabulo posse appellari, cuius nullæ vnquam fuerunt prędictiones, nulla oracula; quare mirum hoc esse Cedreni commentum rei nouitas cæteris incognita scriptoribus ostendit; quis enim rerum Aethiopicarum vel diligens historicus huius reginæ veluti dominæ Aethiopici imperij gesta ennarrãs illam fatiloquam appellauit? quis Rabbinorum, quos non veritas tantum, sed etiam fabellę delectant, hoc somniauit? Si dicas clarum hoc fieri ex Pausaniæ Phocia cum ait. *In fatidicarum fœminarũ numerum conscribunt Hebræi, qui supra Palestinam sunt secundum Demò gentilẽ suam. Sabbam nomine, quam Beroso patre matre Erytmanthe genitam tradunt. Hanc alij Babylonicam, Aegyptiam, alij Sibyllam vocant.* Bene est. At quis Berosum, & Erimanthem Sabbę reginæ parentes temerè dixerit; cum constet Berosum officio sacerdotali functum, & reginam Sabba ortam regio semine magni dominam imperij, vt sacra ipsa eloquia testantur. Seu. lib. x.

Si ex sacris scripturis mulieres enumerare placet, quibus Sybillæ nomen iurè tribui possit, facile erit proferre in medium Mariam Moysis, & Aroni sororem: Debboram vxorem lapidoth; de qua hæc in sacro textu. *Erat autem Debbora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore:* Oldam, quam diuinæ litterę prophetidem appellant, Annam, quæ Christum meruit intueri, dum redemptionis nostræ opus sanguinis effusione in templo auspicatus est: his enim, ac alijs, quorum referre nomina supersedeo, Sibyllæ appellationem non repugnare & eorum gesta, & Sibyllæ notio declarant. Exod. 15. Iud cap. 4. Reg. 4. cap. 22. Lucæ 2.

Illustrium Sibyllarum nomina, genus, patria, & ætas, qua floruerunt.

CAP. XXIII.

SEquentes ordinẽ Varronis, & Lactantij decem Sibyllas enarrabimus quas cæteris præstantiores mortalibus diuina prouidentia concessas arbitramur; nimis enim letigiosum foret peculiarem cuiuslibet scriptoris de ordine, & antiquitate Sibyllarum opinionem ad mutuã concordiam reuocare. Quare primo loco nobis occurrit de Persis Sibylla, de qua scripsisse Nicanorem rerum ab Alexandro Magno gestarum scriptorem refert apud Lactantium Varro, quam è Perside, in qua lucem primo aspexit mutuatam appellationem arbitror, quamuis è Babylone profectã velit Iustinus Martyr; si modò Persica Sibylla ea censenda est, quam è Beroso Patre Babylonio, ac Beli in ciuitate eodem Sacerdote, & Chaldæorum historico, matre verò Erymanthe natam aliqui tradiderẽ, vt certum putat Onuphrius Panuinus, ac subindicare videtur in admonitorio ad gentes Iustinus, qui Cumanam etiam appellari posse innuit, propterea quod Cumis

fudisse oracula comperiatur; qua de re haud iniucunda audiat lector, quid ab indigenis eius loci, dum Cumis esset, auribus hauserit, lustrarit[q]; oculis idem martyr. *Hanc autem ferunt Babylone profectam esse, Berosi, qui Caldæorum historiam scripsit, filiam, & ad Campaniæ partes nescio quo modo peruenisse, atq; ibi oracula solitam edere in quodam oppido, quod Cumæ diceretur, quodq; à Bayis sexto lapide abesset, vbi balnea Campaniæ esse contigisset; Inspeximus autē cum in illo oppido essemus locum etiam quendam, in quo basilicam maximam, quæ ex vno saxo extiterat cognouimus rem maximam, & omni admiratione dignam, vbi eam oracula edere solitam dicebant ij, qui patria instituta à maioribus acceperant. In media autem basilica commonstrabant nobis tres cisternas, quæ ex eodem saxo manarant, quæ cum magna vi aquarum exundarent, in eis illam ablui solitam narrabant, et cum stolam iterum sumpsisset in intimam basilicæ domum, quæ ex eodem saxo emineret, se recipere, atq; media domo in excelso solio sedentem ita oracula edere;*

Hæc eadem, vt testis est in sua historia Suidas, ab alijs Chaldæa, a nonnullis Hebræa dicitur nomine Sambetha beatissimi Noe affinis, quæ se diluuij tempore vna cum coniuge in arca mortem effugisse his carminibus fatetur.

Lib. 3. Sibyllinorum oraculorū.

O Aeui sexti stirps prima, ò gaudia magna
Quod sortita fui postquam discrimina mortis
Effugi iactata meo cum coniuge multum;

quę ni ludicra esse velimus, clarissimè euincunt, hanc Persicam, seu Chaldeā, aut certe Hebræam Sibyllam omnium Sibyllarum fuisse vetustissimam, non modo cæteris profanis scriptoribus, sed ipsi etiam Moysi antiquitate præferendam; qua de re plura inferius.

De numero Sibyllarum quæstionis origo.

Illud interim, quod è re nostra est, monebo lectorem; vel hac præcipuè de causa, quam de præsenti Sibylla attigimus, ortam inter doctores de numero, ac nominibus Sibyllarum difficultatem; nam sicuti hæc vna, & eadē fatiloqua mulier à quibusdam Persica, ab alijs Chaldæa à nonnullis etiam Hebræa sic appellatur, vt absq; diligenti indagine quis facile arbitretur, nō eandem, sed diuersas fuisse Sibyllas; sic pariter ex eadem radice ortę sunt lites, quę inter scriptores de Sibyllis agitantur; Quamuis è regione videā eandem peperisse difficultatem loca, in quibus habitauerē Sibyllę; certum quippe est varias Sibyllas eandem regionem coluisse nonnunquam ex quo factum est, vt è loco eodem idem nomē nactę, quę numero plures erant, velut eadem numero putaretur, vt huic Sibyllę accidit, quę Cumana, & Cumęa nuncupatur à quibusdam, qua tamen excepta, alia Cumana, seu Cumęa Sibylla vixit, quamuis sępe communi vocabulo confundantur.

Floruisse autem hāc de Persis Sibyllam olympiade 120. tradit Onuphrius Pāuinus, cuius sententię haud suffragari possunt hi, qui Hebrçam Sibyllam Beati Noe nurum fuisse arbitrantur, cum per ea tempora nondum olympiadis nomen agnosceretur, quippe quod varijs postmodum sęculis tandē ortum est, cum Hercules Auge Elidis rege superato circa olympiam Elęę regionis vrbem in honorem Iouis ludos instituit, qui quinto quoq; anno celebrabantur. Ex quo Gręci temporū interualla per olympiadas supputare cęperunt.

Olympiadum ōrigo.

Secundo loco ordine sequitur Sibylla Libyca, quę à nōnullis etiā Libysta nūcupatur; de qua nihil aliud memoria dignū reperio, quā quod illius mētionem fecerit Euripides in Lamię prologo, vt inquit Lactantius, hanc verò

Diuinarum Institu. lib. 1. cap. 6.

vixisse

vixisse Sibyllam olympiade septuagesima nona diuinant aliqui.

Tertia Delphica fuit, de qua in lib. de diuinatione egit Chrysippus. Diodorus Siculus Sibyllam, quę Delphis vaticinata est, Daphnem nominat, nec vereor quin eadem sit cum Delphica, è Thebis oriunda quidem, sed ab oraculis apud Delphos editis nacta nomen Delphicæ Sibyllæ; licet D. Isidorus Hispalensis non ea de causa, sed quòd in templo Delphici Apollinis genita sit, Delphicam malit appellatam, addens Homerum operi suo varia illius carmina inseruisse. Verùm vt vt res incerta fuerit, præstat hoc loco nosse, quæ de huius Sibyllę initijs tradat Diodorus Siculus, qui de parta Argorũ contra Thebanos victoria duce Alcmæone agens ait. *Iam captam Epigoni vrbem diripiunt, & Daphnem Tiresiæ filiã armis assertam ex voto vt manubiarum primitias Delphis consecrant. Hæc diuinandi scientia patri non cedens, magna eius, dum inter Delphos agit, incrementa fecit. Mira quadam puellæ indoles fuit, varijsq; oraculis singulari artificio conscribendis operam dedit. A qua nõ pauca mutuatus carmina Homerus poeta ad poeseos suæ ornamentum transtulit.* Suidas hanc Sibyllam appellatam Dianam, bellum Troianum antecessisse, & carminibus heroicis conscripse oracula docet. Nonnulli Delphicam cæteris omnibus antiquitate præstantiorem putãt, sed quam apertè hallucinentur, ea, quæ de Persica Sibylla tractauimus, fidem astruunt.

Lib. 4. hist. sub. post medium.

l. 4. bibl. historiæ.

Quarta sede Cumæa sistenda est, quæ sicuti Cumæa à Cumis, in quibus olim vixit, ita Cimmerica, quod in Cimmerio Campaniæ vicino Cumis oppido orta; & Italica, quòd in Italiæ regionibus vaticinata sit, à plerisq; dicitur; quamuis Lilius Girardus contendat hanc nullo modo Cumæam, quæ cum Cumana eadem est, sed Cimmericam tantum posse appellari, velitq; hunc errorem nonnullorum Cimmericam a Cumæa non distingueatiũ inualuisse ex perperã impressis Lactantij codicibus, in quibus Cumæa Cimmerica etiam appellatur, at cur ei Cumæę vocabulum iure denegetur nõ video ob tactam paulo ante rationem. Ferunt nonnulli hanc illam Sibyllam fuisse, ad quam Aeneas errabundus se contulit, vt ab ea spectantium ad se fatorum seriem disceret.

Lilius Girardus in historia poetarum.

Quinta Erythræa fuit; quæ cur sic dicta fuerit ambigitur. Lactantius, Apollodoro Erythręo auctore, hoc sibi peperisse nomen ex patria videtur innuere, in cuius opinionem iuisse Suidam ex verbis illius agnosco, quæ sic habent. *Erythræa eo quod nata esset in loco Erythræorum, qui - alti appellantur.* Fauet huic sententiæ Strabo dum ait. *Erythris nata fuit priscis temporibus Sibylla mulier fatidica & diuino furore incitata;* quamuis fateatur alteram alterius nominis eodem in loco ortam mulierem. *Alexandri etiam tẽpore alia fuit ibidem orta, & itidem vates nomine Athenais.* Augustinus Eugubinus non ab Erythris Ioniæ vrbe, sed à sinu persico, & mari rubro, quod quia vsq; in Persas, & Indos protenditur rubrum, seu Erythræum dicitur, sic appellatam Sibyllam putat, licet in eam opinionem procliuior sit Eugubinus, quæ ab Erythræo rege huius Sibyllę notionem repetit. Falsò tamen arbitratur Chaldæam ex Beroso patre Chaldæo Satam, immeritoq; cõfundit cum Persica Sibylla Erythræam, quemadmodum perperam alij prodiderẽ Erythręam alio nomine dictam Phryggiam ob editum de Troiano excedio vaticinium, cum rẽs clarissima sit, vt paulo post aperiemus, aliam longe diuersam ab Erythręa fuisse Phrygiam, ni asserãt duas floruisse Phrygias, quod nullus auctor meminit. At Stephanus de Vrbibus in eam opinionem abijt, vt arbitraretur, Erythræam Sibyllam fuisse eam, quę in Marmesso

In historia.

Lib. 14. Geographicarum rerũ.

Lib. 1. perenn. philosoph. c. 21.

Sextus Betulius in Lact. cap. 6. l. prim.

messo Troica vrbe orta est addens, eam ciuitatem ita vocitatam Erythræā, quod colore rubra esset. Nullum autem fuerit operę pretium de Erythręa ab Apolline piè amata hoc loco fabellam inserere, cum non sit otij nostri veris falsa & commentitia miscere.

Illud tutò asserere possumus, hāc Sibyllā Babylone ortā Erythręā fuisse, quippe quę & nomen suū carminibus inseruit, & originis suę locum effata est. Ante Ilij euersionem eam floruisse communior, ac probabilior videtur opinio, etsi repugnet traditę alibi a se doctrinę immemor Suidas, docens eā post Troianum excidium annos 483. editam in lucem. Eusebius in Chronicis regnante Romulo floruisse immeritò arbitratur, cum superstite Ilio viueret Erythrea vt vidimus.

Mira est de hac insigni vate nominum varietas, quibus sępè dicitur; nam (quod annotauit Suidas) nonnulli Siculam, aliqui Sardanam, permulti Gergethiam, plures Rhodiam, alij Libycam, alij Lucanam, alij Samiam appellauerę; ex quibus varijs appellationibus sępe iusta orta est dubitatio, num de Erythræa ageretur, vbi de aliqua Sibylla ex recensitis sermo incidit, cum tamen re uera diuersę fuerint. Hanc dubitandi occasionem id augere videtur, quod de hac eadem Sibylla prodidit Aristoteles (si modo is auctor est operis illius, quod de mirabilibus auscultationibus inscribitur) *In Cuma circa oram Italiæ ferunt thalamum subterraneum Sibyllæ fatidicæ esse, Erythræa fuit hæc, sed à quibusdam Italiæ incolis Cumana, ab alijs verò Melachrana nuncupatur.* Vide varias, & singulares Erythrææ Sibyllę appellationes. Quòd de subterraneo thalamo tradidit Aristoteles, id ipsum eleganti carmine tertio Aeneidos descripsit Virgilius.

Erythręę Sibyllæ variæ appellationes.

Aristoteles lib. de mirabilibus auscultationib^o

Varia huius Sibyllę oracula circumferūtur, quę in Sibyllinis oraculis degesta sunt; quamuis, Suida auctore, plurima alia scripta reliquerit de forma triāgulari, de palpitationibus, deq; rebus alijs; cecinit enim prima omnium Troianas calamitates, ac Homerum mendacia scripturum, quin inuentę lyrę laus eidem tribuitur, ac quod omnem admirationem vincit, cōstans fama est, eam, vt primum in lucem edita est, vnumquemq; proprio nomine appellasse, cōposuisse carmina omnibus absoluta numeris, ac breui in perfectā mulieris formam euasisse pręter naturę consuetudinem. Cetera, quæ de ea dicenda supersunt, cum de illius salute agetur, opportuniori loco reseruabimus, accedentes interim ad eam, quę ordine sexta est.

Eugubinus de Pereni Philosophia lib. 1. c. 35.

Samia hęc vocitatur, quam Clemens Alexandrinus Pytho maluit appellare, licet Herophilem hanc esse velit Eusebius in Chronicis. De Samia autem habitam olim mētionem in Samiorum annalibus tradit Eratosthenes. Alij arbitrati sunt hanc mulierem celeberrimam apud mortales fuisse regnante Numa Pòmpilio secundo Romanorum rege circa olympiadem decimam sextam.

1. Stromatum.

Onuphrius Panuinus.

Proximè Cumana numeratur, quam triplici alia appellatione insignitā obseruo, Amalthææ videlicet, Demophilis, & Herophilis, vt ex Lactantio, & Suida patet. Hinc hallucinatum reor Eugubinum, qui Heriphilis, seu Herophilis vocabulū Erythrææ tribuit à Solino fortè mutuatus appellationem Virgilius, quem Gramatici passim sequantur, Deiphobem Glauci filiam, Cumanam esse credidit, quæ adhibitis palmarum folijs fatorum seriem aperiret Lactātius, Suidas, Seruius, Onuphrius, ac recentiores alij hanc Sibyllam ad Tarquinium regem libros detulisse arbitrantur, cuius historiæ seriē

Lib. 1. cap. 25.

6. Aeneidos,

ore

ore Lactantij audiat lector, is enim de Cumana agens ita scribit. *Septimã Cumanam nomine Amalthεam, quæ ab alijs Demophile, vel Heraph le nominatur; eamq; nouem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecẽtos philippos postulasse, regemq; aspernatum pretij magnitudinem derisisse mulieris insaniam, illam in conspectu regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium poposcisse. Tarquinium multo magis insanire mulierem putasse. Quæ denuò tribus alijs exustis, cum in eodem pretio perseueraret motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse.* Ita Lactantius. Diuina rum Institut. lib. p. c. 6 Nouẽ ne an tres fuerint Sibyllæ libri.

At Dionysius Allicarnasseus lib. 4. Antiquitatum Romanorum, Aulus Gelius lib. 1. cap. 19. & Plinius lib. 13. cap. 13. qui ęuo superiores Lactantio eandem narrant historiam & Sibyllæ nomen reticuerẽ, incerti, vt mea fert opinio, quænam illa fuerit, & non ad Priscum, sed ad Tarquinium Superbum delatos à Sibylla libros meminerẽ, quamuis cum Lactantio senserit etiam Suidas. Nec inter hos scriptores adhuc conuenit nouẽm ne, an tres libri duntaxat fuerint; multi nouem crediderẽ, at cum Suida Plinius à cæteris discrepans tres fuisse, duosq: ab eadem Sibylla crematos constanter affirmat, tertium vero diu in Capitolio asseruatum Syllanis temporibus redactum in cineres.

Si quid de hac quæstione animo occurset meo velim effari, subscriberem iuditio, sententiæq; Varronis, qui Grecorum omnium, & Latinorum doctissimus à grauissimis viris appellatur, cui Suidas, & Lactantius adherent, & Solinus ipse nolens: ille enim etsi diuenditos à Sibylla regi Superbo libros asserat, quia tamẽ in quinquagesimam olympiadem Sibyllam hanc reijcit, quæ vendidit, appertissimè fauet Varronianæ opinioni, cum ex temporum supputatione constet, non superbo, sed Prisco vendidisse, qui olympiade quinquagesima fatis concessit. Cæterum haud reticere debeo quæ de hac eadem Sibylla digna cognitu in Phocia tradit Pausanias, qui cum de Sibyllis pleraq; esset executus, mox ista adiecit. *Et Herophilem quidem, qui Alexandriæ degunt, Apollinis aiunt Sminthei fuisse æditυam, Hecubæ verò somnium interpratatam; itaut rei, qui vulgò notissimus est, euentum diuinarit. Magnam vitæ partem egit hæc Sibylla Sami, sed Claron etiam, quæ Colophoniorum vrbs est venit. Venit eadem Delon, & Delphos. Ac Delphis quidem de quo diximus saxo vaticinia edebat sua. Mors ei in Troade contigit. Eius est sepulcbrũ in Sminthei luco incisis columnæ elegijs*, & post non pauca vatis huius incunabula, & parentes, qui fuerint, ita recenset. *Erythræi (de Herophile enim hi acerrime Græcorum omnium certãt) Corycum montem, & in eo antrum ostendunt, in quo natam Herophilem dicunt. Parentes eius fuisse Theodorum hominem indigenam, & Nympham, cui fuerit cognomen Idæa. Cognominis non esse aliam rationem quàm quod condensa arboribus loca Idas tunc homines appellauerint.* Prisco nõ Superbo Tarquinio regi oblati libri Sibyl.

Aliam fatidicam mulierem, quæ Demò nomine appellata fuerit, memorat idem Pausanias, cuius nullam superesse prædictionem, nullum oraculũ tradit, quamuis Cumi lapideam vrnulam in templo Apollinis ostendant, in qua huius Sibyllæ asseruari ossa arbitrantur. In Phocia.

Tandem, ne quid à scriptoribus obseruatum silentio inuoluam, memini legisse me Cumis vaticinatas plures fœminas, quę ideo pari Sibyllarum nomine vocitabantur, quod eò se se conferebant, vt peritiores diuinandi Apollinis arte fierent (quem ibi maximum templum specu præmunitum habuisse cõstat,) & vt praeesset eius sacris, quæ nonnisi à mulieribus perfici solebant, Cur Cumanæ pleræque dictæ fuerint.

lebant, hincq; euenit, vt omnes illę fœminę ab vrbe proxima, quæ Cumæa seu Cumana dicebatur, Cumanæ appellarentur.

Octaua Hellespontica fuit, quæ cum in agro Troiano Marpesso vico orta esset, hinc Marpessia cognominata est. Vocatam etiam reperies hanc Sibyllam Gerghithiam sortitam vocabulum ab oppido Gergithio, cuius accolæ, & conciues cum Sphinge in suis monetis eam imprimi curabant, vt Phlegon in 1. libro, Olympiad. & Stephanus de Vrbibus memoriæ prodiderunt: fama est in Apollinis Gergithij templo visum olim huius Sibyllæ simulachrum.

De duabus Sibyllis, quæ restant, cum nihil interse discrepent scriptores, ac tẽporis vetustate omnia fermè euanuerint, quę nomini, doctrinæ & gloriæ eorum suffragabantur, vnius Lactantij testimonio rem claudere placet. *Nonam Phrygiam*, ait, *quæ vaticinata sit Ancyræ. Decimam Tiburtem nomine Albuneam, quæ Tyburi colitur vt Dea iuxta ripas Amenis, cuius in gurgite simulachrum eius inuentum esse dicitur tenens in manu librum, cuius sacra Senatus in Capitolium transtulerit.*

Sed num quod de hac Tiburtina Sibylla vulgò circumfertur, fide dignũ est? Ab ea ostensum Cęsari Augusto, (qui totius orbis tenebat imperium, atq; à mortalibus pro numine volebat haberi,) in cælo Virginis filium, cui soli diuinus honos debebatur: sicq; ad saniorem mentem reductum Imperatorem eo Capitolij loco, in quo nostris etiam temporibus Ara cęli visitur, iussisse vt ad perpetuam eius rei memoriam ara excitaretur. Illud Nicephori, & Suidæ testimonio constat, Augustum, cum ab Apollinis oraculo reuerteretur, arã in Capitolio erexisse hac inscriptione insignitam. *Ara Primogeniti Dei*; hoc autem à Tiburtina Sibylla, quæ tunc mortalem vitam ageret, edoctum fecisse, arbitrari ridiculum est; cum longe ante Augusti imperium fatis Sibyllæ cessissent, vt omnes ad vnum scriptores sentiũt, manifestissimeq; patet ex his, quæ nos hactenus de Sibyllarum ætate egimus.

Niceph. lib. 1. histor. cap. 17. Suidas uerbo Augustus.

Si fides rei est adhibenda, posset fortasse quis non improbabiliter opinari Cæsarem Augustum ex carminibus Sibyllinis, quorum studiosissimus erat, didicisse Dei filium primogenitum dari, (omnes enim Sibyllæ pari, & consona voce in suis oraculis Dei filium prædicant, vt dicemus) atq; eorum testimonijs, & auctoritate permotum dicasse aram Primogenito Dei.

Cæsar Aug. arã Primo. Dei geni. excitat.

Tandem in codice manuscripto Ambrosianę Bibliothecæ reperta a me trium Sibyllarum nomina, & vaticinia earundem de Christi Domini in carnem aduentu præterire non debeo, quamuis non immeritò suspicer vel omnes tres, vel saltem, quæ prima est, Cimenam, quam alij fortassis Cimereã dixerẽ, non esse à cæteris superius allatis discretas. Verùm vt vt veritas à peritioribus indaganda se habeat, hoc Cimneæ Sibillæ de Christo, & Deipara Virgine oraculum in citato codice legitur. *In prima facie Virginis ascendit puella quædam Necans gladijs: vestans gentes Aegypti, & est pulchra facie, prolixa capillis sedens super sedem: stratum nutrit puerum dans ei ad comedendum lac proprium.*

Secunda, cui Erecta nomen est, de Saluatore nostro pręclare ista cecinit. *De excelso calorum habitabulo prospexit dominus humiles suos, & nascitur in diebus nouissimis de Virgine hebraica filius incunabulis terræ.*

Vltima sede Salmia sistitur, quę eodem afflata spiritu futura olim diuinæ mentis arcana aperit. *Ecce veniet dies, & nascetur de paupercula, & bestia terrarũ adorabunt eũ & clamabunt, & dicent; Laudate eum in stellis calorũ.*

Non

Non defuisse Sibyllis scientiam, & fidem, quæ mortalibus ad æternam felicitatem acquirendam necessaria est.

CAP. XXIV.

SCio excitatam curiosi lectoris sitim ex his, quæ superiori capite indaganda proposuimus, non posse sedari, cum plurium Sibyllarum notitia peculiaris, ætas, parentes, & patria adhuc in obscuro latitent: at vetustati, & inopiæ scriptorum, qui Sibyllarum temporibus floruerunt, varijs casibus, & incendijs, quibus Sibyllina oracula obiecta fuerê, dãda venia est; nobis enim ea pauca, quę apud probatos auctores nacti sumus, non tacuisse sat videtur. Nunc quæ nostri sunt instituti prosequamur; ac probemus in primis, Sibyllas ea scientia, & fide præditas fuisse, quorum adminiculis, si cætera non defuissent, facile in cæleste domicilium poterant cooptari.

Et licet nobis facillimum sit rem hanc exequi quamlibet copiosè, cum videamus in Sibyllarum oraculis omnia fermè sanę religionis decreta contineri; præcipua tamen duntaxat attigemus, quæ sunt velut fidei nostræ capita, ex quibus cætera lector per se poterit conijcere.

Primum autem fidei ad salutem ęternam necessarię firmamentum est assertio vnius supremæ, ac diuinę mentis, qua omnia creata regantur; At quid hac veritate clarius apud Sibyllas potest reperiri? omnes enim vnum Deum fatentur, qui & condiderit omnia, & eadem, qua condiderit, virtute moderetur; ex cuius certi decreti confessione hunc in modum oracula sua exorsæ sunt.

Vnus, qui solus regnat Deus, atq; supremus In initio Sibyllinorum oraculorum.
Omnipotens, numquam genitus, qui conspicit ipse
Omnia, mortali non aspectabilis vlli, & post plura mox
Qui cælum, solem, stellas, lunamq; creauit. Vnius Dei confessio.
Frugiferam terram, pontiq; fluenta tumentis
Siluosos montes, fontesq; perenne scatentes.

Tum cætera creationis mundi opera narrando enucleatè exequũtur, vt Mosis Genesim non ęmulatæ solùm, sed de scripto carminibus, quod ille oratione soluta descripserat, recitasse videantur. Præterea eiusdem sacrę historiæ filum, & seriem sequentes euidentissima narratione digesserunt, Deũ hominis fuisse conditorem; Euam fictam ex primi hominis femore: colloquium serpentis cum communi matre mortalium; maledictionẽ Dei prolatam in serpentem: & tandem omnes hominis post peccatum ærumnas, & calamitates.

Hic hominum formam, & speciem construxit, & idem
Viuentem generis naturam miscuit omnem, ita Sibyllę

de hominis creatione agentes, quæ rursus hæc de eadem clarius habent. Lib. 1. oraculorum.

Rursum finxit opus spirabile: namq; recentem

Expres-

Expressit, propria ducens ab origine pulchrum

Præstantemq; virum &c. quem in paradiso terrestri à Deo collocatum confitentur; cętera qui velit videat in fonte, in quo terrestris etiam paradisi historiam à Sibyllis narratam reperiet, mihi enim mens est, loca Sibyllinorum oraculorum lectori tantum innuere, vt per se ea facilius possit meditari.

Præterea positis ob oculos primis quinq; hominum ætatibus post conditam vniuersitatem, enarratisq; eorum ingenijs, moribus, vitijs, ac sceleribus terrarum orbis inundationem perinde ac Moses cognouerunt, atq; hisce carminibus expressere.

Lib. 1. Sibyllinorum oraculorũ.

Inter eos omnes vnus iustissimus, atq;
Verax, Noe fuit, fidusq; & rebus honestis
Addictus. Cælo cui sic Deus infit ab alto
Collige Noe tuas vires, populosq; monito
Omnes, vt mores mutent, seruentur vt omnes
Quod si non curent (vt mens est læua malorum)
Omne genus perdam illuuiem molitus aquarum,

ac reliqua, vt in sacro textu Genesis habentur, recensent.

Prǣmia bonorũ & malorũ supplicia.

Cæterum quia, dari vnum Deum satis credere non est, ni eadem pariter firmitudine sibi persuadeant mortales, proprium esse eiusdem diuinæ maiestatis munus iustè, probè, laudabiliterq; viuentibus æterna prǣmia largiri, iniquos autem, ac scelaratos grauissimis pœnis afficere; de quo clara est Apostoli sententia. *Accidentem ad Deum oportet credere quod est, & quòd inquirentibus se remunerator est.* Age videamus, an ingerentẽ se humanis mẽtibus diuinā huius veritatis claritatẽ intuitę sint Sibyllę, quibus vtrũq, apertè cognitum fuisse clara eorum testimonia peruincunt, quibus iustis salutem, iniustis gehennalia incendia à Deo parata esse fatentur.

Lib. 1. oracul. Sibyll.

——— Igitur per flumen agentur
Ignis inextincti cuncti: iustis salutem
Omnibus indeptis, scelerati tempus in omne
Perdentur &c. Et libro tertio de prǣmio beatorum, ac de sede illis à Deo præparata dislerẽtes, probos felicissimam vitam ducturos omnis terroris, & miseriæ expertem, vnoq; Dei conspectu, & præsentia fore beandos testantur, cum inquiunt.

Oraculorum Sibyll.

Lib. 3.

Interea magni proles secura Tonantis.
Circum ædem viuent, & lætabuntur in illis
Namq; creator erit, qui iudicat omnia iustè
Omnia, qui solus princeps regit auctor eorum
Solus enim præsens claudet munimine tutos
Ardentiq; velut muro circundabit igne. Et rursus Vindicis nostri iustitiam, ac in pios liberalitatem commendantes hæc in idem argumentũ tractant.

Lib. 2.

Castus enim Christus ponet certamina iusta
Ornabitq; probos, æternaq; præmia reddet

At parem futuram Dei vltionem in peccatores non minori claritate prodiderunt.

Quæ mala quisq; hominum patrauerit ante scientes
Vt tetris animas tenebris caliginis omnes
Iuditio sisteat &c.

At quia

At quia in adducto testimonio de extremo iuditio Sibyllę loquuntur, par est, vt generalis iuditij naturã, qualẽ Sibyllæ nouerint, hoc loco non taceamus; nam quæ nos in Christianę disciplinę scholis de mortuorum resurrectione, de die magni iuditij decreta fideliter retinemus, priores Sibyllę vaticinatæ sunt, quarum oraculorum non immemor mater Ecclesia in anniuersali fidelium defunctorum commemoratione non minus regij vatis, quã Sibyllarum de hoc fidei placito testimonia approbat. Hæc autem sunt Sibyllarum oracula. Extremum iuditium.

Omnes iuditio sistet, simulachra vetusta Lib. 1. oracul. Sibyll.
Titanum in primis, monstrosorumq; gigantum
Tum quos diluuium, tum quos maris vnda profunda
Absumpsit: nec non quos serpentesq; feræq;
Faucibus hauserunt auidis, volucresq; vocabit
Ad solium cunctos; nec non quos igneus ardor
Absumpsit flammis ad iudiciale tribunal
Coget adesse Dei collectos vndiq; in vnum.

Meditetur quæso lector, an hæc de futuro iuditio sententia videatur Sibyllæ futura prædicentis, an verius versatissimi in sacris litteris theologi catholica dogmata conscribentis. Quamuis ea, quæ statim subijcienda manent, maiori etiam admiratione digna videantur; res enim sunt ordinis ita sublimis, ac prorsus diuini, vt excepto Hebræorum Prophetarum numero à Deo paucis datum sit olim diuino auxilio in eas mentis oculos conijcere.

Fuit hoc Diuini Verbi humana spolia assumpturi mysteriũ; cuius in carne aduentum, peculiare nomen, gesta, miracula, mortem, resurrectionem, ac cætera, quę in sacris litteris consignata nouimus, sic palam loquutæ sunt, vt quod olim diuino afflatu obscurè sub varijs rerum inuolucris antiqui fœderis pręcones prędixerant, omni de medio sublata rerum, & verborũ obscuritate Sibyllæ personarent, veluti nullo negotio sentiet is, qui mente peruoluerit ea, quæ de Saluatoris aduentu, nomine, Deipara Virgine, ac de cæteris omnibus ad redemptionem humanam spectantibus mysterijs explicantur in carminibus ab vna quoq; Sibylla editis. Ordini autẽ, quem de Sibyllis institui adherens, ab oraculis Sibyllæ Persicæ ita canentis exordiar. Verbi Diuini Incarnatio.

Virgine matre satus pando residebit asello Carmina ex antiquissimo codice à Betulio excussa.
Iucundus princeps, vnus qui ferre salutem
Rite queat lapsis; tamen illis forte diebus
Multi multa ferent immensi fata laboris
Solo, sed satis est oracula pandere verbo Sibyllæ persicę de Chri. oraculum.
Ille Deus casta nascetur de Virgine magnus.

Nec de est ad conciliandam huic diuinæ vaticinationi fidem Lybicę itidem Sibyllæ oraculum pio lectori nullo modo celandum.

Ecce dies veniet, quo æternus tempore princeps
Irradians sata læta, viris sua crimina tollet
Lumine clarescet, cuius sinagoga recenti Lybica.
Sordida, qui solus reserabit labra reorum
Aequus erit cunctis, gremio rex membra reclinat
Reginæ mundi, sanctus per secula viuus.

Nunc aperiendum est, quid simili afflata numine è Delphis vates cecinit.

Non tarde veniet, tacita sed mente tenendum
Hoc opus, hoc memori semper qui corde reponet

Huius

Delphicę.

Huius per tentant cor gaudia magna Prophetæ
Eximij, qui virginea conceptus ab aluo
Prodidit sine tactu maris, omnia vincit
Hoc naturæ opera, at facit qui cuncta gubernat.

Cimericę.

Vèrùm Cimmerica, quam, & Cumæam appellari monuimus, non modo hoc idem diuinæ virtutis opus pulchrè expressit, sed etiam id aflata est quod Saluatoris nostri ortus peculiare fuit argumẽtum, & recens nati pueri attestatio diuinitatis.

In terris oris facie præsignis honore
Militiæ æternæ regem sacra virgo cibabit
Lacte suo, per quem gaudebunt pectore summo
Omnia, & ex eo lucebit sidus ab orbe
Mirificum, sua dona Magi cum laude ferentes
Obijcient puero, mirrham, aurum, & thura Sabbea.

Quid autem de Erythręa Sibylla loquar, quæ cęteras fatidicas mulieres in canendis de Christo vaticinijs antegressa est, vt prima à secretis Dei fuisse videatur, sicut latius infra suo loco dicemus; nunc enim vno è pluribus oraculis, quæ protulit huic disceptationi satisfaciam.

Erythręę.

Cerno Dei natum, qui se demisit ab alto
Vltimo felices referent cum tempore soles
Hebræa, quem virgo feret de stirpe decora
In terris multum teneris passurus ab annis
Magnus erit, tamen hîc diuino carmine vates
Virgine matre satus, prudenti pectore verax

Cimmericæ Testimonio, quod paulo ante retulimus, simile fuit Samiæ vaticinium, quod de Christi ortu, ac de sidere Magis in Domini natali cælitus ostenso, & de perpetua Mariæ Matris virginitate effudit.

Samiæ.

Ecce dies nigras, quæ tollet læta tenebras
Nox veniet soluens nodosa volumina vatum
Gentis Iudææ, referet vt carmina plebi
Nunc poterunt clarum viuorum tangere regem
Humano, quem Virgo sinu inuiolata fouebit
Annuit hoc cælum, rutilantia sidera monstrant.

Cæterum quia non clara magis, quam verax est super eodem fidei nostræ decreto Cumanæ vaticinatio, placet, hîc eam totidem illius verbis pietatis ergo meditandam lectori obijcere.

Cumanæ.

Iam mea certa manent, & vera nouissima verba
Vltima venturi, quod erant oracula regis
Qui toti veniens mundo cum pace placebit
Vt voluit nostra vestitus carne decenter
In cunctis humilis, castam pro matre puellam
Deliget, hæc alias forma præcesserit omnes.

Memorabo præterea ad eandem sententiam cæteris allatis non minus prędarum arcanum ab Hellespontica patefactum mortalibus.

Hellespontice.

Dum meditor, quondam vidi decorare puellam
Eximio castam (quod se seruaret) honore
Munere digna suo, & diuino munere visa
Quæ sobolem multo pareret splendore micantem
Progenies summi, speciosa, & vera tonantis

Patri-

Pacifica mundum, qui sub ditione gubernet.

Tum Phrygiæ nobis mens de eodem fidei nostræ articulo indaganda est, quæ Dominicæ Incarnationis finem: missum diuinitus ad Virginem nuntiũ, & erga peccatores Verbi humana carne induti gratiã aptissimis, vt ita dicã, lineamentis, & coloribus sic graphicè depingit, vt nihil gratius expeti possit.

Ipsa Deum vidi summum punire volentem
Mundi homines stupidos, & pectora cæca rebelles
Et quia sic nostram complerent crimina pellem Phrygia.
Virginis in corpus voluit dimittere cælo
Ipse Deus prolem, quam nunciet Angelus almæ
Matri, quæ miseros contracta sorde leuaret.

Ad extremum omissis Agrippæ, & Europæ pijssimis oraculis idẽ penitus cæleste mysterium exprimentibus, quæ supra allata sunt, finem huic rei imponam illustri Tyburtinæ preconio de aduentu Saluatoris, deq; Bethlemetico solo, in quo lucem hanc miseram aspexit Christus.

Verax ipse Deus dedit hæc mihi munia fandi
Carmine, quod sanctam potui monstrare puellam
Concipiet, quæ Nazareis in finibus illum Tyburtina.
Quem sub carne Deum Bethlemetica rura videbunt
O nimium felix cælo dignissima mater
Quæ tantam sacro lactabit ab vbere prolem

Et hæc hactenus de Sibyllarum vaticinijs ex antiquissimo codice deprõptis, quibus vnanimiter aduentum Diuini Verbi, vindicandumq; e satanica tyrannide humanum genus animo præsensere.

Alia cæteris non minus præclara de Christo Sibyllarum Vaticinia.

CAP. XXV.

NVnc pauca quędam attingenda sunt à nobis Sibyllarum vaticinia, quibus Vindicis nostri nomen expresserunt his notis quas, subijcimus.

Tunc ad mortales veniet mortalibus ipsis
In terris similis natus patris omnipotentis Christi nomen.
Corpore vestitus. Vocales quatuor autem Lib. 1. oracul.
Fert, non vocalesq: duas binum geniorum

At sine ænigmate alibi & Saluatoris, & eius matris appellationem expressere, cum inquiunt. *Ecce Virgo Maria pariet puerum Iesum in Bethlehem*; ad quem magno terrarum emenso spatio properaturos magos cum ijsdem muneribus, quæ in sacris litteris describuntur, non tacuere.

——— *Illi libabunt aurum, mirrhamq; ferentes*
Thusq; sacerdotes ——— Sed quid plura? an non eædem

Sibyllæ & Sancti Ioannis Baptistæ prædicationẽ; Herodis crudelitatẽ, Christi fugam in Aegyptum, & redditum ex eadem regione in patriam; rursusq; Saluatoris nostri baptismum in Iordane, ac Sancti Spiritus præsentiã sub columbæ figura vaticinatę sunt?

Lib. 6. oracul

Aeterni magnum natum cano pectore ab immo
Cui solium genitor tribuit supremus habendum
Nondum progenito siquidem de corpore duplex
Extitit. Est autem perlutus fluctibus amnis
Iordanis glauco cuius pede voluitur vnda
Ex igne ex primo primus Deus, qui & suauem
Spiritu factum albis alis columbæ.

Sed quod omnem admirationem vincit est intueri ab ijsdem fatiloquis mulieribus nulla tergiuersatione, aut obscuritatis latebra decantata Saluatoris miracula, quæ morti obnoxius edidit. Sed carmina ipsa audite.

Lib. 1. oracul.

Ille quidem mentis pressos sanabit, & omnes
Læsos, quotquot ei fident; cæciq; videbunt;
Incedent claudi; surdis audire licebit
Insolitas matris dabitur formare loquelas,
Expellet furias: oppressi morte resurgent,
Pla abit fluctus; indisertisq; locorum
Large panibus ex quinis, & pisce marino
Milia quinq; virum sanabit, reliquiæq;
Bis senos cophinos implebunt Virginis almæ.

Christi mirabilia.

Et mox vbi perfidiam, ac mentis cæcitatem, deplorassent Hebræorum (qui certissimis signis moniti de Messiæ aduentu, quem congruentes in vnũ voces prophetarum prædixerant, Christum de medio sustulerunt) eiusdem Saluatoris supplicia exequuntur his carminibus.

Lib. 1.

—————— *Tunc impius illi*
Impinget colaphos, virosaq; sputa scelestis
Israel labijs: neq; non & fellis amari
Apponent escam, potumq; imitis aceti
Sed manibus possit cum mensus cuncta coronam
De spinis tulerit: nec non latus eius arundo
Fixerit acta manu, cuius causa tribus horis
Nox tenebrosa die medio, monstrosaq; fiet
Tunc hominum generi magnum Salomonia signum
Templa dabunt, ditis cum tecta profunda subibit
Nunciet in vitam reditum, quo morte perempta.

Christi supplicio.

Ita Sibyllæ, quæ eodem diuino spiritu afflatæ ad subterranea loca Christi descensum, & eiusdem à mortuis resurrectionem post triduum, atq; reditum in cælos ad Patris dexteram lætis carminibus personant.

Lib. 1. Descensus ad inferos &c.

Sed postquam triduo ducem repetiuerit atq;
Monstrauit somnum mortalibus, atq; docendo
Cuncta illustrabit, cælestia tecta subibit
Nubibus invectus, cum lætum liquerit orbi
Pactum Euangelij.

Verùm ne longius, quàm velim, in oraculis Sibyllarum de Christo referendis mea diuagetur oratio, huius capitis portum subiens non præteribo, quę de iuditiali Saluatoris potestate, qua quotquot ab orbe cõdito vixerũt, iudi-

Lib. 1. oracul.

iudicandi sunt, meminerê.

Eo veniet in nube æternus & ipse
Christus ad æternum magno splendore, bonisq;
Cum genus, solioq; sedebit dexter in alto — Iudiciū finale.
Iudicet vt mores hominum, vitamq; proborum
Et sceleratorum, &c. Moxque Patriarchas Abrahamum, Isaacum, Iacobum, Moysem, ceterosq; omnes iudaicæ gentis proceres velut Christi iudicis assessores inducunt sequenti carmine, quod videat lector lib. 1. oraculorum. Tandem Antechristi personam, diabolicas artes, præstigias, & prodigia, quibus plerìq; mortalium illecti a veritatis tramite abducentur, operę pretiū est intueri qua ratione subiciant oculis Sibyllæ.

Lib. 3. oraculorum. Antechristi aduentus.

Ex Augustinis autem voluentibus annis
Adueniet Belial, qui celsa cacumina, montes
Qui mare, qui magni lucentem lampada solis
Qui claram lunam, qui sistet lumine cassos,
Multaq; signa quidem faciet mortalibus: at non
Vera, sed error ibi suberit, falletq. frequentes
Fidos, electos, Hebræos, lege carentes. Et hæc hactenus de Sibyllarum scientia, & fide, qua de rebus ad salutem spectantibus præditæ fuerunt.

An integritas morum, & vitæ probitas par fuerit fidei, ac scientiæ, quibus Sibyllæ excelluerunt.

CAP. XXVI.

PResens cōtrouersia, quam instituimus, superiori explicata difficultate obscurior est, cū in eius explicatione nullū nobis occurrat vniuscuiusq; Sibyllę oraculum, nulla peculiaris sententia.

Hinc de probitate Sibyllarum sic cogimur differere, vt, Erythræa excepta, certum esse nequeat de qualibet peculiari iuditium. At licet Sibyllarum libri sic confusi sint, vt nec discerni, nec certa carmina cuiq; assignari possint, tamen quia, veluti scite prodidit Lactantius, singularum singuli libri censentur, sedulo perpendendum est, an in vno quouis librorum aliquid reperiatur, quod morum castitatem, vitæq; sanctimoniā ita redoleat, vt generatim omnes Sibyllas probabili iuditio attingat. — Lib. p. cap. 6. diuinarum institutionum.

Mutuo autem nexu fuisse vnitam cum fide, & scientia Sibyllarum vitæ probitatem non inani coniectura assequor eorum peruoluens monimenta, cum quandam vitæ innocentiam, ac morum castitatem sic spirent, vt nemo non possit vel inde coniicere veræ virtutis Sibyllas fuisse amatores; nam passim vnius veri Dei timorem à mortalibus custodiendum prædicant, passim vitia detestantur, passim sceleribus indulgentes redarguunt, reuocantque ab interitu timore pænarum, æternæ mortis, & gehennæ. Vis clarè in-

tueri apertam Sibyllarum exhortationem ad amplectendum veri Dei cultum, & timorem; quæ in principio oraculorum de Dei colenda maiestate loquantur agnosce.

Vnus Deus colendus.

Hunc colite, hunc vnum, qui solus regnat in orbe
Qui solus semperq. fuit, semperq. futurus
Non genitus per se constans tenet omnia semper

Lib. 4. oracul. Præterea an non probis Dei cultoribus felicitatem eædem promittunt Sibyllæ?

Felices hominum illi censebuntur in orbe
Qui laudare Dei supremi numen amabunt.

Et rursus ad diuinum timorem homines prouocantes aiunt.

Ah vos resipiscite stulti
Mortales, magnumq. Deum irritare cauete. Immò pro supremi numinis reuerentia, ac pro lenienda in mortales Dei ira spernendas esse diuitias omnes hortantur his vocibus.

Spernendæ diuitiæ.

Sed tu mortalis versuta mente, malaq.
Noli diuitijs nimis inuigilare, sed illis
Missas conuersus numen placare memento

Quibus autem verbis in scelestos inuehantur, vt tandem impuris superstitionibus, erroribusq; abiectis vni Deo famulentur homines ex pluribus pauca velut in transcursu annotata non reticebo. Etenim sanctissimi Patriarchæ Noe personam induentes Sibyllæ docent eos, qui magicis artibus oblectantur, in futuro seculo vinculis ferreis constringendos, ac gehennali addicendos incendio.

Lib. 1. Lib. 2.

Infractis vinculis seruati, suppliciumq;
Ignis inextincti iussi perferre gehennæ. Et alibi enumeratis penè innumerabilibus supplicijs, quæ malos diuino iuditio manent, tradunt inanes peccatorum fore lachrymas iuxta illud Ecclesiæ decretum, *ibi non suscipitur pænitentia, nec lucrifaciunt lachrymæ.* Quales autem homines futuri sint, qui nullo fructu lachrymas emittet, pluribus carminibus loquitur, quorum prima duntaxat huc transferam cætera lectione digna alijs relinquens.

Mali infernali igne plectendi.

Lib. 2.

Mendaces, fures, vafri, pestesq. domorum
Mandones, fidei frangentes connubialis.

tum alios varijs irritos flagitijs enumerant, in quos rursus inuehuntur aientes.

Lib. 3.

Impia vafra hominum mendax genus, atq. bilinque
Insidians, dirum, mæchum simulachricolam
Quorum vesanus stimulus præcordia vexat.

Quos omnes tyrannicæ Cacodæmonis potestati prædicit concedendos, vt pro libitu infernali incendio alijsq; pœnis in eos sæuiat.

Exuret Beiier, hominesq. superbos
Omnes quotquot ei fuerint per fædera iuncti.

At cum omnium flagitiorum idololatriæ crimen teterrimum sit, quoties insudarunt Sibyllæ vt è mentibus humanis illud remouerent? Meditetur lector Sibyllarum opera, & passim scelus hoc insectatas pij doctoris officio fungentes animaduertet. *Opperiuntur.*

Idololatriæ scelus quam insectæ.

Iram immortalis, cælestis, & altitonantis
Proq. Deo lapides, & ficta animalia multa

Religione

Religione colunt. Et post multa quo hi supplicio sint puniendi, memorant.

Tum Deus indignans aeternus in aethere degens
Fulmine praecipites sceleratos desuper uret.

Alibi autem hominum demirantur insaniã, qui ligna à se ipsis e nemoribus abscissa ac in humanam efformata figuram caelitibus adiungunt.

Ast homines Syluis abscindunt robur, & inde
Muta suis manibus diuum simulachra figurant.

Quid verò huiusmodi stulti homines agãt, quid his artibus moliantur, statim aperiunt. *Sed se se in mortem aeternam.* Lib. 1.

Iecere, & ignem; quo immunes fore eos fatentur, qui Saluatorẽ nostrum colunt, quem proprio Christi nomine appellantes solum, verumq; Deum esse, & sancta religione colendum saepius fatentur. Praetereà eos irridẽt qui etsi eò dementię non essent prolapsi, vt rebus vita, spirituq; carentibus diuinos honores tribuerent; tamen inter Deos retulerunt Apollinem, quem caeca gentilitas Daemonem esse ignorabat.

Ore paro nostro dictata à numine magno Phebus Deus immerito dict.
Non oracula quidem dantis mendacia Phebi
Quem dixere Deum, quem falso nomine vatis
Vani appellãt homines.

Ad extremum adeat lector Sibyllina oracula varijs distincta libris, & nullo admonente in his Sibyllarum probitatem insinuari intelliget ex minis, quas in veri numinis religione carentes iaciunt, Aegyptios loquor occidentis, ac orientis accolas, Romanos, Cretenses, Traces, Graecos, caeterosq. in caecis ignorantiae tenebris olim errantes.

Caeterùm quia vitę humanę probitas non minus elucet ex odio, quo vitia mortales insectantur, quàm ex cultu virtutum, Euangelicaeq. legis mandatorum custodia, nunc scrutari operę pretium fuerit, an vtrumq. ęque fuerit in delicijs fatiloquis mulieribus.

Verùm nulla nobis laboriosa indagine ad hoc inquirendum necessaria est, qui in Sibyllarũ operibus iuris naturalis praecepta sic adamusim digesta sumus cõtẽplati, vt primo intuitu difficile fuerit iuditiũ, sint ne illa mosaicis insculta tabulis, & in Euãgelicis explicata voluminibus, an verò in Sibyllinis expressa oraculis, nullo vel minimo discrimine inter illa se se nobis obijciẽte?

Placet tibi Decalogi iura carminibus Sibyllinis exarata intueri, lege octaui libri fragmenta, quorum initium est.

Panem, potumq; famenti
Et sitienti da, nudum tege corpus amictu
De proprio castis manibus largire labore
Oppressum recrea &c. Et statim omnia legis naturae praecepta seruanda iubent Sibyllae, perinde ac Iudaico populo Deus Moyse doctore vsus easdem leges dedit, quas apud Sibyllas videat lector citato loco; quae enim ad diuinum cultum spectant, & quae in serie mandatorum sibi primas vendicant, anteà ex Sibyllinis carminibus à nobis allata sunt. Et interim huius probationis seriem absoluemus eas sententias adducentes, quas ab Sibyllis mutuatus olim, Phocylides Milesius philosophus, vt Suidas testatur, veluti suas immeritò mortalibus venditauit. Haec autem sic incipiũt. Floruit Olymp. 59. In historia.

Ne ditescas iniuste, sed ex iuste partis viue
Esto contentus praesentibus, & ab alienis abstine

Menda-

Mendacia ne dixeris, sed vera omnia custodias
Neq. frustra simulachra colas, sed immortalem semper
Primum Deum reuerere, deinde verò tuos parentes
Omnibus iusta tribue, nec in iuditium iniustum venias.

Tum cętera decalogi decreta exequuntur Sibyllæ. Quis autem neget hęc, quæ hactenus in medium prolata sunt, non minus verè candidati, quàm sacra doctrina, & fide, honestissimisq; moribus exculti animi clara esse argumenta? quæ velut tutissima regula esse potest mortalibus ad indagandam vitæ innocentiam Sibyllarum, quarum mores, & studia viuendiq; rationē coram intueri fas non fuit, Vix enim de earum probitate ambigi posse videtur, quæ dum mortalem vitam viuebant, in dictis veritatem, in operibus normam rationis, in præceptis iustitiam, cæterasq; virtutes adamarūt, nullo errore deceptę, nullisq; illenitæ voluptatum illecebris; Quod argumenti genus tantum apud Eusebium Cæsariensem, & S. Augustinum valuit, vt hoc vno iuditio id de nonnullis Sibyllis statuant, quod nos de iustis, pijsq; hominibus iure arbitramur. Cæteras coniecturas, quæ de probitate Sibyllarum hoc loco desiderantur ad perfectam, & illustriorem huius quæstionis explanationem inferius adducam, cum rursus de illarum salute agendi se se nobis obtulerit occasio.

S. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei c. 23. Eusebius in orat. Constant. ad SS. cętū c. 18.

An Sibyllæ auctores fuerint oraculorum, quæ hactenus adducta sunt, quæq; Sibyllina vulgò inscribuntur.

CAP. XXVII.

COgor in quæstionem incidere, quam lubens præterirem, ni & operis huiusce nostri ratio reclamaret, & circa illam totius susceptæ disceptationis cardo versaretur; nam sicut clarè video excitatum hucusq; de Sibyllis ædificium immotum, firmumq; manere, si hæc oracula legitima erunt, sic ruere ē fundamentis non ignoro, si spuria, vt eruditi viri valde suspicantur. Nam licet nemo, qui mediocriter in Sanctorum Patrum operibus, ac in profanis antiquorum historijs versatus sit, vera Sibyllina oracula olim apud omnes, & Romanos pręcipuè magno in precio fuisse, possit inficiari; an quæ tamen nostris hisce temporibus circūferuntur, Sibyllis verè tribuenda sint, iusta oritur dubitatio ex pluribus ducta capitibus; ac imprimis ex eo.

Dionysius Halicarnasseus antiq. Rom. lib. 4.

Quod olim vna cum Capitolio vera Sibyllarum oracula igne sic perierint, vt quæ postmodum studio, ac sumptibus Romanorum e varijs Italiæ ciuitatibus consarcinata sunt, dubiæ fidei etiam apud profanos scriptores sint habita. Tùm quis credat, ea, quæ nobis modo supersunt, tanti fecisse Romanam gentem? in quibus plurima de Iudaicis rebus, quas oderat, perpauca de Romanis leguntur? Ad hæc cum Romani religioni haberent id nolle, quod Sibyllino carmine mandaretur, qui fieri potuit, vt Ciuitas illa omnis generis, & ordinis falsorum Deorum cultrix vnum supremum, ac

solum

solum Deum non coleret, quę in suis carminibus solum Deum Sibyllæ loquuntur, prædicant, ostendunt? Quod si fatali carmine edocta olim caput orbis Romana ciuitas, (vt incolumis staret respublica dum in extremo pene periculo versabatur tot cęsis ab Annibale exercitibus) Deorum matrem Idęam Pesinunte Romam adducendam curauit adeo solemmi apparatu, vt eam omni effusa Ciuitate Publius Cornelius vir Romanorum Ciuium optimus stipatus matronarum cateruis Romam inferret teste Liuio. *Ciuitatem eo tempore repens religio inuaserat inuento carmine in libris Sibyllinis, propter crebrius eo anno de cælo lapidatum inspectis &c.* Cur inquā tandem eorum animos religio vnici Dei non mouisset, pro quo tot præclara Sibyllarum vaticinia leguntur, minitantia interitum, ruinam, ferrum, incēdia, cæterasq; miserias vrbibus, quę vnius Dei cultum spernerent? Lib. 9. decade 3.

At ne opponas hanc argumentationem, si quod robur illi est, de Cumanę vaticinijs dūtaxat militare, quę sola à Romanis in Capitolio ligneis thecis terra defossis diligenter custodiebantur, reuoces in mentem velim, non alia nobis Sibyllarum vaticinia velut hęreditario iure relicta, quàm quę ex senatus consulto e varijs Italiæ, Asię, & Africę locis Romam comportata sunt: at istorū pleraq; si minus omnia suppositititia, & Sibyllis temerè afficta creduntur grauissimorum scriptorum testimonio, qui hanc opinionem litteris mandauerē; Quod ni ita esset, qua ratione nunc etiam in illis consignata non reperirentur, quę olim repetita toties, quoties Roma graui calamitate premebatur, meminit Liuius p.2. 3. decad, quotum nunc ne verbum, aut è verbo coniectura quidem vel tenuis habetur, vt oracula, quę nunc extant, legentes sciunt?

An fortiora pro hac opinione quęris argumenta? Meditare teste Eusebio Pamphili, cæterisq. vna voce grecis pariter, & latinis Patribus, vt volumine primo late ostensum est, Mosem mille quingentis annis scriptoribus gręcis fuisse vetustiorem, quę certissima eluderetur veritas, si quod in Sibillino carmine legimus, auctorem Sibyllam haberet, quę veluti Mose multis ętatibus superior de illo sic vaticinatur.

Huic populo ductor dabitur vir magnus ab illo
Moses, quem inuentum propter regina paludem
Sustulit, & nati nutritum nomine dixit,

Et de eodem cætera tractat eo ordine, quo in sacra Mosis historia habētur, docetq; se Noetici diluuij effugisse periculum propterea quod in arca cum coniuge suo fuerit. Quare multis post Virgineum partum annis hæc esse conscripta vel hinc conuincitur, quod Vestalis ædis describatur incendium, quod anno 199. post Christum contigisse probat Eusebius Cæsariensis; attributa autem Sibyllis carmina de Romano incendio ista sunt. Lib. 3. oracul. In Chronico eodem anno.

Non iam perpetuo seruatas fomite flammas Lib. 5. oracul.
Virgineæ inuenient in te, diasq; puellæ
Extincta est isthic ædes peramabilis olim
Tum cum præcipitem flammam superante secundam
Vidi &c.

Præterea vt quid non nisi Antoninij Pij, & Commodi temporibus, (si hęc vaticinia antiquiora erant) ab Ecclesiasticis scriptoribus aduersus gētes adduci cœperunt? Vix enim sibi ipsi satisfacere lector potest, quo casu, quoue modo, si horum oraculorum auctores sunt Sibyllæ, primis nascentis Ecclesię, ac difficillimis illis persecutionum temporibus ijsdem sancti Pa-

tres,

tres, & martyres non vterentur ad probandam Saluatoris diuinitatem, mirabilia, mortem, gloriam, ac cętera, quæ Iudęis scandalo, gentilibus autē stultitiæ erant, cum ea ab illis sacra, & diuina haberentur? Illud subinde cōstat inter omnes, Origenem in ea hęresi versatum, quæ ad tartarum damnatos seculis quibusdam exactis è cruciatibus eruendos opinabatur: at hoc errore Sibyllina carmina non carent.

Origenis error.

Lib. 2.

Quin hoc quoq; conferet idem
Ille pijs Deus omnipotens æternus: ab ipsis
Oratus dabit ex ignis feruore perenni
Et gemitu seruare homines: hoc conferet illis
Namq; leget stabilis, æternoq; eximet igni,
Perq. suos aliam in vitam mandabit &c.

Cicero lib. 2. de diuinat. Iust. in exhortat. ad gentes.

Me etiam vrget illa cogitatio, quòd Sibyllarum vaticinia Cicerone, & Iustino martyre auctoribus inconcinna, mutila fuerint ænigmatibus perquā similia, omni temporis, & ordinis sublata distinctione, propterea quod è fanatico spiritu proficiscerentur; at plane oppositum in istis cernimus, quę & temporis, & ordinis rationem ita seruant, vt historiæ magis, quàm prædictionum naturæ affinia videantur, vt nō semel notauimus. Ad hęc Sibyllina oracula, quę consuetis metri legibus ornabantur, tantum in se maiestatis, grauitatis, & decoris habebant, vt ipse Poetarum coryphęus omnium mortalium scientia, & ingenio illustrissimus pleraq; in sua poemata transtulerit, Diodoro Siculo auctore; at cū ista quę nobis superfuerē, nullam redoleant Homericam grauitatem, probabile videtur argumentum, ea adulterina, & spuria esse. Mitto inpręsentiarum idem argumentari ex vocibus, nulla interposita varietate ex sacra scriptura desumptis, ex nominibus eorum peculiaribus, de quibus in oraculis agitur, quod non furentis, sed meditantis animi signum est.

Homerus carmina à Sibyllis mutuatur.

Tandem omnia hęc vaticinia sic cōcinne temporum, loci, ordinis, rei, nominis cōditione, & circunstātijs vestiuntur, vt si diuinos Prophetas Dauidē, Esaiam, Zachariam, & reliquos vaticinantibus Sibyllis conferas, sint oracula Sibyllarum vaticinijs Prophetarū clariora, apertiora, illustriora, ac proinde videātur fatidicæ mulieres maiori diuino afflatu excelluisse, quam sanctissimi vates ipsi excelluerint? Hi enim de arcano filij Dei mysterio agentes sub varijs verborum tegumentis, iusti, fortis, Ducis, Messiæ, Hebræorū vindicis, agni è cælis ventorum Saluatorem cecinerē. Hę notas ipsas, quas diuino iussu Angeli voce cognouimus, Christi, Iesus, Saluatoris, Verbi diuini, filij omnipotentis Dominum mortalibus præsignarunt. Hi Virginem parituram; Hæ & virginem, & virginis nomen Mariam non tacuerē. Verum, vt de cæteris sileam, quis vel in sacris litteris exercitatissimus antequā è cælis veniens Gabriel Archangelus magnificentissimis illis vocibus. *Aue Maria gratia plena Dominus tecum* Virginem salutaret, in sanctorum prophetarum oraculis hanc Angeli legationem obseruare potuit? at quod tacuerunt illi, personarunt Sibyllæ dicentes.

Et lib. 4. oracul

E cælo veniens mortales induit artus,
Ac primum corpus Gabriel ostendit honestum
Nuncius, hinc tali affatur sermone puellam
Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico
Sic ait. Ast illa cælestis gratia molli
Lenijt afflatu, tum Virginitatis amatrix

Per-

Perpetuæ, magno subito correpta stupore &c. moxq; cætera prosequuntur, quæ D. Euangelista Lucas de Gabriele ad Deiparam Virginem legato narrat.

Vera, & genuina Sibyllarum oracula, quæ nunc extant, censenda esse.

CAP. XXVIII.

SI ingenue fateri licet quid aliâs de hac quæstione senserim, fatebor aperte, hæc, quæ hactenus adducta sunt, non semel vel nolentem me, vulgataq; omnium opinioni adhęrere peroptantem ita commouisse, vt sæpe de his Sibyllarum oraculis hæsitarim, duxerimq; probabilissimum veris, & germanis Sibyllarũ vaticinijs falsa, & supposititia immixta esse ab ijs, qui pro libidine sua nomine duntaxat Sibyllarum retento sensa animi sui fictis vaticinijs aperire, ac pręterita narrãtes videri futura prędixisse voluerunt. Verùm re postmodum diligentius, & acuratius inspecta, communis Sanctorum Patrum, constansq; sententia, & vnanimis Ecclesiasticorum scriptorum consensio tanti est apud me ponderis, vt non dubitem, abdicata erroris formidine, ea pro genuinis, legitimis, ac veracibus Sibyllarum vaticinijs tueri. quod munus, & fidei nostrę decreta olim quodammodo Sibyllinis illustrata carminibus, & sancti ipsi Patres mihi imponere videntur. Pro illis enim vas electionis Paulus, (si verbis Clementis Alexandrini aures præbere non displicet) Origenes, Clemens ipse, Iustinus Martyr, Eusebius Cæsariensis, Hieronymus, August. Ambrosius, Theophylus Antiochen', Cyrillus Alexãdrinus, Arnobius, Lactãtius, Isidorus Hispalẽsis, quorum testimonia, & sententias inferius adducam, & alij plures pugnãt, dum eâ ipsa Sibyllarum testimonia in religionis nostræ defensionem adhibent, quæ his decem oraculorum libris continentur; quod munus eo etiam libentius amplector quò facilius obiectis difficultatibus satisfieri potest.

Quid enim aliud persuadet prima argumentatio de Capitolino incẽdio, quo custodita à Romanis oracula exarserũt, quàm Cumanę, vel vt alij opinantur, Erythrææ prędictiones flammis abolitas, quas tamen protinus reparatas tradit Tacitus dum ait, *Post exustum sociali bello capitolium, quæsitis Samo, Ilio, Erythris per Africam etiam, ac Siciliam, & Italicas colonias carminibus Sibyllæ, vna seu plures fuerẽ, datoq. sacerdotibus negotio, quantum humana ope potuissent, vera discernere &c.* Lib. 4. Annalium. Quod si veris cõmentitia aliqua accessere, de quo hęsitasse Tacitus videtur, cur veris abroganda fides? cur cęterarum Sibyllarum vaticinia haud in fidem recipienda, quæ vbiq; terrarum celeberrima erant?.

Neq; illud, quod inde de Dei vnitate à Romanis colenda deducebatur, fit necessariò consequens, cum non minus Romanæ Ciuitati, quam omnibus alijs ciuitatibus, Iudæis exceptis, familiare crimen esset idola colere, cumq;

facilè possent traditam à Sibyllis veritatem de vno Deo duntaxat colendo, de Ioue Deorum falsorum principe interpretari.

Non negarim tamen aliqua eorum oraculorum, quæ igne perierunt, reparari haud potuisse; ex quo factum reor, vt non omnia, quæ in vrbis calamitatibus in illis reperta tradit Liuius, nunc se se oculis legentium ingerant; Hinc, vt graues auctoritate viri obseruarunt, post secutum Capitolij incendium solita arte satan fidem, & auctoritaté abrogare Sibyllinis oraculis contendit. Et hinc cùm viri, tum fœminæ malarum artium cultores falsa dogmata obtento Sibyllarum nomine in lucem ediderunt.

Boxius de signis Ecclesię

Confutata Io. Opsopœi opinio quam habet in præfatione ad Sibyllina oracula.

Dum autem Sancti Patres cum Eusebio Cæsariensi Mosis vetustaté plus mille quingentis annis supra Græcos asserunt, de nobilioribus græcæ litteraturæ viris, & antesignanis loquuntur, vt ex operibus eorum patet: at quis Sanctorum Patrum inficiatus est vnquam, aliquem non tam litterarũ præstantia, quàm afflatu diuino aut supparem, aut vetustiorem Moise repertũ, qui oracula caneret? nisi malueris asserere, quod tutissimum est, quindicim ætatibus antiquitate Mosem anteiuisse Gręcos omnes, quod solum aduersus eosdem sua dogmata, & litteras nimia vetustate contra veritaté extollentes probare Sancti contendunt. Cæterum quid prohibet affirmare ex Noe familia, quæ multis Moisen seculis præcessit, ortam fatiloquam mulierem, quod non displicuisse eisdem Patribus putandum est, dũ assentiũtur oraculis Sibyllæ illius, quæ se nouetico superfuisse diluuio canit.

Frustra autem Vestalis ædis incendium, quod decursis post natum Saluatorem ducentis circiter annis contigit, oculis suis spectasse Sibyllam, e voce illa, *vidi*, argumentatur contrariæ sententiæ auctores, quasi vatis, & Sibyllæ mos sit insolens futura velut præsentia, aut præterita recensere, quod varijs exemplis è sacro prophetarum codice periclitarer, ni otiosi ingenij esset, rem ad sensum fermè patentem fusius prosequi. ergo visum à se Vestalis ædis incendium iure merito potuit asserere Sibylla, quamuis multis postmodum seculis illud esset futurum.

Sibyllarũ mos prędicendi.

Nulla veró ratione asserunt ijdem sub Pij Antonini, ac Comodi imperio solum adducta à fidelibus aduersus gentes Sibyllina oracula, cum Clemẽte Alexãdrino auctore, cuius testimonium in calce huius capitis adducam, Apostolus ipse contra gentiles Sibyllę auctoritate vsus sit; constetq. ex grauissimis auctoribus ipsis Ecclesiæ incunabulis consueuisse Christi milites Sibyllarum vti oraculis ad excipiendos, repelendosq. in Christi diuinitatem gentilium ictus; ad quem morem alludens Origenes refert Celsum Christiani nominis inimicum irrisisse, atq; sugillasse Christo adhærentes eosq. nomine Sibyllarum appellasse, eo quòd Sibyllarum vacarent oraculis. *Facit etiam mentionem nescio quorum Sibyllistarum, fortasse quod audierat à quibusdam improbari eos, qui Sibyllam prophetidem existimant, notariq. Sibyllistarum nomine*. Sed huius studij Christianorum in adhibẽdis Sibyllarum oraculis ad fidei nostræ confirmationem clarissimum est Iustini Martyris testimonium, dum tradit capitale crimen fuisse, si quis Sibyllæ, vel Prophetarũ lectioni studuisset. *Opera autem malorum geniorũ mors constituta & definita est in eos, qui Hystaspis, vel Sibyllæ, vel Prophetarũ, vatũq libros legũt vt metu homines, qui legunt abducant ab eo, ne verũ bonorũ cognitionẽ accipiant, sibi autẽ eos seruos detineant, quod quidẽ tandẽ perficere minimè potuerunt. Nam non solùm sine metu eos legimus sed vobis &c.* Cui veritati non solùm sacri, sed etiã prophani scriptores fidem conciliant, Cæsarq; ipse Aurelianus, qui epistola ad

Lib. 5. contra Celsum.

Christiani Sibyllistæ. dicti.

Apologia 2. ad Antoni: Pium circa medium.

Senatum

Senatum Romanum data legibus cautum fuisse indicat, ne Christiani Sibyllinis libris vti auderent, vt memoriæ prodidit Flauius Vopiscus adhunc modum scribens. *Est epistola Aurelian: de libris Sibyllinis, nam ipsam quoq; indidi ad finem rerum. Miror uos patres sancti tandiu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, perinde quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo Deorum omnium tractaretis. Agite igitur. Inspiciantur libri.* Hæc autem, ni apertius quam par est, hallucinor, nihil aliud sonant, quàm Sibyllina oracula ab ipsis religionis nostræ primordijs terri manibus fidelium, opponiq; gẽtilibus consueuisse, vt illorum testimonijs, quæ de Christi aduentu, diuinitate, cæterisq; fidei decretis loquuntur, agerent contra eos, qui sanctis prophetis non putabant esse credendum. Quod quia ægrè ferebant idolorum cultores clarissimæ lucis radios renuentes intueri & Sibyllinos libros, & eorum lectores ad internicionem conquirebant ad hanc legem Antoninum Pium Cæsarem promulgandam incitantes; qui, vt doctè obseruauit Baronius, cum sua existimatione cerneret indignum, sæuire in innocentes Christianos, vt cæteri fecerant Imperatores, velletque nihilominus auitæ superstitioni paulatim labenti prospicere ob Sibyllinora ocula, & prædictiones aliorum gentilium vatum, & prophetarum, qui pleraq; de Christo veraciter cecinerant, oracula vetuit pœna mortis proposita. Ergo minimè ambigendum, quin & gentilium multi à morte Saluatoris catholicam veritatem ab Apostolis, eorumq; successoribus assertam, & à Sibyllis corroboratã agnoscentes ad Christi militiã & nomen darent, & ijsdem planè familiaris esset Sibyllinorum oraculorum lectio.

In historia Cæsarum.

Tom. 1. ad annũ Christi 143 nu. 1.

Fateor ea hæresi laborasse Origenem, at cur ab eo traxisse radices errorem illum, qui etiam in Sibyllinis oraculis Origene multo antiquioribus reperitur, dicamus non video; quin si rectè philosophari quis velit, ab Sibyllinis oraculis verius peruersam hanc haustam ab Origene opinionem arbitretur necesse est: non enim quæcunq; in illis digesta sunt, rectæ rationi, diuinisq; legibus congrua reperiuntur; verùm aut humano more Sibyllæ lapsæ sunt Dæmonum astu deceptæ, aut deprauata nec dum Origine orto Sibyllina oracula crediderim.

Nõ me latet pariter Sibyllas phanatico commotas spiritu edere solitas càrmina haud omnibus metri numeris absoluta, vt cum Cicerone Iustinus Martyr docuit; at oppositum tamen Sibyllis futura prædicentibus, afflatuquæ diuino permulsis contingere potuisse, req; ipsa, in his, de quibus loquimur, contigisse, haud negandum est, quamuis nonnulla eorum metri regula careant, aliqua concinna, & clara, pleraq; mutila, & obscura euadant.

Cæterum minimi roboris est asserere post Euangelij prædicationem inuenta esse, quæ à nobis Sibyllina oracula appellantur, propterea quod integræ sententiæ, ipsa personarum nomina, vocesq; sacræ scripturæ in illis legantur, cum ex Suida clarum sit, Phocylidem philosophum, qui sexcentis quadraginta septem annis Troiana clade posterior, & Christi Euangelio vetustior olympiade 59. floruit, integras perfectas, & completas sacrarum noui testamenti litterarum dictiones, & sentencias vsurpasse clarum sit, vt superiori capite probatum est, quas nihilominus à Sibyllis mutuò accepisse locuples testis est idem Suida. Præterea liceat mihi hoc loco illam sacræ paginæ auream sententiam vsurpare, *spiritus Domini vbi vult spirat*, idem enim & Mosis, & Prophetarum, & Apostolorum, & Sibyllarum magister fuit in docenda veritate, & idem Deus non Hebræorum, sed etiam Genti-

In historia. Phocilides quãdo floruerit.

lium est: quid mirum igitur, si eodem auctore; eodemq; doctore, & magistro eadem planè veritas,& veritatis dictio, & proprietas eadem gentilibus simul,& Hebræis innotuit?

Quod ad cætera, quæ restant argumenta, attinet. Dare vltrò, vt facimus, Sibyllas maiori claritate vaticinatas ea, quæ de Christi mysterijs, dignitate, & miraculis, ac Deipara Virgine annotata sunt, quàm Sacrosancti Prophetæ fecerint,illorum dignitati,& præstantiæ non detrahimus,cum recondito diuinæ mentis consilio id actum sit, vt ex ipsis gentilium, & infidelium prophetis, & vatibus expedita arma haberent fideles ad ostendendam gentilium cæcitatem, & ad infringendam in Christi diuinitatem pertinaciam, quandoquidem inutilia futura fuerant apud eos Hebræorũ prophetarum oracula, ad quod munus non modò opportunæ, sed planê necessariæ clarissimæ Sibyllarum prædictiones exposcebantur, quales in Sibyllinis vaticinijs cernimus; quod perbelle attigit Clemens Alexandrinus, qui Gentiliũ & Hebræorũ prophetas inter se conferens Apostolo teste vsus ait. *Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quo modo vnum Deum significet, & ea, quæ sunt futura & Hystaspen sumite, & legite, & inuenietis Dei filium multo clarius, & apertius esse scriptum, & quemadmodum aduersus Christum multi reges instruerent aciem, qui eum habent odio, & eos, qui nomen eius gestant, & eius fideles, & eius tolerantiam, & aduentum.* Quam Clementis sententiam si æqua lance Opsopæus pensitasset,& ea, quæ passim in libris suis Sibyllæ cantant, ab antiquissimo scriptore Clemente, immo ab Apostolo ipso vt vera approbata sensisset, nec nimia vaticiniorũ claritate permotus vocasset in dubium certam veritatem.

6. stromatum. fol. 10. à principio.

Sibyllarum oracul. cur clariora sint prophetar. vaticinijs.

Ad extremum valeat ad eos repellendos, qui de veritate Sibyllinorum oraculorum dubitãt Lactantij testimonium, qui cum recitasset pleraq; miranda Christi opera à Sibyllis longe antequàm fierent prædicta, productis in medium earum carminibus, ait. *His testimonijs quidam reuicti solent eò confugere, vt aiant, non esse illa carmina Sibyllina, sed à nostris ficta, atq; composita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronem, Varronemq; legerit, aliosq; veteres, qui Erythræam Sibyllam, cæterasq; commemorant, quorum exemplaproferimus, qui auctores ante obierunt, quã Christus secundum carnem nasceretur.* Quod si quæ clarissima sunt de Christo miracula cecinerunt Sibyllæ, cur eorũ claritate offensi adulterina censebimus? quamuis clara nunc, & aperta iurè videantur, quæ olim nec dum secuto filij Dei in carne ortu, passione, & miraculis obscura omnibus, & inuoluta essent, vt in simili Iudæis accidit in legendis vocibus Prophetarum, quas haud intelligere poterant, donec Christus verbo,& opere eas interpretatus est, & explicauit.

Lib. 4. cap. 15.

Mi-

Mirum de Iesu Christi diuinitate, nomine, officio, & morte Erythreæ Sibyllæ vaticinium defenditur.

CAP. XXIX.

MIra esse quæ hactenus de Sibyllis protulimus vaticinia quis non intelligit? at quod omnem vincit admirationem vnum est Sibyllæ Erythræę, seu vt ex aliorum sententia ambigit D. Augustinus, Cumanæ proprium, quod ex illius metri genere contexitur, quam Acrostichidem appellant; nempe quod ex primis cuiuslibet carminis elementis Christi nomen, & cætera insignia exprimuntur, quam & pietatis, & cognitionis gratia adscribam hoc loco.

Ex Eusebio Cęsariensi ad sanctorum cætum cap. 18. apud D. Aug. lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 23. Ex fragmentis Sibylli. oraculorum.

Iudicis aduentu magni sudore videbis
Emanare solum. Tunc rex æternus ab arce
Syderea præsens carni ius dicet & orbi
Vt spectare Deum pia gens, atq; impia possit.
Sublimem carne humana, sanctaq; caterua
Cinctum supremoq; homines, qui iudicis æuo
Hæc erit omnis humus vepres, & tristis arena
Rescindunt simulachra homines aurum, repellent
Incendentq; auide terra mare, sydera, flammæ
Stabunt sanctorum sub apertum corpora lumen
Tetraq; mens, & sancta illo splendore patebit.
Voce latens facinus, quod gessit quisq; loquetur
Subdolaq; humani pandentur pectoris antra
Dira mali facies pauor vndiq;, & vndiq; luctus
Et iubar inuoluens solis stellasq; tenebræ
Iam vaga labetur Phœbe, ruet arduus æther
Ferre caput valles dictis opibus imas
Iusserit: humanum culmen, fastosq; iacebit
Lataq; planicies, montes æquabit & altum
Intactum ratè stabit, & vrent fulmina terras
Vna deficiet flagrans cum fontibus amnis
Stridula de cælo tuba, fundet lugubre murmur
Supremumq; orbi canet exitiabile carmen
Et subito stygium chaos apparebit hiatu.
Regnantumq; Dei celebrabit turba tribunal
Vndiq; sulfureæ fluent alto ex æthere flammæ
Afflabit mortale genus insigne coruscans
Trabs sancta in rectis animis optabile robur
Omnibus vna pijs vitæ melioris origo
Rursus vesani dolor, atq; offensio mundi

Collu-

Collustrans vndis duodeno in fonte fideles
Regnabit late pascentis ferrea virga
Vnus & æternus hic seruator & idem
Xp̄s. pro nobis passus, quem carmina signant.

Hanc eandem Acrostichidem Eusebius Cæsariensis,& D. Augustinus,Lilius Gyraldus, & Aldus suis monumentis inserunt; Cuius adeò aperta veritas est breui velut compendio redemptionis nostræ mysteria complectens,vt nonnulli haud intellecto Acrastichidis artificio,& patenti veritate offensi negent id vaticinium ab Erythræa Sibylla editum; alij suspensi, & dubij hesitent cuinam auctori id iurè tribui possit, Sibyllæ ne,an potius alicui Christiano scriptori.

Cicero lib. 2. de Diuinatione lōge post mediom Primæ opinionis auctor fuit Marcus Tullius,qui,cum inter Sibyllina carmina Acrostichidem quandam animaduertisset, ita scriptum reliquit. *Sibyllæ versus obseruamus,quos illa furens fudisse dicitur. Quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur, eum, quem reuera regem habebamus, appellandum quoq; esse regem, si salui esse vellemus. Hoc si est in libris in quem hominem, & in quod tempus est? callidè enim qui illa composuit, perfecit, vt quodcunq; accidisset prædictum videretur, hominum, & tēporum definitione sublata. Adhibuit etiam latebram obscuritatis, vt ijdem versus alias in aliam rem posse accomodari viderentur. Non esse autem illud carmē furentis cùm ipsū poema declarat (est enim magis artis,& diligentiæ, quàm incitationis, & motus) tùm verò ea, quæ dicitur* ακροστιχὶς *cum deinceps ex primis versus litteris aliquid connectitur,vt in quibusdam Ennianis, quæ Ennius fecit. Sed certe magis est attenti animi, quàm furentis. Atq. in Sibyllis ex primo versu cuiusq; sententiæ primis litteris illius sententiæ carmen omne prætexitur. Hoc scriptoris est,non furentis, adhibentis diligentiam non insani.* Ciceronis sententiam secutus est Dionysius Hallicarnasseus,qui tradens post Capitolij incendium ex complurimis vrbibus restituta oracula Sibyllina ait. *In quibus inueniuntur quædam supposititia, quæ deprahenduntur Acrostichidū, quas vocant, discrimine. Sequor autem hic Terrentij Varronis auctoritatem, qui ista prodidit in commentarijs theologicis, seu libris rerum diuinarum.* Antiquit.Rom. lib.4. post med.

Ex cuius opinione duo occurrunt animaduertenda: alterum in Sibyllinis libris repertam olim Acrostichidem: alterum Varronem omni scientiarum genere illustrissimum vna cum Tullio existimasse, falsò inscriptam Sibyllis Acrostichidem.

De Tullij argumento, quo reuictus hanc imbibit opinionem, nihil est quod quæramus, eodem Cicerone solita eloquentia in citato testimonio illud declarante. Hallicarnasseo idem persuasit discrimen inter Acrostichidas repertum. Recentiores horum scriptorum auctoritate suffulti in eandem opinionem concesserē.

At deceptum in re præsenti Romanæ eloquentiæ parentem constabit, si per partes illius testimonium expendamus; illud enim quod asserit auctorem Acrostichidis callidè temporis, & hominum definitionem sustulisse,ne mendacij argueretur, peruincit aperte Tullium prædictionum nō animaduertisse naturam, quid enim est tam frequens apud sacros vates, quàm res futuras præsignare,omnibus temporis,& hominum inuolutis silentio discriminibus? *Ecce*,ait diuinus vates, *Virgo concipiet,& pariet filium &c.* at quo temporis tractu, & quæ Virgo futura sit, nulla apud eum mentio. Hoc autem

autem latuisse Ciceronem quid mirum? In quem iurè Lactantius ait. *Non dubito quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita sint, cum ea nemo intelligeret. Denuntiabant enim monstrosa quædam miracula, quorum nec ratio, nec auctor, nec tempus designabantur.* Deniq; Erythræa fore ait, vt diceretur insana, & mendax; at subdit, cum omnia fuerint impleta, tunc demum reminescentur mei, nec vllus postea me dicet insanam, & mendacem, sed magni Dei prophetam, vt meminit Vincentius Belloacensis. Quod Sibyllæ vaticinium in Cicerone omnino impletum esse res ista declarat, qui dum Erythræę oracula non intelligit, diuino instinctu elaboratum carmen calliditati assignat, sine dubio aliter omnino sensurus, si quæ Christi ortus, & passio patefecit arcana assequi potuisset. Quid si hæc ipsa, quæ Tullius exigit ab eadem Sibylla clarè prodita sunt? Adeat lector libri secundi calcem, statimq; intuebitur ex Sibyllæ vaticinio venturum fuisse regem illum immortalem, cui vniuersus orbis obsequeretur, tunc cum Aegypto Romanus imperaret, quod sub Augusti Cæsaris contigisse imperio, Antonio, & Cleopatra nauali certamine deuictis, constat inter omnes historiæ Romanæ scriptores.

Lib. 4. cap. 15. diuinarū inst.

Lib. 2. Hist. specul. cap. 101.

Quam malè autem ex Acrostichidis natura colligat carmen illud artem, studium, & industriam, non autem vatis, & Sibyllę furorem redolere nemo non agnoscit, scilicet diuino afflatui, quo prædita Sibylla futura canebat, id inficiandum, quod humano ingenio, & arti Cicerò concessit? cui æquū est ignoscamus, cum hæc diuinæ voluntatis arcana essent abscondita humanæ sapientię primoribus, & paruulis duntaxat reuelata; Idem planè dicendum de Dionysio Hallicarnasseo, qui pari deceptus errore decantatum à Sibylla mysterium intelligere non valuit.

Ioannis Opsopæi de Acrostichide dubitationes explanat.

CAP. XXX.

SEcundæ opinionis patroni etsi libenter à communi aliorum sententia, quæ Acrostichidem prolatam à Sibylla putat, non recedant, duobus tamen sic impliciti nexibus tenentur, vt vix se se expediant. Mouētur hi primò, & vix capiunt, qua ratione Antiqui Patres Sibyllinorum oraculorū vsurpatores, sectatoresq; diligentissimi, qualis fuerē Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Theophylus Antiochenus, Athanageras, Lactantius & alij, hanc Acrostichidem ignorarint, quæ mirū in modum eorum institutis, & tractationibus poterat deseruire, ac in primis Lactantio, qui gentilium temeritatem, & ignorantiam omni argumentorum genere coarguens istud omnino acerrimum non reticuisset, præcipue cum tres nostræ huius Acrostichidis versus varijs interuallis sigillatim adducat. Prætereà inter se hi etiam, quibus cordi est Acrostichidis defensio, discrepant; Eusebius enim Cæsariensis, & S. Augustinus auctorem Acrostichidis

Io. Opsophæus in scholijs ad Acrostich.

Ery-

Erythræam faciunt; at Lactantius trium eiusdem Acrostichidis carminum, quæ libris suis inseruit, aliam Sibyllam opinatur auctorem. Deniq; nec ipsi Patres citati in titulo Acrostichidis conueniunt, ut ex contextibus ipsis uidere est.

Acrostichidis veritas defensa. Verùm his tricis detineri haud iurè quis debet, ne Acrostichidẽ vt verũ, & germanum Sibyllæ fœtum amplectatur. Nam sæpe acuratissimis, ac diligentissimis scriptoribus accidit, vt non omnia, quæ e re argumenti sui videntur, ad eorum manus deueniant; fieri enim inpræsentiarum potuit, vt per ea tempore versus illi vel in Lactantij codicibus impressi, vel descripti non essent, vel certe peruerso, ac perturbato aliquorum iniuria ordine in partes varias secti legerentur, vt Sancto Augustino contigisse ille ipse testatur dum ait. *Hæc sanè Erythræa quædam de Christo manifesta conscripsit, quæ etiam nos in latina lingua versibus male latinis, & non stantibus legimus, per nescio cuius interpretis imperitiam, sicut post cognouimus. Nam vir Clarissimus Flaccianus, qui etiam proconsul fuit, homo facillimæ facondiæ, multæq; doctrinæ cum de Christo colloqueremur, græcum nobis codicem protulit, carmina esse dicens Sibyllæ Erythrææ, vbi ostendit quodam loco ex capitibus versuum ordinem litterarum ita se habentem &c.* Quis autem D. Augustino vel in rebus indagandis acutior, vel in iudicandis aptior? Præterea hoc argumenti genus ex Lactantij silentio ductum plus probat, quàm auctores sui volunt, pari siquidem ratione dubia fides esset reliquorum testimoniorum quæ mira de Christo, & Virgine illius matre, ac cæteris annotauimus, cum nihil eorum planè meminerint Patres, & Lactantius. Quid? ea etiam claudicarent, quæ Suidæ, & Phocylidis testimonio nitũtur, quæ operi suo opportuna omisit & Lactantius. Adhæc (quod magni ingenij viris accidit) lapsum esse memoria in recensenda Acrostichide Lactantium haud turpe fuerit opinari, cum non minori diligentia in pythagoricis decretis, moribus, & itineribus narrandis olim Lactantius versatus sit, quàm in re, de qua sermo est, tamen Pythagoram diuertisse ad Iudæos planè negauit, vt volumine primo docuimus, cuius rei oppositum duntaxat sustineri potest teste Hermippo diligentissimo historiarum scriptore in primo de Pythagora libro; ergo si istud magni, & dissertissimi auctoris diligentiæ, & auctoritati non repugnat, cur hoc illius incuriæ assignandum?

De Ciuit. Dei lib. 18. c. 23.

Cætera, quæ restant, lenia sunt, siue enim Erythrææ, siue Cumanæ, siue alterius Sibyllæ fuerit Acrostichis, res in tuto est, si hoc firmum, ratumque maneat, eam haustam è Sibyllino pectore; Quare ea, quæ in illa cernitur vocum varietas, non falsitatem, sed variam interpretum versionem arguit, quæ eidem planè græcæ dictioni nixa pro interpretum diuersitate varia nonnumquam videri solet.

Est igitur credendum verum illud, & germanum esse Erythrææ Sibyllæ de Christo vaticinium; sic enim habet piorum, doctorumq; virorum consensus, & Patrum sententia. Audi quid in illius confirmationem tradiderit Eusebius Cæsariensis in oratione Constantini àd sanctorum cætum hunc titulum capiti annectens. *Quòd vaticinatio de Christo à nullo illorum, qui in Ecclesiasticorum numero censentur, conficta sit, sed Erythrææ Sibyllæ reuera existat, cuius libros Cicero ante aduentum Christi in Romanam linguam conuertit*, ita Eusebius, qui assertæ veritatis rationes adducens mox inquit. *Verùm de huius rei veritate satis constat, quippe nostri homines adeò acuratè, & magno studio collegerunt, vt nemo possit suspicari hoc poema post Christi in terris desces-*

Cap. 19.

sum

sum editũ fuisse; atq; illi propterea mendatij perspicuè conuincuntur, qui ista carmina non olim à Sibylla condita esse prædicant. Perspicuum enim est, Ciceronem istud poema cum forte perlegisset, in latinum conuertisse sermonẽ, suisq; scriptis attexisse, quem ab Antonio rerum summa potito interfectum constat, Christus verò sub Tiberio Cæsare mundo illuxit. Onuphrius Panuinius motus, vt arbitror, Eusebij testimonio planè eandem sententiam tuetur, & non solum eos versus legisse, & suis commentarijs adiunxisse Tullium, verùm etiam insertos Tullij monumentis vidisse Eusebiũ refert, quod adhuc mihi non liquet, nullo se se mihi Eusebij loco occurrente, in quo hæc asserat. Lib. 6. de Sibyllis.

At inquis, quo auctore constat vnam, & eandem Acrostichidem fuisse, quam olim legerat Cicero, & quam nos modò asseruamus? Fateor solum Eusebium cum Onuphrio id planè asserentem nobis dari obuiam, quamuis & eruditi suspicentur, & censeant alij eandẽ fuisse, quibus hæc haud leuis coniectura fauet. Etenim & Ciceronis, & Varronis, & Hallicarnassei testimonio apertè conuincitur, nec dum orto humani generis Vindice in Sibyllinis carminibus inuentam Acrostichidem, quæ cum neq; Christiano homini, cuius nomen ea tempestate planè nullum erat, neq; homini idolorum cultori tribui possit, quis enim credat eius generis homini Deum recondita adeò secreta reuelaturum, fit necessario consequens, Acrostichidem in Sibyllam vt auctorem conijciendam esse, quæ quia in Sibyllinis libris vna, & sola dignoscitur, ab re fuerit, aliam ab hac diuersam, quam Cicero, & alij viderint, commentari. Quòd si aliam occurrisse Ciceroni fateremur, haud protinus huic abroganda esset fides, cum non vnã tantum Acrostichidem olim in libris Sibyllinorum oraculorum repertam ex citata Hallicarnassei auctoritate colligi possit. Certe D. Augustinus loco superius adducto non solum ex codicibus latinis, verùm etiam ex græcis, ac ex Flacciani cuiusdam viri facundia præditi testimonio pro certo habuit, hoc carmen Sibyllę Erythrææ partum fuisse, in quam sententiam abierunt Vincentius Belloacensis in speculo Historiali, Lilius Gyraldus in Historia poetarum, & Sibyllinorum oraculorum collector, quorum opinioni non subscribere turpe est, & pietati, ac religioni nostræ incongruum, quæ inde aduersus Euangelicæ veritatis hostes maximè illustratur, & defenditur. Lib. 2. Belloac. cap. 100. Gyral. Lib. 2.

Exploditur oraculum quoddam a nonnullis Erythrææ Sibyllæ adscriptum.

CAP. XXXI.

SEd quid censendum est de illo Erythrææ Sibyllæ vaticinio, quo prædixit, quæ ab excidio Troiano vsq; ad seculi consũmationẽ ventura sũt quodq; olim impressum Venetijs in officina Iacobi de Leuco impensis Iordani anno à partu Virginis 1522. 8. Calend. Decembris vna cum B. Methildis Virginis reuelationibus insertum asseruatur in Ambrosiana Bibliotheca, quam Federicus Cardinalis Borromæus vigilantissimus grægis Illust. Cardinalis Borromæus

Ee Me-

Mediolanensis pastor, & rei litterariæ pater, ac princeps summus æui regijs sumptibus extructam, atq; mira omnis generis librorum supellectile ornatam patere voluit omnibus; quid inquam putandum est, commentitium ne, & immeritò Erythræę Sibyllæ tributum, an inter cætera illius oracula iurè conijciendum? In illo enim sub quadam verborum obscuritate ita canit futura, vt præcipua mysteria attingat, quæ Dei filius carne indutus mortalibus ostendit. Etenim consulentibus eam Græcis de statu, ac summa totius Phrygiæ, hoc oraculo ad eos per litteras transmisso respondet. *Exquiritis à me Illustrissima turba Danaum, quatenus Graios euentus, phrygiasq; ruinas in scriptis referam,* & post multa. *Nos contemplatione in altissimo habita respondemus,* mox de Troiæ casu pleraq; effata ad Verbi Diuini mysterium explicandum accedit ita scribẽs. *Inde Taurus pacificus veniet, sub eius mugitu mundi climata sub Tributo concludet, in cuius diebus agnus cælestis veniet, de quo inferius distinguemus, venient autem dies, quibus virtus mundationis apparebit. In vltima ætate humiliabitur Deus & humanabitur, proles diuina iungetur humanitati. Diuinitas iacebit in fęno, & agnus puellari officio educabitur Deus, & homo;* tùm miranda Christi opera, generalis iuditij diem, totiusq; mundi ardens desiderium ante iuditium ad fidem Saluatoris amplectendam latissimè vaticinatur.

Mihi opus illud planè supposititium videtur cuilibet potius, quam Erythræę Sibyllę tribuendum; non solùm quòd in codice illo, exceptis B. Metildis reuelationibus, cætera opera cum vaticinio illo spuria congesta sint, qualia habentur B. Nicodemi Euangelium, (quod volumine primo multis scatere mendacijs, & adulterinum esse probauimus) & epistola Lentuli ad Senatum, populumq; Romanum de Christo; verùm etiam quòd gręcis iuxta, & Latinis patribus celebre adeò vaticinium, in quo singula ferme religionis nostrę decreta aduersus Christiani nominis hostes consignãtur planè ignotum fuisse arduum est arbitrari, cum ijdem minutissima quæq; Sibyllarum vaticinia omni studio ad infideles oppugnandos scrutati fuerint. Præterea vaticinij dictiones, stylus, ac narrationis formula nihil affinitatis habet cum Sibyllino ingenio, nihil commune, illæ enim furentes, & externo afflatæ spiritu vi quadam actæ vaticinabantur; at illud contemplantis, sedati animi, & artis partum esse clarissimè patet; ait enim, *nos contemplatione in altissimo habita respondemus.* Tandem integras noui federis sententias vsurpat illius operis auctor, quòd cæteris, quæ hactenus annotata sunt, additis, probabili mihi est argumento, propalata iam Euangelij veritate ab aliquo fuisse inuentum, ac immerito inscriptum Erythræę Sibyllæ.

Ascriptum Tiburtinæ Sibyllæ, seu Cassandræ Priamidis filiæ de Christo oraculum nullius esse auctoritatis.

CAP. XXXII.

NEque hoc loco taciti præterire debemus Tiburtinæ, seu Albuneæ Sibyllæ vaticinium, quod legi primò codice bombicino manuscripto Bibliothecæ Ambrosianę & postmodum ad calcem tomi secundi operum Bedæ Venerabilis reperi, cuius interpretatio à nonnullis eidem Bedæ tribuitur. Putat illius oraculi interpres Cassandrã Priamidi regis filiam ortam ex matre Hecuba eandem fuisse cum Sibylla, quam Græci Tiburtinam, Latini Albuneam dixerê, ex cuius vaticiniis multa mira profert, ac in primis docet eam peragratis varijs regionibus Asię, Macedoniæ, Bithiniæ. in quibus Sibylla illa diuina mysteria explicarat, postremo legatis Romanorum enixè precantibus se se ad Almam vrbem contulisse, ac ibidem communi lætitia exceptam mox accessisse ad montem vt certam Romanis Senatoribus arcanamq; eiusdem somnij, quod per quietẽ eadem nocte viderant, rationem aperiret.

Singuli enim senatores intuebantur quasi nouem soles in cælo, qui sigillatim discreti diuisas in se figuras habebant. Vbi igitur in Apeninò centũ illis senatoribus, ac alijs cõmitata stetit, expediunt hi quod perspexerant somnium, illa totam seriem euoluens omnes futuras generationes per soles nouem significari cũ dixisset, enarratis primis tribus generationibus quartæ rationem his vocibus canit. *Quartus autem sol quarta generatio est, erunt homines quod verùm est, abnegantes & in diebus illis exurget mulier de stirpe Hebræorum nomine Maria habens sponsum nomine Ioseph, & procreabunt ex ea sine commixtione uiri de Spiritu Sancto nomine Iesus, & ipsa erit Virgo ante partum, & virgo post partum: qui ergo ex ea nascetur erit verus homo, sicut & omnes prophetæ prædixerunt, adimplebitq; legem Hebræorum, & adiunget sua propria in simul, & permanebit regnum eius in secula seculorum: nascente autem eo exercitus Angelorum à dextris, & à sinistris erunt dicentes gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Veniet namq; vox super eum dicens. Hic est, filius meus dilectus ipsum audite. In diebus illis erit Cæsari Augusto celebre nomen*; & mox cuncta adamussim quæ in sacris Euangelijs de Christo continentur ijsdem planè dictionibus edisserit.

Otiosum foret, opinor, vocare in quæstionem, an putandum hoc Sibyllæ Tiburtinæ vaticinium, quod nullus non videt longe post Sibyllarum ætatẽ, Nato iam Saluatore, exortum; non enim in eo futura enunciantur, sed recensentur præterita, quæ auctore Spiritu Sancto ab Euangelistis scripta sunt, ea ipsa phrasi, & dictione, qua veritatis Euangelicæ præcones vsi sũt. Sed quod irrisione dignũ est, scribit ineruditus impostor, quisquis ille fuerit, Cassandram Priamidis filiam à Senatoribus Romanis introductã in Vr-

bem, sic enim habes. *Fuit igitur hæc Sibylla Priamidis regis filia ex Matre Hecuba procreata nomine Cassandra*, & post. *Audientes igitur famam eius Romani statim nunciauerunt in conspectu Senatorum. Mittentes ergo senatores legatos ad eam fecerunt ipsam cum magno honore deduci Romam.* Cæterum cum in obsidione Troiæ grandior iam vates esset Cassandra, quî fieri potuit, vt Romam adduceretur, quæ nec dum ædificari cæpta erat, immo quæ non nisi decursis varijs postea seculis erigi è fundamentis potuit, Hecuba cum filijs ex hac vitali aura multo ante sublatis? Tùm solus hic nugator Tiburtinam, seu Albuneam somniat esse Cassandram, vt ex ijs, quæ superius disputata fuerê, conuincitur. Nec adduci possum, vt credam, viri eruditissimi, qualis Beda Venerabilis erat, hanc esse ficti oraculi interpretationem ieiunam nimis, humilem, & à stylo illius longe alienam, quam esse commẽtum primo intuitu cernens sine dubio spreuisset.

De Sibyllarum oraculis ad Galliam, & Britanniam spectantibus quid censendum.

CAP. XXXIII.

CAeterum satis, vt arbitror, confutata allati oraculi fictione, ad nõ dissimilem disceptationem me non inuitum trahunt ea oracula, quæ legi inter fragmenta nec dum impressa Bibliothecæ Ambrosianæ. In quibus dum de Gallia, & Britannia Sibylla effatur sub obscuris quibusdam verborum inuolucris Sanctæ Matris Ecclesiæ calamitates, Christianæ fidei naufragium ob oculos ponit ea fermè ratione, quâ accidisse plures æui nostri mortales haud siccis oculis conspexerê. In primis enim (quod ad Galliam attinet) statim ex Cælij Sedulij interpretatione hæreticalis pestis, quæ in tota ferme Gallia grassabatur, redditus Ecclesiastici militibus concessi, ædiũ sacrarum violatio, ciuilia, & externa bella, & postremo regis occisio ostenduntur. Tum totius regni Britannci à fide defectio, à rege docto quidem, sed voluptatũ illecebris seruiente peracta, Christiani gregis contrucidatio, Reginæ Helisabeth principatus, & tandem ea regnante regni desolatio describuntur. Hæc autem oracula græcè exarata Cælius Sedulius Scotus præsbiter latinitate donauit, cuius testimonium totidem illius verbis expressum agnosce lector: is enim, posteaquam oracula prædicta ratione explicasset, mox addidit. *Hæc mihi reuelata fuerũt ab Angelo, vt dicta Sibyllæ oracula intelligerem: hæc omnia manu propria in hac marmorea capsula reposui, antequam hic ego ipse sepeliar, quod intra annum erit.* Verùm, quò iusto lectoris res arcanas proprijs Sibyllæ dictionibus explicatas cognoscere cupientis desiderio satisfaciam in præsentiarum citata oracula consignanda sunt, vt à Sedulio in latinum versa sunt.

De

De Gallia.

Heu Galliæ tellus, heu maxe, terraq; gentes
Occiduæ vobis orietur tempus acerbum
Vobis luctandum magni certaminis æstu,
Et grauis, & duri: vobis est pœna luenda
Omnibus, & rigida pereundum sorte; quòd, ædem
Aeterni magnam grauiter violastis, eamq;
Ferratis grauiter mandistis dentibus. ergo
Terram istam plenam defunctis esse videbis
Quos pestisue, famesue, & numinis impetus omnis
Bellaue sustulerint, atq; implacabilis hostis
Omnis terra tibi deserta, vrbesq; relicta.

Hæc ipsa carmina extant li. 5. oraculorum Sibyll.

De Britannia.

Nunc dicenda mihi lugubria tempora, fama
Clara Britannorum, qui sunt ab orbe diuisi.
Torqueor infelix, dum tristia fata recordor
Vile fies cunctis, magna Britannia, regnum
Olim mortales inter cælebrata superbe
Infortunata, ærumnosaq; flebis, vt alta
Immortale Dei cognoscas numen in æthra
Pastus vbi tuus est homines tumidissimus, intres
In natos etenim, quoniam diuinitus cunctos
Es bachata meos, iustisq; imitis inique
Vsa, bonisq; uiris: ideo pro talibus ausis
Talis habenda tibi vestis, pœnaq; luendæ
Iam tibi non inter sedes erit vlla beatos
Ex astris es lapsa, nefas tibi scandere cælum
Occeanus multo resonabit sanguine plenus
Signifer ergo dracò liquidis cum venerit vndis
Prolixo cum ventre, tuosq; fouebit alumnos
Vastabitq. tuam vir pessimus omnem
Sanguineq; inficiet, diris & cædibus aras
Barbarus immanis rabie de ventre tremendus
Ingentesq; tuæ structurus gentis aceruos
Verum quando Dei prædicta minacia magni
Aduenient, terrasq; petet flammata potestas
Inflata exuret Belier, hominesq; superbos
Omnes quotquot ei fuerint per fœdera iuncti
Tunc autem regnum manibus muliebribus omni
In rerum summa parebit, eisq; regetur
Cum vero vidua ferrum iactauerit in vndas
Omnia tunc regno viduata elementa iacebunt.

Ex lib. 5. oraculorum Sibyll.

Ex 8. Sibyll. oracul.

Ex quinto Sibyl l. &c.

Ex tertio sub initium.

Si quid ipse iuditij habeam de allatis oraculis, ac de Cælij Sedulij testimonio requiratur, fatebor ingenue, carmen, quòd de Gallia retulimus ex Sedulij versione, partum esse Sibyllini ingenij, quippe quod inter Sibyllæ oracula libro tertio typis legatur expressum, quamquam Sedulius, qui se horum oraculorum inuentorem & interpretem appellat, lege iuterpretis non bene seruata, secundam primi carminis dictionem, ex qua illius vaticinium funditus euertitur, commutarit, aliamq; longe diuersam supposuerit, Genuina enim lectio sic habet. *Heu Lybia tellus &c.* At ille vertit. *Heu Gallia tellus &c.* Simile est nostrum de alio oraculo iuditium, ex Sibyllino enim haustum pectore, quæ in tertio, quinto, & octauo libro Sibyllinorum oraculorum litteris consignata sunt vereri me non patiuntur.

Illud, ne veritati desim, subijciam, Sedulium, (si modo ei & carminis versio, & explanatio tribuenda est) ex tertio maxime quinto, & octauo oraculorum libris nonnulla carmina decerpsisse, eaq; veluti ad vnius corporis structuram, quæ sparsim, & distinctè modò leguntur, simul collegisse quæ mentis illius proposito conducerent, vt ex notis adiectis carminibus facilè patet: non enim inter Sibyllę opera seriem, quam ille recitat, reperies, quin immo pleraq; carmina, quæ capita sunt allati oraculi in Britannos, adhuc quæro, suspicorq; idem ingenium interpretis redoluisse in nonnullis carminibus, quę ad Britanniam, & ad Galliam spectant; meritoq; augent suspicionem, quę de euersione regni Britannici spiritu, vt ipse fatetur, diuino afflatus, regina Elisabeth imperante, meminit, quę cum cassa, & irrita fuerint, iam quis cæteris fidem accomodabit? quis vnquam diuino spiritu instillante mentitus est? quis vnquam à veritatis tramite ab errauit?

Quod si regis Gallię necem, quę ex Sibyllino carmine nullo modo colligitur, data carminis occasione pręsensit hic vates; cur cętera etiam veluti à Deo per reuelationem accepta mortalibus non aperuit relictis suę veritati Sibyllarum oraculis? quod egisse video in explicanda regis Britannię, hoc est Henrici octaui natura, quem doctum, sed luxurię deditum appellauit, nihil plane eiusmodi innuente oraculo. Prętereà nihil ita propriū Gallię, & Britannię in toto citato carmine dignoscitur, vt merito etiam in quaslibet alias orbis terrarum partes non militet; nulla enim vix reperiri poterit, in qua, ab anno salutis nostrę quadringentesimo tricesimo, quo Sedulius claruit sub Constāte, & Constantio Imperatoribus, ad hanc nostram ętatem hęresis monstrum catholicam non adortum sit veritatem. Quę omnia alicuius fraudis videri possunt argumēta, mihi enim graues inijcit fallacię scrupulos, dum mortalis ita magnificè de diuinis beneficijs, gratijs, & priuilegijs se iactat: pientissimi enim (qualem Sedulium arbitror) mos est, pio silentio tegere quę extra communem diuinę prouidētię sortem diuinitus agnoscit, ni iussio, aut Dei honor vrgeant, vt in re pręsenti non vrgent. Tandem cum apud Gesnerij, Posseuini, & aliorum bibliothecas extet operum Sedulij exactissimus index, cur hoc Sedulij vaticinium, & Sibyllini carminis versionem non agnouerunt scriptores diligentissimi, si ingenij illius pars fuit & diuinę munificētiæ cōcessū Sedulio donū? Cur duorum extremorum versuum partes commutat, variat, & ad varios detorquet sensus dictionibus commutatis. Etenim in Sibyllinis oraculis sic habemus.

Cum verò vidua in totum regnauerit orbem
Omnia tunc mundo viduata elementa iacebunt.

Quorsum inquam hęc varietas, nisi quia Stropham, quam commentus est,

ridi-

ridiculam sensit impostor quicunq; is fuerit integris remanentibus Sibyllini oraculi postremis versibus, qui in Britannos nulla queũt ratione detorqueri ?

De Sibyllinorum oraculorum causa & auctore .

CAP. XXXIIII.

ORigenes errori suo adhęrens (quo hallucinatus est, è cęlo trudi animas in corpora, quo in eis felicem, aut miseram vitam agant pro ratione meritorum, vel flagitiorum, quę anteà patrassent in cęlis) prophetias omnes, & vaticinia reuocanda esse censet ad animas, & diuersas mansiones, quas in cęlis antequàm carni alligarentur, sortitæ erant. *Vnusquisq; ergo*, ait Origenes, *descendentium in terram pro meritis, vel loco suo, quem inhabitauerat, dispensatur in hoc mundo in diuersis locis, vel gentibus, vel conuersationibus, vel infirmitatibus nasci, vel à religiosis, aut certe minus pijs parentibus generari, itaut aliquando contingat Israelitam in Scithas descendere, & Aegyptium pauperem deduci ad Iudaeos*, moxq; ad rem præsẽtem accedens ait. *Vnde consequens videbitur etiam prophetias, quæ singulis gentibus proferuntur, reuocari magis ad animas debere, & diuersas mansiones earum cælestes*. Falsam hanc, & à Christiana religione abhorrentem Originis opinionẽ non est cur hoc loco refellamus, cum in illam omnes ferme superioris ęui patres, & nostri temporis scriptores testes sint. Lib.4. Periarch. cap.2. Causa diuinationis ex origene.

Verùm alibi probabiliores vaticinationis rationes assignauit Origenes, docens ex certis historiarum monumentis esse compertum nonnullos ab aduersarijs spiritibus à prima pueritia possessos; alios etiam suapte natura à primis annis diuinos euasisse, quod contigisse Erythrææ Sibyllæ supra nos tradidimus grauissimorum scriptorum innixi testimonio. Lib.3. Periarch. cap.3. in Euāg. Ioannis super illis verbis, hoc à se ipso non dixit.

Sanctus Ambrosius sibyllinarum reuelationum auctorem mundi spiritũ, seu Dęmonem fuisse arbitratur; nam tractans illa Apostoli verba, quæ sunt in epistola prima ad Cor. cap.2. *Nos autem Spiritum huius mũdi* &c. ait. *Spiritus tamen mundi hic est, per quem arripiuntur phanatici, qui sine Deo sunt. Est enim inter mundanos spiritus potior, vnde solet coniecturis, quæ mundi sunt diuinare, quem Phiton appellant. Hic est, qui per verisimilia fallitur, & fallit, hic est, qui per Sibyllam locutus est.* Aliqui à primis annis diuini, & à spiritibus possessi. Sibyllæ à Phytone ad diuinationem motę ex S. Ambros.

Eiusdem mentis videtur Sanctus Chrysostomus, qui inter sanctos Prophetas, & cæteros vates hoc discrimen statuens, quod isti nihil intelligant eorũ, quæ vaticinantur, illi autem omnia, agitatas à Dęmonibus Sibyllas in suis oraculis non obscurè indicat, cum eas furore correptas, & rerum inscias, quas canebant, fuisse constans sit inter scriptores sententia. *Prophetæ non erant, sicut vates. Illic enim quando Dæmon animum inuaserit, orbat mentem, ac cogitationem, & rationem obscurat, & ita omnia ore suo loquuntur, mente nihil intelligente eorum, quæ loquuntur. Hoc etiam dixit aliquis eorum, qui sunt apud ipsos prophetarum, ita dicens. Quemadmodum hi, qui responsa canunt, & vates multa quidem dicunt, eorum autem, quæ dicunt, nihil sciunt. Sed non ita facit sanctus Spiritus, sed permittit, vt cor agnoscat, quæ dicuntur.* Hom. in Ps.44. A Dęmone Sibyllarum prophetia ex Chrysost.

Latinæ poeseos princeps noster Maro Apollini, qui Dœmon erat, Sibyllarum

rum

rum tribuit oracula, cum inquit— —*Magnam cui mentem, animumq;*

Lib.6. Aeneid. *Delius inspirat vates, aperitq; futura,* & rursus

— *Afflata est numine quando*

Iam propiore Deo.

Lib.14. Metam. Eodem tendit illa Ouidij sententia

Tandemq; Deo furibunda recepto — *Magna petis dixit*

Ad Porphyriũ. Iamblicus cum hanc velut certissimam opinionem imbibisset duplicem viam excogitauit, qua possent Sibyllæ Apollinis afflatu vaticinari. *Sibylla in Delphis duplici ratione Deum suscipere solita est; aut enim per tenuem spiritum & ignem, qui alicubi ex ore quodam antri prorumpebat: aut ipsa etiam in adyto sedens super Aeneam Sellam, quæ tripes, vel quadrupes foret, numiniq; dicata, & vtrobiq; diuino illo Spiritu acta vaticinia fundebat: itaq, cum plurimus ignis ex antro euoluens vati vndiq; circumfunditur, eamq; suo numine repletam agitat. Aut item Sacratæ* Sedi *adhæret, per quam Deo afflata protinus ad vaticinia erumpit.* Verùm quis non irrideat has subtiles Iamblici rationes, quibus Apollinis afflatum suscipiant Sibyllæ. Scilicet Dæmoni iniquo diuinitatis æmulatori aut igne, aut ænea Sella, quo ad præsagiendum Sibyllas concitaret, opus erat, qui sensiles, & intellectuales earum imagines pro libitu excitare nouerat, vt ea menti Sibyllarum obijcerent quæ voluisset reprehesentari?

Lib.p in Biblio. Patrum. Agatheus ab eodem Phebo falso gentilium Deo ductas Sibyllarum reuelationes opinatur. In solis vim vaticinationis causam conijcit Ammianus Marcellinus.

Lib.21. Plutarchus pro solutione huius difficultatis asseruit humanum animum vim diuinandi habere, verùm à corporea mole, cui adiunctus est ne vaticinetur impediri. *Sicut enim* sol, ait, *non tum fit splendidus, cum nubes effugit, sed*

Lib. de defectu oraculorum. *cum semper talis sit, in nebula nobis obscurus videtur, ac vix apparet, sic animus vim diuinandi non adipiscitur è corpore, tamquàm nube egrediendo, sed iam nunc ea præditus cæcatur ob permixtionem, & confusionem cum natura mortali:* Sic

Plutarchi de diuinationis causa opinio. Plutarchus, à quo si præterea sciscitaris cur contingat nonnullos eodẽ corporeo uinculo constrictos diuinare, aiet, à fluxu, & spiritu, siue seorsim per aerem, siue cum liquore hauriatur, contingere. *In corpus enim admixtus tẽperiem in animis ingenerat insolentem, atq; alienam ab vsitata, cuius proprietates difficile est exprimere verbis, coniecturas autem multiplices de ijs ratio suggerit. Calore nimirum, & diffusione meatus aperiri quosdam imaginandi futura præditos facultate probabile est, quemadmodum vinum sublatis ad cerebrum vaporibus multos animo motus infert, multa eius sensu abdita prius, & occulta detegit.* Verùm quid sit spiritus ille, quem diuinissimum appellat, cuius sit naturæ, & cur non oĩbus, insit qui terræ, funtiũ, & aeris beneficio vtuntur, à qua hæc emanare arbitratur, docere Plutarcho incumbit necessitas: tum meatus vaticinandi munere præditos in hominibus reperiri qua ratione non credentibus suadebit?

At vino vim istam inesse experimenta testantur. Quis hoc dicat? Præterea numquid futura, & ea quorum vel phantasmata, vel sensiles, vel intelligibiles imagines non possiderent bibaces, præsentire reperti sunt? atqui Sibyllis contigisse oppositum constans est opinio. Nam remotis dumtaxat impedimentis, quibus veluti quoddam nubilum patiuntur imagines siue hę in intellectu, siue in memoriæ thesauro, siue in sensibus essent, ne officio suo fungantur, vini vaporum virtute, & opera velut illustratæ virtutem suam, quandoq; ostendunt? in quo duntaxat vini virtus sita etiã raro esse videtur.

Hie-

Hieronymus Cardanus causam oraculorũ refert in cęli virtutem, hoc est in Veneris, & Virginis astra, itaut pro mutatione Virginis ex diuersa astrorum constitutione varia in oraculis claritas efficiatur, sintq; veriora vaticinia, quo perfectius, & melius in genisi Virginis, & Veneris astra collocantur. Sed quid amplius exigat audi. *Igitur*, ait ille, *componebatur oraculum ex tribus, vi terræ, quæ agitabat mentem, & vi calesti in puella, & vi calesti in antro. Cum enim in penitiora antri ingrediebatur vapor ille in ecstasim deducebat vigilantem.* Ex quo consequeretur (quod absurditate non vacat,) quemlibet alium, nõ secus, ac Sibyllam eodem diuinationis munere functurum, si eodem temporis spatio, quo illa vaticinabatur, se se in eandem specum recepisset, cum terræ, antri, & cęli vis in cæteris mortalibus ac in Sibylla par esset. De varietate rerum libro 14 c 68.

Illud vero quod addit potuisse Sibyllam ex influxu astri Veneris filij Dei in carne aduentum presentire, cum octaui orbis aries arieti noni cęli appropinquabat, quod accidisse scribit per annos mille ante virgineum partum, ad quod allusisse putat Virgilium cum ait.

Iam noua progenies cælo dimittitur alto
& alibi *Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum*
Desinent, ac toto surget gens aurea mundo.

quis æquo aĩo iã ferat? Scilicet Cardano auctore cęleste mysteriũ, quod cęlestes ipsos spiritus latebat (cum ordinis esset plane diuini, quodque Dęmones rerum naturalium agnitores sagacissimi, postquam secutum fuerat, ignorauere,) vel ex solis cęli signis præuidere mortales poterãt? Seuerissimis sententijs castigant Sancti Patres astrologos, eosdéq; perpetuò execratur Ecclesia; dum ex astrorum aspectu humana ingenia, mores, casusq; hominum scrutari se posse profitentur, & temerariam Cardani sententiam multo grauiori censuræ haud obiectam non censebimus?

Apuleius vanitatis magicæ peritissimus ex arte, quam profitebatur, quæstionis nodum exoluit, atq; docet quadam carminum euocatione, seu odorum suffitu humanos animos abdicata quodammodo corporis memoria ad immortalem, & diuinam naturam transire, eoq; sopore detentos futura prænoscere. At cum hæc Dæmonum fallacijs, & arte accidant, Dæmones huiusmodi reuelationum auctores facere cogitur Apuleius, quos fuisse rerum diuinarum ignaros, quarum præcones erãt Sibyllæ, docet communis theologorum sententia. Apud Liliũ Gyrard. Dialog 2 Hist. poetarum.

Cicero illud diuinationis genus, quo Sibyllæ excellebant, omni arte carens, soliq; animi concitationi innixum ait proficisci ex cognatione ea, quam humanus animus cum diuina mente, æternoq; sensu habet, & licet omnes eiusdem diuinæ cognationis participes sint, ijs tamen hominibus, eoq; temporis tractu conceditur, quo humanus spiritus ita solutus, ac vacuus est, vt ei nihil plane societatis sit cum corpore, vt Sibyllis contigit. Hæc opinio, ni ad eum sensum reuocetur, quem inferius explicabo, sustineri non potest, cum tota cognatio, quæ inter humanum spiritum, diuinamq; naturam fingi potest, non substantialis, seu essentialis, eiusdemq; ordinis sit, sed in similitudine sola consistat, qua effectus causam solet imitari. At quis iurè dicat hanc similitudinem, vaticinationis esse principium? Lib 1 & 2. de Diuinat.

Si negotium, de quo agimus, naturæ viribus agebatur, satius esset arbitrari, ex abundantia atræ bilis, quæ calida sit, enata vaticinia, hæc enim, cum accenditur calor, qui sedi mentis adiacet, præsciam futurorum mentem reddere aliquando potest.

Opinio probata auctori de Sibyllinorum oraculorum origine.

Cap. XXXV.

EGO, vt iuditij mei calculum addam, in duo genera Sibyllinas prædictiones secandas censeo. Etenim quædam erant de rebus duntaxat diuinis, deq; fidei nostræ mysterijs, antequam Vindex salutis humanæ è cælis in terram descenderet. Alia verò erant de varijs mundi conditionibus, de monarchijs, deq; rebus nullo modo ad Dei cultum, ac bonos hominum mores spectantibus, vt ipsa sibyllina oracula testantur; in quibus pleraq; & de Deo, deq; rebus alijs describuntur.

Quinā oraculorū Deus auctor fuerit.

Prioris generis oracula orta è diuino afflatu haud dubiè crediderim: qua enim ratione tam enucleatè, distinctè, & apertè de filij Dei ortu, vita, miraculis, morte, de Dei vnitate, deq; rebus diuinæ legi consentaneis, de cælestibus arcanis, quæ diuinæ mentis peculiaria sūt, poterant vaticinari, ni eodem illo spiritu agerentur, de quo adeò mira canebant? quo modo tot diuinis secretis interesse poterant vaticinijs suis, ni diuino essent afflatu illustratæ? quis enim nouit sensum Domini, aut consiliarius eius fuit, eodem non reuelante Domino? quandoquidem Dæmones inuidentes hominum saluti, etiam si diuinę mentis consilia nouissent; quod opinari turpe est, haud tamen hominibus aperuissent mysteria, quæ illis ad salutem æternam profutura erant.

Vis hanc virtutem diuinam sibyllis fuisse concessam intueri, cogitatas heroici carminis ignaras elegans carmen velut è diuino fonte haustum subito eructasse. Meditare sibyllæ vocabulum, quod S. Hieronymo teste, ac cæteris Dei mentem, & Dei consilium Aeolico sermone ne dubitis interpretari. Hinc Heraclitus Ponticus apud Clementem

1. Stromat. 5.

Alexandrinum iurè scripsit, sibyllas non humanitus, sed diuinitus aparuisse. Hinc idē Clemens exhortatoria ad gentes ait. *Hæc vobis præcipit prophetica, & poetica sibylla*, non aliā ob causam, vt reor, sibyllæ nomen prophetissæ asignans, quam quod eodem spiritu, quo olim Sancti Hebræorum Prophetæ, præditæ essent sibyllæ, vt Iustinus martir scriptum reliquit. *Valeat apud vos ad persuadendum, faciendumq; fidem antiquissima sibyllæ auctoritas, cuius libri in orbe terrarum extant, quæ diuino numine afflata oraculis vos docet, &c.*

Orat. Parenet. ad gentes.

Huic

Huic nostræ opinioni subscripsit apertè Eusebius Cæsariensis, qui etsi de Erythræa sibylla duntaxat loqueretur, ea tamen tradidit quæ sibyllis conueniant omnibus, quæ de Deo vera cecinerunt. *Intus in ipsis adytis importuna superstitione occupata, diuina tamen inspiratione referta carminibus de Christo Iesu vaticinata est*, & cum acrostichidem recitasset, ait; *atq; ista in virginis animum diuinitus planè illabebantur*. Idem voluisse Irenæum arbitror, dū scribit. Prophetias omnes ab vno Patre Domini Nostri Iesu Christi emanasse. Nec abnuit Augustinus, qui epistola ad Martianum data agens de Cumana sibylla ait. *Quoniam fortassis etiam illa votes aliquid de vnico Saluatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri*, idemq; non obscurè in libris de Ciuitate Dei insinuat.

Lib. 5 in vita Constan. Imper. c. 18.
Lib. 4 aduersus hæres. cap. 68.
Epist. 155.
Lib. 18. c. 23.

Sed de sibyllis prophetantibus generatim edisserens, clarissimè docet orat. contra iudæos, Paganos & Arianos cap. 15. eas diuino spiritu actas, cum de Christo vaticinia fuederunt: idemq; plane exequitur contra Faustum lib. 13. cap. 15. Eandem amplexi sunt sententiam D. Hieronymus aduersus Iouinianū lib. 1. Theophylus Antiochenus lib. 2. de pœnis inferni, Angelicus Doctor, qui a Deo per Angelos reuelationem de Christo hausisse sibyllas probat 3. sent. d. 25. qu. 2. ad tertium quæstioncula 2. Et 22. q. 2. art. 7. ad 3. & eiusdem operis q. 172. ar. 6. ad prim. sibyllas ex diuina inspiratione præclara de augustissimo Incarnationis mysterio edoctas apertissimis verbis admonet. Michael Medina lib. 2. de recta in Deum fide cap. 9. Isidorus Hispalensis lib. 8. origenum capit. 8. Bartholomæus sibilla peregrinarum quæstionum decad. prima q. 5. qq. 1. cap. 8. Tostatus Deut. cap. 18. q. 5. & vt semel dicam, omnes ferme nostri æui scriptores. Quamuis Marquardus de Susanis in opere suo de Iudæis, & infidelibus nullo habito discrimine inter sibyllina oracula arbitretur, Dæmones æquè, ac Spiritum Sanctū, felicesq; Angelos insufflasse sibyllis ea quæ vaticinatæ sunt, cuius sententiæ ne subscribam illud in promptu est; quod Dęmones earum veritatum, quarum notitia plane carebant, auctores esse non potuerunt, quis enim credat, Dæmone instillante, de Saluatoris nostri ortu, vita, interitu, miraculis, & resurrectione tot oracula edidisse sibyllas, quot vidimus; cum tenebrarum Principes Incarnationis, & Redenptionis humanæ ignorarent mysteria?

p. cap. 1. n. 58

Enim vero nostra hæc opinio Platonis, & Plinij testimonijs etiā illustrari potest, qui etsi diuinæ gratiæ radio carerent, a Deo tamen Spiritum propheticum donari consueuisse mortalibus intellexerē. Ille enim cum dixisset in Phædro multa, & magna commoda priuatim, & publicè cunctis mortalibus suis vaticinijs attulisse sibyllas, addit, hec a furore diuino hominibus concesso emanasse. Hic verò libro septimo hist. cap. 8. *Diuinitas, inquit, & quædam cælitum societas nobilissima in fœminis in sibylla fuit, quam solam fuisse, quæ è diuina reuelatione profluebat, non est cur dubitemus*.

In Phædro fol. 4. a principio.

Secundi generis oraculorum, si hoc nomine digna sunt, auctores Dæmones fuisse non inuitus concederem; cum in illis pro idolis, pro Dæmonū cultu, pro superstitionibus pleraq; tractēt sibyllæ; quis autē hęc illis insufflasse potuit, nisi qui impuris artibus imperij sui fines ex-

Dęmones nō nullorum Sibyll. oraculorū auct.

Ff 2 tendere

tendere consueuit ad omne scelus mortales pellicens. Quò respiciens S. Ambrosius tradidit, quæ supra ex illius scriptis protulimus, nempe sibyllas Dæmonum cultui addictas haud iniuria notans; Eodem tendunt allata D. Chrysostomi verba, quamuis verius dictu fuerit, ea de ergumenis, & agitatis æstu Dæmonum corpora obsidentium, nō autem de sibyllis esse intelligenda.

De Sibyllinorum oraculorum auctoritate. An solis Sibyllis inter gentiles humanæ salutis arcana patuerint. Et cur cæteris præclariora potuerint vaticinari Sibyllæ.

Cap. XXXVI.

OMNI æuo magnum pondus apud mortales habuisse Sibyllina carmina apertè conuincitur ex certissimis doctissimorum scriptorum calculis, quibus ea magni fecere. Eorum enim honorificè meminit Mercurius Trismegistus prophanę litteraturæ omnium antiquissimus, vt volumine primo dictum est. Quanta autem Plato sibyllinis testimonijs concederet illius testantur opera, in quibus non semel sibyllæ mentionem fecit, palamq; professus est se a sibylla quadam Diotima mira arcana edoctum. Romanos rerum dominos plane diuinam de sibyllinis prędictionibus retinuisse opinionem tradit his verbis Dionysius Hallicarnasseus. *Vt compendio dicam nihil Romani seu religiosum, seu sacrum tam diligenter custodiunt, quàm sibyllina oracula.* Consensit in idem orbis vniuersus, dum diligenti studio, & opera per tot millia annorum earum vaticinia, vt thesauros obseruauit, asseruauit, custodiuit; quin illius, quæ Cumas coluit, tāta religione vestigia quædam ibidē relicta colebant oēs, vt basilicam eius summis honoribus prosequerentur; cuius etiam basilicæ meminit Aristotiles lib. de mirabilibus auscultationibus, (si modo illius operis auctor fuit) & quam Sanctus Iustinus Martyr coram inspicere summa lętitia gestiuit.

In Phedro Ante mediū libri & in Conuiuio.

Antiquit. Rom. lib 4. post med.

Orat. Paręn. ad gentes.

Porrò eorum vaticinia adeo certæ apud omnes veritatis fuerunt, vt ad fidem suis dictis comparandam ille dixerit. *Credite me vobis folium recitare sibyllæ.* Quid? Sibyllarum vaticinijs nihil gratius, nihil opportunius Patribus Ecclesiæ nascentis contra gentiles fuisse monumenta Clementis Alexandrini: Originis, Tertulliani, Eusebij Cæsariensis, Lactantij, Theophyli Antiocheni, Augustini, Hieronymi, & reliquorum palam loquuntur. Quin ipsa fidelium mater Ecclesia, quæ spiri-

tu

tu diuino regitur, a sibyllarum sententijs non abhorruit, canens *Teste Dauid cum Sibylla*.

Pepererunt autem hanc sibi existimationem sibyllæ varijs de causis: ipso videlicet rerum euentu, quas prædicebant: heroici carminis maiestate: magnitudine, ac grauitate vaticiniorum: vitæ innocẽtia: virginitate: & tandem voluntate Dei, vt rebus, quarum fatidicæ erant, à mortalibus certa fides haberetur. Sibyllinorũ oracolorum auctoritas vnde orta.

De ea quęstione, quam secunda sede in titulo capitis posuimus, illud fuit Bartholomæi Sibyllæ inditium. Sibyllis exceptis nulli gentilium ortam lucem diuinæ reuelationis, qua de Christo aliquid vaticinarentur; licet fieri potuisse concedat occulto Dei consilio, vt Poetarum, ac Philosophorum nonnulli quædam fingerent, quæ communi hominum saluti opitularentur, ignari tamen oraculorum, quæ canebant non secus, ac Cayphas. Pro huius assertionis fundamento diuinã assignat voluntatem, quę ita disposuit: tum coniectura vtitur ducta ex diuina consuetudine, quæ, vt Paulus Apostolus scribit, stulta, & contenptibilia eligere assolet, vt fortia confundat: elati enim humano fastu philosophi solius naturæ viribus Deum cognoscere volentes supernæ reuelationis, & gratiæ beneficio indigni effecti sunt. Peregrinarũ quæst. qu 7. qq. 1. cap. 8

At falsum opinione sua Bartholomęum suadent non modò ea, quæ Iob, eiusq; amici orti ex gẽtilicia radice diuino afflati Spiritu cecinere. *Scio quod redemptor meus viuit, & in nouissimo Die de terra resurrecturus sum, &c.* quæ in libro Job leguntur, sed etiam quod ex certissimis historiarum monimẽtis pateat alijs etiã gentibus. De Christo arcana patefacta diuinitus. Etenim regnante Iræne inuentum esse corpus sepultum auream laminam in pectore ferrens, in qua hæc ipsa mira verba legebantur. *Christus nascetur ex Virgine, & credo in eum. O sol sub Iræne, & Constantini temporibus iterum me videbis*, certis historiarum monumentis patet. Theophanes lib 23. miscellæ historię & Zonaras in Iręne.

Præterea alias tomo primo sub initium tertij libri Sanctorum Patrũ, & Theologorum testimonijs fuse probauimus, non paucos totius vniuersitatis gentiles Angelorum ministerio de rebus ad salutem spectantibus, deque Christi Domini ortu edoctos, quamuis eos nominatim assignare, vel eorum intueri, & legere vaticinia non possimus, vt ante nos docuisse Tostatum video ex ijs, quæ Iosue cap. 13. qu. 14. prodidit; nam posteaquam docuerat, & afflatas diuino Spiritu sibyllas & multa præclare tractasse de Deo, tum addit: *Et in hunc modum spiritus propheticus quibusdam alijs apud gentiles datus est, sed non est ita vulgatum vt de his*. Mitto in præsentiarum ea digna alioqui admiratione recensere, quæ Mercurio Trismegistro de fidei nostræ arcanis, ac de filio Dei cælesti beneficio reuelata esse plures censent, de quo videat qui velit primum volumen nostrum.

Quod si roges, cur nemini gentiliũ diuino munere datum sit tot mira publicè, & priuatim de rebus omnino diuinis tam clarè, tamq; apertè vaticinari, vt sibyllis datum est. Rem primò in diuinam voluntatem conijciendam reor, quæ voluit vt gentiles, ex quibus res catholica colligenda erat, non aliter, ac Hebræi suis Prophetis cohonestarentur, foemineusque sexus similes in munere prophetandi honores sortirẽtur Cur sibyllis Deus præclara arcana reuelauit.

apud

gentiles quales, apud Hebræos viri. Tum cogita hoc diuino factum esse consilio, vt fortiora essent, cũ occasio tulisset, in paganos argumenta ex eorum sumpta oraculis, quæ sexu, natura, simplicitate, probitate, atq; innocentia præstarent hominibus. Ad hæc vt ea prorsus vera, & cęlestia haberentur, quippequæ ex ineruditis omni arte, & scientia pectoribus, cuiusmodi vt plurimum sunt mulieres, scaterent. Tandem ad commendandum eorum vitæ genus, si quod honestum sequebantur.

De Sibyllarum Virginitate.

Cap. XXXVII.

CElberrimam de Sibyllarum virginitate, constantemq; inter scriptores viguisse opinionem vsq; adeò firmum est, vt probatione non egeat. Quod incertum, magisq; obscurum videtur, est venari. An omnes illustriores sibyllæ virgineo flore ornarentur, dum vita mansit. Fauet asserenti sententiæ in vulgus iactata opinio, cui adfuisse videtur D. Hieronymus, qui de sibyllarum integritate virginea sic loquitur, vt eas pari castratis laude extollat.

Lib. 1. aduersus Iouinianum longè post mediũ

Quid referrã sibyllas Erythreã, atq; Cumanã, ac octo reliquas, nam Varro decem fuisse autumat, quarum insigne virginitas est, & virginitatis prãmiũ diuinatio? quod si Aeolici genere sermonis sibylla appellatur, Θεοβουλη rectè consilium Dei sola scribitur nosse virginitas: ex quo Hieronymi testimonio non solum patet, eas omnes virgines, verum etiam diuinationem, qua omnes præditæ fuerunt, eorum virginitatis fuisse donum.

S. Epiphan.

Ad eandem opinionem pertinent, quæ D. Epiphanius libr. 3. contra hæreses tom. 2. hæresi 78. prosequitur, quæ omnino de sibyllis militãt, licet earum supprimat nomina, generatim enim conatur ostendere, propheriam sic virginitatis esse donum, vt non nisi in virgine posit inueniri. Sed illius verba audiamus. *Nam postquam prophetauit Moyses non amplius vxori coniunctus est, non amplius liberos genuit, non amplius generat tales: habebat enim vitam domino vacantem Quo modo enim potuisset in monte Sina quadraginta noctes, ac quadraginta dies degere si nuptijs addictus fuisset. Aut quo modo potuisset quadraginta annos in deserto ad dispensationem Dei paratus esse, & Sacerdotio vacare; & quo modo mysteria explicare, & colloquia cum Deo perficere, si nuptijs consecratus fuisset?* & post idem tractans argumentum aliud adducit insigne virginitatis exemplum. *Sed & Philippo Euangelistæ quatuor fuerunt filiæ prophetantes; prophetabant enim propter virginitatem, quam habere dignæ factæ erant.*

Quis autem etiam non monitus apertè non intuetur, eandem prorsus esse de sibyllis vaticinantibus D. Epiphanij rationem, si mutuo indissolubiliq; nexu cum virginitate vaticinatio annectitur?. Citatis

patribus

Patribus astipulatur vir nostri æui eruditus, qui sibyllas omnes virginitatem coluisse tradit. Salmeron tom.2. tract. 19.

De perpetuo nonnullarum Sibyllarum virginitatis signaculo clara mihi suppetunt scriptorum testimonia, & Aristotelis ante alios, qui lib. de mirabilibus auscultationibus ita scribit *In Cuma circa oram Italiæ ferunt thalamum subterraneum sibyllæ fatidicæ esse, eius scilicet, quæ ætate quamlibet prouecta virginitatem seruasse impollutam traditur. Erythræa fuit hæc, sed a quibusdam Italiæ incolis Cumana, ab alijs verò Melanchræna nuncupatur.* Enim verò Erythrææ sibyllæ semper fuisse in delicijs virgineum pudorem testatur Eusebius Cęsariensis, qui contendẽs eam acrostichidem, de qua ante egimus, eidem tribuendam, ait. *Atq; ista in virginis animum diuinitus planè illabebantur ad prædicendum,* cuius testimonij vox illa, *Virginis*, rem nostram loquitur. In orat. Constant. Magni ad Sanctorũ cœtum ca. 18

Virginitatis Cumanæ Sybillæ præcones Maro, & Ouidius fuerẽ; ille enim tertio Aeneidos sic loquitur.

Quæcunq; in folijs descripsit carmina Virgo.

& Rursus lib. 6 *Ventum erat ad limen, cum virgo.*

Quibus in locis de Cumana Sibylla latinę poetos principẽ loqui constat inter omnes. Hic verò libro 14. Metamorphoseos eandem sibyllam de perpetua corporis sui puritate hæc canentem inducit

Lux æterna mihi carituraq; fine dabatur
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti,

moxq; subdit Cumanã amore virginitatis ductam Phæbi spreuisse munera

----- Contempto munere Phœbi -----
----- Innuba permaneo.

Assertam reliquarum sibyllarum virginitatem scriptorum testimonijs mihi reperire hactenus non licuit.

Cæterum vt proniori sensu ducor in eam opinionem, quæ omnes fermè sibyllas virginitatis radio micantes fuisse existimat, ita reor certissimum earum nonnullas virginitatis florem amisisse, cuius meæ mentis apertissimum ex sibyllinis ipsis oraculis argumentum traho. Etenim ex tertio oculorum libro supra probauimus primam, eandemq; omniũ sibyllarum vetustissimam Persicã, seu Chaldæam, aut certe Hebræam fuisse, quæ vna cum coniuge, ac iustissimo Noe in arca vim aquarum diluuij effugit: at excepto Noe, ac tribus liberis cum coniugibus neminem mortalium in arcam ingressum Genesis septimo patet; ergo hęc sibylla Noe nurus fuerit necesse est: quis autem sacrarum litterarũ adeò ignarus potest reperiri, qui nesciat, Sem, Chàm, & Iaphet ex vxoribus suis liberos suscepisse, quorum nomina, & generationes, ex quibus rursum mortalium propago inoleuit, atq; in orbem diffusa est vniuersum, decimo capite Genesis recensentur. Præterea non minus clarum de amissa virginitate alterius sibyllæ testimonium septimus liber carminis sibyllini ad finem nobis suppeditat, vbi sibylla alia hæc de se fatetur. Persica sibylla vxoris functa officio

Num qua scelera ante patraui,
Iureq, iurando quosuis periura ligaui
Prudens, & studio peccandi perdita feci?
Exclusi tenues, & per mollissima rura

Mille

Mille mihi lecti, connubia nulla fuerunt
Quoslibet admisi magna securа Tonantis.

Ex quibus hanc Sibyllam, quæcunq; fuerit, in vitium virginitati, castimoniæq; contrarium prolapsam nimis clare conuincitur.

Adijciam tertio loco id, quod de Herophile sibylla, quam ante Troianam calamitatem vaticinatam supra probauimus, in Phocia tradit Pausanias. *Ipsa enim non Herophilem solum, sed etiam Dianam suis versibus vocat, addens se Apollinis fuisse vxorem:* At si Dæmonis vxor Herophilis fuit, vbi esse potuit signaculum virginitatis, vbi decor castitatis?

Neque opinionis nostræ censendus est oppugnator D. Hieronymus; qui causam, & patrocinium suscipiens virginitatis, quam vbiq; omni genere laudũ cũmulauit, nõ angebatur ad viuũ hanc resecare quæstionem, quam nos tractamus, certo sciens maiorem Sibyllarum partem illibatum florem virginitatis custodiuisse.

D. autem Epiphanij testimoniũ nobis aduersari nemo iurè dixerit, quippe quod de Hebræorum prophetis accipiendum est, quamuis nullus nesciat prophetandi munus in ijs etiam prophetis fixas egisse radices, qui liberis operam darent, vt in Osea, & alijs licet intueri.

De his, quæ generatim ad æternam Sibyllarum felicitatem pertinent.

Cap. XXXVII.

NVNC ad indaganda sibyllarum æterna præmia, aut supplicia accedamus. Plura enim eas æterno æuo donatas suadet, & in primis exquisita illa cognitio, quam de rebus diuinis, deq; humanæ salutis mysterijs, & Vindice nostro hauserant, quæ æqualis, immò in clarè enunciandis, ac diuino afflatu canendis rebus transnaturalibus superior illa fuisse videtur, qua ipsi Hebræorum prophetæ pollebant. Tum stabilis earum fides de arcanis mysteriorum Dei, quæ canebant; & tandem vitæ probitas, & innocentia, vt latè hactenus probatum est. Quid præterea de earum virginitate, in quibus ea floruit, dicã? cuius meritis, D. Hieronymo teste, præsciẽtiæ munus sibyllis a Deo [vt premiũ cõcesũ est; ergo cũ nihil diuino iuditio debeatur vt præmiũ quibuscunq; reb. etiã morali bonitate præditis, ni eę gratia diuina fulciantur], tanti Patris testimonio nixus iure dicat lector necesse est, ornatam cęlesti gratia, quæ gloriæ semen est, fuisse sibyllarum virginitatem.

Nec illa leuis est coniectura, licet non plane necessaria, quæ è diuina operandi consuetudine, ac miseratione ducitur: nam & si illa sceleratis etiam hominibus vsa sit nonnunquam ad aperienda mortalibus suæ mentis consilia, vt in Balaamo, Caypha, alijsq, perditis vatibus experientia

rientia testatur; sæpissimè tamen, ac penè iugiter nonnisi probis, & electis cælestia arcana detegit; præcipuè cum non vnum, aut alterum, vt Balaamo, & Caypha contigit, sed plura insignia, & omnino diuina cælitus aperit, ceu petitis ex vtroq; diuino fœdere testimonijs periclitarer, ni res pio, ac studioso lectori nimis clara esset, cum nulli pene viguisse videantur improbi vates, si iustis & sanctis arcanorum diuinorum preconibus conferantur.

Ad hæc, quis sibi non persuadebit, cæleste numen sibi asciuisse fatidicas mulieres pari corporis, & animi probitate imbutas ad ea gentilibus manifestāda, quibus siue in cælo, siue in terra præclarius nihil, nihil Sanctius, augustiusq; nihil poterat reuelari? Quod si in animo scelcribus obnoxio scientia, qua humana ingenia turgent nequit, diuersari, vt sapiens profitetur, prudens quispiam credet, Deum in Dæmonum mancipijs, quibus ad docenda diuini ordinis consilia vteretur, sedem sibi elegisse?

Quid? si innocentia, & sanctitas, vt Dei consiliū adimpleretur, sibyllis erant necessaria? Nempe notum est, voluisse Deum gentibus idolis addictis cęlestia filij sui mortalitatem suscepturi Sacramenta explicari, vt in eas repugnantes, nolentesq; Saluatori fidem accomodare, in promptu starent oracula edita ab ijs, quos veluti è cęlis in terram ad hominum salutem procurandam missos colebant, ac demirabantur: at primum huius reuerentiæ, & fidei argumentum, quo ducti gentiles sibyllas venerabantur, fuisse genus vitæ sanctioris, quam agebant, quis non videt?

Ductus, vt opinor, hac cogitatione Celsus hæresum proseminator, illud grauissimum scelus euomuit, quo sibyllam Christo Domino potiorem esse petulanter mentitus est. *Vel Sibylla*, ait, *cuius auctoritate nituntur quidam vestri homines, dignior erat, vt eam decerneretis haberi Dei filiam*, & mox, proh dolor, ea, quæ pij lectoris omnino abhorret, & inhorrescit animus audire, subtexuit in Sibyllæ laudem, & Vindicis nostri contumeliam, quæ silentio plane tegenda sunt: sed facessant impiorum hæreticorum blasphemiæ, in quarum pœnam gehennali incendio iurè torquentur cum grege suo Celsus infame monstrum; & ad aliorum perpendenda de sibyllarum salute testimonia veniamus.

Apud Origi nem lib. 7. contra Celsum paulo ante finem.

Nam quæ in Apologia 2. ad Antoninum Pium, Imperatorem habet Iustinus martyr trahi fortasse possunt ad commendandam sibyllarum innocentiæ perfectionem. Inquit enim *Opera autem malorum geniorum mors constituta, & definita est in eos, qui Hystaspis, vel sibyllæ, vel prophetarum, vatumq; libros legunt, vt metu homines, qui legunt abducant ab eo, ne rerum bonarum cognitionem accipiant, sibi autem seruos eos detineant*. Quæ Dæmonis calliditas, si scite perpendatur, dubio procul sibyllarū fauet innocentiæ, non enim earum oracula vna cum sacris antiquæ, & veteris paginæ oraculis perdere Cacodæmon studuisset, ni sibyllæ diuinæ menti verbis, & operibus, dum vixerunt, fuissent obsecutę, nec postmodum eisdem bellum redintegrans sub Iuliano Apostata apud Aetnam Ciuitatem, Ammiano Marcellino auctore, earum opera flammis abolere conatus esset, si e suo grege sibyllæ fuissent?

Iustinus Martyr.

Præterea cæleste numen gentilium salutem sibyllarum ministerio,

non secus ac voce, ac prædicationibus prophetarum Hebræorum salutem fuisse operatum auctor est Clemens Alexandrinus dum ait; *Nam quo modo Deus Iudæos saluos esse voluit dans eis prophetas: ita etiam Græcorum spectatissimos propriæ suæ linguæ prophetas excitatos, prout capere poterant Dei beneficentiam a vulgo secreuit. Præter Petri prædicationem declarauit Paulus Apostolus dicens. Libros quoq; Græcos sumite, agnosci te sibyllam, quo modo vnum Deum significet, & ea, quæ sunt futura &c.* Quid autem est, Deum sibyllas è vulgo secreuisse, quàm sibyllas diuinis gratijs, & beneficijs ornatas supra ceteros extulisse, vt sibi ipsis, ceterisq; alijs gentilibus prodessent ad salutem?

Lib. 5. Stromat. fol. 10. a principio.

Lib. 2. de pœnis Inferni.

Huc etiam tendũt, quæ Theophylus Antiochenus de sibyllis memoriæ prodidit eadem prorsus ratione prophetas apud Hebreos laudans, qua apud Gentiles sibyllas. *Ceterum Dei homines pleni Spiritu Santo, & a Deo inspirati, institutiq; prophetæ ordinati sunt. Proinde fuerunt a Deo docti, sancti, iustiq;* & mox addit. *Sed plurimi fuere suis temporibus, vt comodum videbatur apud Hebræos. Nec interim Græci Sibyllis caruere*, & Paulo post eisdem prophetis præscias futurorum fœminas comparans, vtrosq; ceu locupletissimos veritatis testes agnoscit. *Ceterum prophetæ illi, quorum mentio facta est, fuere in populo Israelitico illiterati, pastores, & idiotæ. Verum etiam sibyllæ Græcorum, & reliquarum gentium prophetissæ in principio suæ prophetiæ inuehitur in mortalium genus*: quanta autem vitæ innocentia excellerent apud Hebræos prophetæ, quis ignorat? at similis, vel affinis & in sibyllis floruerit necesse est, si Theophyli testimonio credimus. Subindicat idem Tostatus Matthæi 5. q. 92. & Deut. cap. 18. q. 5. & hæc hactenus de æternis sibyllarum præmijs generatim dicta sint.

Coniecturæ aliquot de æterna nonnullarum Sibyllarum miseria.

Cap. XXXVIII.

QVOD si enucleatius cuiusliber mores, & studia ob mentis oculos contemplanda sistantur, non possum non maxime formidare, aliquas earum gehennalibus incendijs, diuino iuditio esse addictas; eamq; in primis, quam carnis voluptatibus, & peccatis ita succubuisse eiusdem vidimus testimonio, vt se, aliosq; pene innumeros in carnis oblectamenta præcipites dederit; ni fortassis aliquam illius salutis spem lectori afferrent ea verba, quę enarratis vitijs, quibus seruiebat protulit dicens

—— Me cedite, cedite cuncti
Sic etenim viuam, atq; in cælum lumina figam.

Quæ sibyllæ verba an ad iram offensi numinis demulcendam sufficerent, piorum iuditio relinquimus. Nobis certe nõ spernenda salutis

spes

ſpes inijcitur, ſi vera illius animam pulſante pænitentia his vocibus ſcelera ſua deteſtabatur Dei auxilio communita.

Eam vero, quam Herophilem appellat Pauſanias, perpetuis gehēnæ incendijs vri inſcripta columnæ in ipſius laudem elegia certo argumento eſsê poteſt, cum ex illa clareat, Dæmonis famulam, & Sacerdotem fuiſſe ſibyllam

Illa ego ſum Phæbi interpres non vana ſibylla
Hic, quæ marmoreo contineor tumulo
Vocalis quondam æternum nunc muta puella
Heu nimis, heu fati compede preſſa graui
Mercurio tamen, & Nymphis ſociata quieſco
Quod fuerim Phæbo grata ferens pretium

At Dęmonibus, eiuſq; Angelis, (quales cenſendi ſunt, qui Dæmoni famulantur) æternum ignem paratum a Deo Vendicis noſtri ineuitabilis ſententia eſt. In hanc perditarum ſibyllarum claſſem conijcit noſtri tēporis ſcriptor egregius Delphicam, ſeu Pythiam, & Cumanam, ceu Dęmonis famulas, nullam huius ſuæ mentis rationem aſsignans. Salmeron tract. 19. tom 2.

Marquardus de Suſanis lib. de Iudæis, & infidelibus parte tertia cap. primo num. 59. vnius D. Auguſtini teſtimonio fretus, quo ſibyllas Dei inimicas aliquādo appellauit, ad æternum gehennale deſtinat incendium omnes; quandoquidem eæ in eum non crediderunt, quem ſuis vaticinijs Deum verum fatebantur. At cum Marquardus Mediatoris fide deſtitutas fuiſſe ſibyllas nullo fundamento, aut Sanctorum Patrum teſtimonio probet, cur alioqui admirabiles omnes haſce fęminas Cacodæmonis mancipia faciemus? cum tamen clarum ſit pro felicitate æterna nonnullarum egregios Patres decertaſſe. Cur non potius eius cultores fuiſſe, quem toto carmine Deum confitentur, prædicant, & venerantur, credere fas eſt? nullo nobis ſe ſe earum infidelitatis obuiam dante teſtimonio? Nam quæ ex S. Auguſtino profert Marquardus in eas dicta eſſe putandum, de quorum ſalute actum eſſe etiam nos libenter atteſtamur; quô reſpiciens Angelicus Doctor 22. qu. 172. art. 7. ad primum ſibyllas, Dei inimicas videtur appellaſſe. Orat contra Iudæos c. 15. contra Fauſtum ca. 15.

Varia inſuper ſuperſtitionum genera (quibus olim ſcatebant ſibyllini libri tanto ſtudio, tantaq; veneratione a Romanis aſſeruati,) quæ paſsim a Liuio, cæteriſq; Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus adducuntur, me ſæpius in eam opinionem traxerê, qua nihil ad ſpem ſalutis ſibyllæ illius oſtenditur, quæcunq; illorum librorum auctor fuerit, cum in ijs mille fallendi artes, omnium diuinationum genera, idololatriam, & vt ſummatim dicam, omnia Dæmonum arcana fuiſſe ex Liuiana hiſtoria cognoſcatur: hæc autem æternę damnationis illius ſibyllæ non obſcura eſſe videntur indicia.

Euſebius Cæſarienſis ſibi male conſtans Dæmonum cultricem, & ſacerdotem Erythræam arbitratur cum inquit. *Sibylla igitur Erythræa, quæ ſe ipſam ſexta poſt diluuium generatione vixiſſe, & Apollinis ſacerdotem fuiſſe dicit, corona ſimiliter cum Deo illo, quem colebat, redimita, quæ etiam tripodem ſerpentis amplexa circumplicatum obſeruans ijs, qui quicquam ab ipſa ſciſcitabantur, reſpondit, ſe parentum inſcitia illi cultui dicatam eſſe, quem cultum nihil in ſe complecti, quod ad honeſtatem faceret, ſed*

hominum animos pudore spoliaret, non aliter, quam historici de Daphne prodiderunt. Hæc inquam sibylla quodam tempore intra adyta illa, in quibus tam absurda, & plane inepta superstitio vsurpari solet, conclusa. &c. At si hæc patrauit Erythræa, iam diu æterni Iudicis vindictam experta est.

Erythræam, & Persicam, cæterasq; Sibyllas æterna miseratione diuina non indignas videri.

Cap. XXXIX.

CAEterùm, his exceptis, reliquas miseratione diuina ereptas è orci faucibus libentissimè crediderim ob iam allata superius argumenta, quorum aliqua etsi probabilibus duntaxat nitantur coniecturis, & nonnulla etiam infirmiora sint, quale illud est, quod de sibyllarum vaticinandi dono confecimus gnari illius doctrinæ, quam de vnitate Ecclesiæ Cyprianus docet cum ait. *Nam & prophetare, & Dæmonia, & virtutes magnas in terris facere sublimis vtiq; & admirabilis res est, non tamen regnum celeste consequitur quisquis in his omnibus inuenitur, nisi recti, & iusti itineris obseruatione gradiatur. Denunciat Dominus, & dicit. Multi mihi dicent in illo die Domine Domine nõne in tuo nomine prophetauimus, & in tuo nomine Dæmonia exclusimus, & in nomine tuo virtutes magnas fecimus, & tunc dicam illis. Numquam vos cognoui, recedite a me, qui operamini iniquitatem. Iustitia opus est, vt promereri quis possit Deum iudicem:* Gnari etiam D. Chrysostomi sententiæ, qua de charitate loquens ait. *Qua absente nihil vel scientia mysteriorum Dei, vel fides, vel prophetia, vel paupertas, vel confessio Christi valet;* Quę Sanctorum Patrum dicta in sibyllas etiam stare non ignoro; vt à simili idem dici potest de argumentatione è illarum virginitate eruta: attamen nullius roboris non censenda sunt adiectis ijs, quæ de illarum virtutibus, scientia, & fide tota operis serie sumus prosecuti.

Sermone de vnit. Eccl.

Serm. quod neque viui, neq; mortui anathemate plectendi sunt.

Quibus fidem, & auctoritatem non exiguam cõciliant quæ de sibyllis luculenter tractat D. Io: Damascenus suppresso illarum nomine. Etenim cum quærere instituisset, quinam per discensum Dei, & Domini nostri Iesu Christi liberati ab inferis salutem nacti fuerint, hæc ad rem nostram habet. *Alij natiuitatem, quæ ex Virgine, nominationemq; ipsius prædixerunt. Maria enim ait nomen puellæ. Alij item omnia excellentia Christi miracula prælocuti sunt. Nam inter multa alia præuaticinati sunt miracula mortuorum, cæcorum, surdorum, leprosorum, eorum, qui impeditioris erant linguæ, febri, hædropesiue laborantium, aridas manus, laxataue membra habentium, & Dæmonia eorum perq; mare deambulationem insuper benedictionem panum, & piscium, & curationes hæmorrhousæ, & mulieris prorsus incuruæ prædictiones, cum alijs multis.* Confer, si placet, quæ hoc loco narrat Damascenus, cũ ijs, quæ nos superius a sibyllis decan-

Oratione pro defunct. fidelib.

decantata de Christo annotauimus, & facile erit tibi iudicium simul, & argumētum, sibyllinas prædictiones earum duntaxat desiderato nomine recensuisse, ac præterea clare intueberis, Damascenum eis velut genuinis sibyllarum oraculis fidem accommodasse suam, qui postmodum declaraturus quam a Deo retributionē sortitæ sint, enarratis illarum prædictionibus subdit. *Enim verò neq; illos despexit diuini Verbi potentia, vt prorsus excidere, & perire eorum bona opera permitteret. Nulla enim pars temporis in vsuram collocata, vt antea diximus, disperibit, sed fideliter seruata omnibus, qui bene egerunt vita, restituetur vna cum additamento, & lucro*. Et postremo hanc claudens quæstionem ait. *Hos saluauit, vt ego existimo, Christus in inferno*, ita Damascenus, qui inferni nomine, non gehennam, sed Lymbum patrum intellexisse putandus est, vt melior, & sana multorum doctorū sententia habet; quandoquidem nullam salutis spem aduentu Saluatoris ad tartarum damnatis affulsisse reor certissimum.

Sententia Damasceni videtur ad fuisse D. Thomas, dum 22. q. 2. art. 7 ad tertiū sibyllas æuo potitas sēpiterno nō obscurē prodidit ita scribēs, *Dicēdum quod multis Gentilium facta fuit reuelatio de Christo, vt patet per ea quæ prædixerunt. Nam Iob 19 dicitur Scio quod Redemptor meus viuit. Sibylla etiam prænunciauit de Christo &c.* & mox, *Si qui tamen saluati fuerunt, quibus reuelatio non fuit facta, non fuerunt saluati absq; fide Mediatoris;* Vbi cælesti beatitate donatas sibyllas ob reuelationē eisdem Dei munere de Christi Incarnatione concessam non obscurè innuit.

Huius comprobator opinionis fuisse videtur Bartholomæus Sibylla lib. peregrinarum quæstionum, dum nonnullas sibyllas Sanctas, Sanctæq; religioni deditas appellat, vt alij recentiores fecere. q. 7. qq. primæ cap. 80.

Verùm quò similis labor noster versetur in laudanda, atq; celebranda, quam bene speramus, sibyllarum vitæ sanctimonia, & cælesti earū beatitudine, qualis fuit industria in detegendis earum erroribus, si qui fuerunt. Age, perquiramus hoc loco, num alicuius peculiaris sibyllæ prope certa salutis spes nobis relinquatur. Obscurissimæ huic quæstioni, ac humanis mentibus inenodabili lucem præbet S. Augustinus, qui de Erythrææ, seu Cumanæ vaticinijs, & acrostichide agens non veretur eam inter cæteras felices animas reponere. *Hæc autem sibylla*, ait, *siue Erythræa, siuè, vt quidam magis credunt, Cumana, ita nihil habet in toto carmine suo, cuius exigua ista portiuncula est, quod ad Deorum falsorum, siue factorum cultum pertineat; quin immò ita etiam contra eos, & contra cultores eorum loquitur, vt in eorum numero deputanda videatur, qui pertinent ad Ciuitatem Dei*. Tales autem tota operis serie, quod de Ciuitate Dei inscripsit, solos iustos, felices, & sanctos esse nouit Augustinianæ lectionis studiosus lector. Hanc eandem sibyllam fortasse immemor eorum, quæ supra tradiderat, reponit in classem beatorū Eusebius Cæsariensis eundem lapidem euoluens, quem postea Augustinus, dum ait. *Atq; ista in Virginis animum diuinitus planè illabebantur ad prædicendum. Eam igitur ego beatam puto, quam seruator vatem ad diuinandum de sua in nos prouidentia delegit*.

Salmer. to. 3. tract. 19.

De Ciuit. Dei lib. 18. cap. 23.

In orat. Constantini ad SS. cœtum cap. 18.

Si meæ mentis arcanum nudare tuto auderem. Erythrææ sibyllæ beatorum mentium conciui sibyllam Persicam, seu Chaldæam adiungerem,

Erythræa, et Persica Salutem assecutæ.

gerem, quippe quam ex Sanctissimi Patriarchæ, Deoq; charissimi Noe familia ortam, nurum, & affinem illius castissimæ mentis mores, & pietatem perpetuò æmulatam, & completo naturæ mortalis cursu eidē affini sociatam in sinu Abrahæ Iesum humanæ salutis vindicem expectasse piè crediderim; quod non vt plane certum statuentes, (indignum enim foret) sed probabili, vt arbitramur, coniectura moti dictum esse volumus. Cæterum de reliquarum sibyllarum beatitate quid peculiariter, iureq; tradi, ac statui possit nihil planè obuiam datur.

Sibyllæ qua ratione in edendis oraculis vterentur. Cur in earum carminibus lex metri sæpius desit.

Cap. XXXX.

CVM prioris quęstionis titulo iniectę duplex sensus esse possit. Alter, qui ad sibyllæ personam, & locũ: alter, qui ad oracula referatur; operæ pretium est breuiter vtramq; hoc loco attingere. Primi intellectus hic est. An sibyllæ stantes, an sedentes, extra antrum, an in antro vaticinarentur, & ad se confugientes erudirent.

Oratione parenetica ad gentes.

Iustinus martyr, qui basilicæ, quam sibylla omnium sibyllarum celeberrima coluerat, naturam, & artem coram lustrarat oculis, docet sibyllam in edendis oraculis sedere, atq; in antri penetralibus consistere solitam, quod ex ipsis earum regionum accolis, qui huius sibyllæ moris accurratissimi obseruatores fuerant, cognouisse scribit ad hunc modum. *Et cum stolam iterum sumpsisset in intimam basilicæ domum, quæ ex eodem saxo emineret, se recipere, atq; media domo in excelso solio sedentem ita oracula edere*. Eusebius Cæsariensis primam difficultatem intactam relinquens cum Iustino martyre in secunda consentit. *Hæc inquam sibylla quodam tempore intra adyta illa, in quibus tam absurda, & planè inepta superstitio vsurpari solet conclusa diuina tamen inspiratione referta carminibus de Christo Iesu vaticinata est &c.* Eundem omnino fata pandendi sibyllæ morem expressit Maro dum ait. *Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima -- fata canit &c.* & alibi.

In orat. Cōstantini ad SS. cœtum cap 18.
3. Aeneid.
6. Aeneid.

Excisum Euboicæ latus ingens rupis in antrum
Quo lati ducunt aditus centum, ostia centum
Vnde ruunt totidem voces responsa sibyllæ, & rursus
At Phœbi nondum paciens imanis in antro
Bacchatur vates &c.

De varietate rerū li. 14 cap. 68.

Adfuit eidem opinioni Cardanus, qui recōditam vaticinationis sibyllarum causam inuestigans ait. *Cumq; in penitiora antri ingrediebatur, vapor ille in Exstasim deducebat vigilantem.*

Voce, scriptura, et no.

Secundæ quæstionis sensus est, quo adminiculo vatem consulentibus oracula panderentur. Tria hęc fuisse opinor, vox scriptura, signa, aut

notę.

notæ quædam. Vocis, quæ magis expeditus, ac familiaris mos erat prædicendi fata, exemplum noster suppeditat Maro.

tis vtebātur sibyllæ in edendis oraculis.

Ostia iamq; domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisq; ferunt responsa per auras.

Ita Maro, qui posteaquam sibyllæ oracula recitasset, vocibus vti consueuisse vatem ait. *Dixit, pressoq; obmutuit ore*, cuius consuetudinis non semel meminit idem Poeta. Meminit eiusdem moris Eusebius nuper citato loco, dum ab Erythræa sibylla ad se confugientes vocibus repulsos prodidit. Aeneid.6

Scripto autem transmissa etiam Sibyllarum vaticinia testis est idem Virgilius, cum scribit.

Quæcunq; in folijs descripsit carmina virgo
Digerit in numerum atq; antro seclusa relinquit
Illa manent imota locis neq; ab ordine cedunt.

Ex quibus id etiam constat, membranæ, aut papiri loco, quæ postea inuenta est, olim ad scribendum in vsu arborum folia fuisse, quamuis corticis arborum pelliculis filo artificiose contextis vterentur, vt cernere est in codice antiquissimo, qui vna cum D. Hieronymi ætate crescens nunc asseruatur in Bibliotheca Ambrosiana inter tot cætera antiquitatis monimenta quibus splendet. Repetit eandem canendi oracula rationem Virgilius, cum Aeneam enixè Sibyllam precantem his vocibus inducit.

---- Folijs tantum ne carmina manda
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Postremo edere oracula solitam Sibyllam signis, vt in obelisco Romano, vel vt alij malunt, notis quibusdam litterarum, vt videlicet per vnam litteram id exprimeretur quod exprimi vellet Sibylla in folijs palmarum, ex Varrone testatur Seruius. Hoc idem Maro innuit illis vocibus.

Fata canit, folijsque notas, & nomina mandat.

Quare ex instituto notæ illæ consignatæ folijs eodem munere, officioq; fungebantur, quibus scriptura ipsa; ac proinde erant contractæ quædā scribendi rationes, & compendia. Consulat qui velit antiquissimum Valerij Probi Grāmatici librum, quem de notis scite conscripsit, ex eoq; facilè huius vaticinandi Sibyllarum moris veritatem conijciet.

Cur autem imperfecti plerumque earum versus reperiantur, varia, & multiplex ratio assignari potest, cum non in Sibyllas, sed in Notarios culpa reijcienda sit. Hi enim verborum flumina ex animo diuinitus illustrato manantia vbertim cum assequi scriptione non possent, ansam dederunt erroribus. Creditu etiam secundo loco pronum est, actuarios illos Sibyllarum oracula excipientes poeticæ artis prorsus ignaros errasse.

Notariorum culpa oraculorum carmina sæpissime vitiata.

Sed quid, si Sibylla ipsa scripsisset, vt multi fecisse Cumanam arbitrantur, quæ Tarquinio libros pretio dedit? Tunc ea fuisse carmina omnibus absoluta numeris concedere fortassis nullum absurdum fuerit, Verùm ne in re incomperta diuinare videamur, cum in oraculis quę nobis superfuerē, multa imperfecta deprehedantur, tutius erit asserere, & in Sibyllis ipsis concitato spiritu agitatis

vna cum afflatu diuino eorum, quæ canebant, & numerum, & memoriam cecidisse, ex quo, & error in legibus poetices, & claudicans in rebus ipsis sententia oriebantur.

Aliæ imperfectionis sibyllinorum oraculorum causæ.

Fieri etiam potuit vt à principio absoluta, & perfecta, mox ex crebra, & toties repetita eorundem descriptione actuariorum negligẽtia, & ignoratione manca reddita sint. Valuit & oraculorum obscuritas, arcanusque sensus gentilium intelligentiam euincens vitium istud peperisse. An inde orta est imperfectio, cum Senatusconsulto ex omnibus Italię Ciuitatibus conquisita, & collecta velut in vnum corpus quæ perfecta, imperfectaque extiterant coaluerunt? An ipsa temporis longitudo, & edacitas in causa fuit? An tandem diuino consilio effectum, vt pleraque mortales in idololatrię, ac ceterorum flagitiorum sentinam prolapsi adeò mirifica, & diuina non ita planè intelligerent carminum obscuritate, & mutilatione impediti?

FRANCISCI COLLII

Ambrosiani Collegij Doctoris.

LIBER

De æterna fœlicitate, aut miseria.

Adami
Caini
Henoch
Samsonis
Salomonis
Origenis
Tertulliani.

De æterna salute Primi Parentis.

Cap. Primum.

ETsi non me fugiat Pagani nomen in eos cadere non posse, quos liber hic ordine prostremus complectetur, cum hi vera Saluatoris fide imbuti fuerint: argumenti tamen similitudo, & affinitas, qua salus, aut perditio etiam istorum indaganda proponitur me facile commouit, vt suscepti operis clausulam facerem Adam, Cain, Henoch, Samsonem, Salomonem, Origenem, & Tertullianum, de quibus adhuc superest disceptatio deinceps agitanda. Et illa in primis, quæ ad statum Protoparentis nostri attinet, cuius æterna felicitas non ita claré ex Sacris litteris conuincitur, vt de ea nemo dubitare non possit.

Etenim illius damnationem verius, quàm beatitatem graue illud scelus suadet, quo pollutus posteros omnes infecit; huius enim criminis non vna, sed multiplex mortifera culpa fuit, superbiæ videlicet (ab ea enim profectam hominis damnationem docuit Tobias) inordinati amoris erga coniugem, cui morem gerere, quam à vetito cibo abstinere maluit, inobedientiæ, gulæ, iniuriæ, & improbę cupiditatis re ipsa experiendi vetiti fructus excellētiam; & tandem excusationis, qua Deum velut sui peccati auctorem criminatus est, dicens. *Mulier, quam dedisti mihi, dedit de ligno vitæ, & comedi*; tacitè videlicet inferens, se haud fuisse peccaturum, ni Deus sibi sociam Euam adiunxisset, quæ peccati radix fuit; Cuius tamen commissi sceleris grauissimi pœnituisse Adam nullibi meminit sacer codex. Hinc Rupertus Abbas in dubium Adæ salutem reuocans ait. *Saluatio eis & a multis liberè negatur, & a nullo satis firmiter defenditur*; veluti præcedentibus seculis iactauerat Tacianus, quem vario argumentorum genere olim confutauit D. Irenęus lib. 3. cap. 35. & deinceps vsq; ad 40.

Peccati Adę multiiugis culpa.

De Trinit. et operib. eius lib 3 ca. 31.

Constans tamen, & perpetua sanctorum Patrum, totiusq; Ecclesiæ sententia fuit, Adamum æterna beatitate frui, quemadmodum litteris prodiderunt Tertullianus lib. 2. contra Marcionē, Origenes tractatu 35. in Matthæum. Athanasius libro de passione, & Cruce Domini, Basilius in Leuiticum cap. 5. & Chrysostomus in Ioannē, Cyprianus sermone de resurrectione Christi, Augustinus sermone 71. de immolatione Isaac. Euthymius enarrat in cap. 27. Matthæi, Theophylactus ibidem, & Paula & Eustochium in epistola ad Marcellam, quæ extat inter Epistolas S. Hieronimi tom. 1. & Anastasius Sinayta Patriarcha Antiochenus anagogicarum contemplationum in Hexameron lib. 7 fauent eidem sententiæ qui vnanimi assensu tradunt Christum Dominū eam Caluarij mōtis partem, in qua pateretur, elegisse, vbi primi parentis ossa tegebantur, vt suo sanguine ea irrigaret, addentes prætereà ab Adami cranio montem illum Caluarium esse appellatum; vt scripsit Tertullianus

Salus Adæ a Patrib. defensa.

Golgotha locus est capitis caluaria quondam
Lingua paterna prior sic illum nomine dixit
Hic medium terræ est hic est victoria signum
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum
Hic patitur Christus pio sanguine terra madescit
Puluis Adæ, vt possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus, stillantis aquæ virtute lauari.

Sed D. Epiphanium audiamus, qui posteaquam pluribus probasset argumentis Adam in cœlestē patriam fuisse receptum protinus addit. *Quapropter etiam mirari licet de eo, qui nouit, velut etiam in libris reperimus D. N. I. Christum in Golgotha crucifixum esse, & non alibi, quam vbi corpus Adam iacebat. Egressus enim de Paradiso cum habitasset e regione ipsius multo tempore, & per multos dies postea abijt eo, & in hoc loco Hierosolymorum videlicet debitum naturæ persoluens, ibi sepultus est in loco Golgotha.* Moxq; Caluarij, seu Cranij originem ab Adami sepulcro petens *Imò,* inquit, *quia primum formati hominis Adam caluaria illic inuenta*

Lib. 2. cōtra hæres. cap. vltimo.

uenta est, & illic reliquiæ sitæ erant, ea de causa Cranij locus cognominatus est. In quo crucifixus est D. N. I. Christus per aquam, & sanguinem, qui fluxit ab ipso per compunctum ipsius latus in ænigmate salutem nostram ostendit ab initio massæ Primi Patris reliquias respergere auspicatus. Et licet B. Hieronymus antiquæ huic Patrum traditioni non acquiescat: ita scribens. *Audiui quendam exposuisse Caluariæ locum, in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, & hoc esse, quod Apostolus dicat. Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Fauorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nec tamen vera:* haud tamen a communi tantorum Patrum sententia recesserim, maximè, cum Beati Hieronymi ratio non cogat, vt eam ponderantibus clarum fiet. In cap. 17 Matthæi super illis verbis & venerunt in locū qui dicitur. &c.

Audiat enim lector totum Heronomyanæ opinionis fundamentum *Adam verò, ait, sepultum iuxta Hebron, & Arbee, in Iesu filij Naue volumine legimus, cuius certe voluminis in cap. 14. extremis verbis ista sunt. Nomen Hebron ante vocabatur Cariatharbe, Adam maximus ibi inter Enacim situs est.* Cæterùm nomen Adam eo loci non propriam Protoparentis appellationē, sed idē ac hominem significare testis est Hebraica scriptura, quæ ad veritatem verbi hebraici reddita sic habet. Nomen Hebronis olim fuerat Cariatharbe, is fuerat homo interEnacinos maximus. Enacinam autē gentē gigāteam fuisse oēs, qui sacri eloquij ignari non sunt, optime callent. Mitto monere lectorem eundem Hieronymum in epitaphio Paulæ ita huic nostræ adhęsisse opinioni ex sententia hebræorum, vt priorem auersari videatur. Etenim de susceptis à Paula itineribus agens. *Atq; inde,* ait, *consurgens ascendit Hebron, hæc; est Cariatharbe, idest oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum iuxta librum Iesu naue Hebræi autumant: licet pleriq; Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur.*

Vltrò autem mortiferæ culpæ pœnas dedisse Adam, cum adhuc viueret, testis est libellus, qui de pœnitentia Adami prenotatur, vt refert Ireneus lib. 3. Extat præterea locupletissimum Tertulliani de Primi parentis penitentia testimonium, dum de penitentia Nabuchodonoris edisserens mox de Adam sic inquit. *Quam ipse quoq; & stirpis humanæ & offensæ in Dominum princeps Adam exomologesi, restitutus in Paradisum suum non tacet* Eidem veritati adstipulantur ea, quę habet D. Io: Chrysostomus homil. 18. in Genesim, cuius hæc sunt. *Contra Paradisum illum habitare faciebat, vt ingem dolorem haberet, quotidiè cogitans vnde exciderit, & in quem statum se coniecerit. Et quamuis grauissimi doloris spectaculū esset, est tamen magnæ vtilitatis occasio, vt dolens continuo aspectu munitior, & cautior esset in alijs, ne iterum in eadem peccata incideret, qui hominis, vt plurimum mos est.* De penitentia cap. vlt.

Sed clarius est de æterna Adami salute eiusdem testimonium sermone de Genesi, & interdictione arboris. *Sed deceptum Adam, & Diaboli fraudibus circumuentum clementissimus liberat Deus. Et quem Diabolus persuadendo deiecit, eum Dominus liberando saluauit,* & mox. *Reducitur ad Paradisum victor, quem victum de Paradiso serpens eiecerat. Recipit gloriam Adam, quam per hostem amiserat.*

Tom. 2. ep. 99

Fauet D. Augustinus, qui sapiétiæ testimoniũ adducẽs docet inconcussè tenendũ, sempiterno præmio fuisse cumulatũ Adam, quamuis expressa sacri eloquij nõ haberetur auctoritas. *Et de illo primo quidẽ hoĩe. Patre*, inquit Augustinus, *generis humani, quod ibidem soluerit, Ecclesia fere tota consentit, quod eam non inaniter credidisse credendum est, vndecunq; hoc traditum sit, & si canonicarum scripturarum hinc expressa non proferatur auctoritas. Quamquam illud, quod in libro Sapientiæ scriptum est. Hæc illum, qui primus factus, patrẽ orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia, magis pro hac sententia, quã pro ullo alio intellectu facere videatur.* Quocirca non possum non maximè mirari, Rupertum, quò suam opinionem tueretur, abrogasse fidem citato Sapientiæ libro, atq; eum e canonicis libris exemisse, quem Augustinus, cæteriq; omnes pro canone agnouerunt, quemq; postea Sacri Tridentini Concilij Patres sancte obseruandum sancita lege edixerunt.

Tandem, vt varias argumentationes, quas ad astruendam Adæ salutem olim Irenæus, & Epiphanius, & nostro hoc æuo Alphonsus a Castro, Verbo Adam, ceteriq; recentiores ingeniose excogitarunt, omittamus, placet hoc loco consignare, quid de Adami salute in Euangelio Nicodemi habeatur, dum e tenebrosis carceribus salutis nostræ vindex illum eduxit. Nam licet non sim nescius, Nicodemi Euangelium ob varios errores, quibus scatet, apocryphum esse, non ob id tamen, vt in simili de apocryphis libris egregiè annotauit Bellarminus, omnia quecunq; in eo reperiuntur, falsa putanda sunt, cum pleraq; veritati, sacrisq; litteris consentanea tradantur: quod anteà docuerat Augustinus, cum inquit. *In his autem apocryphis etsi inuenitur aliqua veritas, tamen propter multa falsa nulla est canonica auctoritas.* Igitur in Euangelio suo Nicodemus inquit. *Tenens autem dominus manum Adæ dixit ad eum pax tibi cum omnibus filijs tuis iustis meis. Adam autem genibus Domini aduolutus lacrymabili cum obsecratione deprecatus est magna voce, & dixit. Exaltabo te Domine Iesu quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamaui ad te, & sanasti me. Domine Iesu eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descendentibus in lacum.* & paucis interiectis. *Extendens autem dominus manum fecit signum crucis super Adam, & super omnes sanctos suos, & tenens dexteram Adæ ascendit ab inferis, & omnes sancti secuti sunt Dominum.*

Nicodemi Euangelium cuius auctoritatis sit.

De Ciuit. Dei lib. 15. cap. 23.

Unde

Vnde dictus Cain, & vnde Deo esse sacrificandum quamuis improbus nouerit.

Cap. II.

NVNC aliqua attingenda sunt de Caino, cuius nomen etsi ab Eusebio Cæsariensi Hebræorum consentiente interpretationi, ie tatur inuidia, eo quòd illa exardescens fratrem Abel interfecerit, propriè tamen possessionem significat, seu, vt inquit Ambrosius, acquisitionem, quod omnia sibi acquireret. Nam etsi Cain foret nequam, Deum nihilominus vtcunq; coluit ei terræ fructus offerens. At huius oblationis quem ipse habuerit preceptorē non satis adhuc liquet. Lib. 11. de preparat. Euang ca 4.

Tres tamen esse possunt huius nodi solutiones. Etenim cum fratre Abelo Cain a tutelari Angelo per interiorem illustrationem hoc cognoscere potuit; nam si Dionysio Areopagita teste Angelorum ope homines nonnulli semper ab orbe cōdito de diuinis rebus redditi sunt certiores, cur Abel, & Cain primi post Adam homines eodem beneficio Angelorum, quibus eorum cura demandata erat, priuandi erunt?

Postea ad huius rei cognitionem paterna eruditione vterq; potuit peruenire, quemadmodum Vgo Victorinus arbitratur. *Credimus Deum docuisse Adam cultum diuinum, quo recuperaret eius beneuolentiam, quam amiserat per peccatum transgressionis, & ipse docuerat filios suos, dare scilicet decimas, & primitias*. Idem tradiderunt Ecclesiasticæ historiæ auctor, & cum Catharino Tostatus q. 4. in cap. 4. Genesis. *Vbi docuerat*, inquit, *Adam filios suos colere Deum in sacrificijs, & oblationibus, istud enim maximè pertinet ad actum exteriorem latriæ, quia licet adoratio, & reuerentiæ aliquæ, & laudes fiant Deo, fiant etiam hominibus, sacrificia autem nulli vnquàm exhibita sunt, nisi esset Deus, vel existimaretur esse Deus*, a quo Adam in ipso creationis exordio sacrificandi scientiam hausit. Annotat. Elucidator. in Genes. cap 4.

Postremo naturali instinctu, ac suasu Deo litandum noscebant, solicitabanturq; exteriori reuerentiæ signo ad cognoscendum Dei plenum in omnes creaturas dominatum, sicuti Procopio Gazæo placuit opinari. *Verùm lex*, inquit, *natura homini insita concitabat, & stimulabat illos fratres, vt se exhiberent gratos Deo omniū bonorum datori*, & mox *Lege itaq; cōpulsi Abelus insignia, alter nimis contemptibilia munera offerunt absumenda calesti igni*. Insitam hanc legis naturæ humanis mentibus virtutem, qua velut duce Cain, & Abel, cæteriq; primi æui homines diuinum cultum docebantur perpendens Cassianus. *Quemadmodum scire potuit*, exclamat, *Abel nec dum lege mandante, quod de primitijs omnium ouium suarum, & de adipe ipsarum ad sacrificandum Deo deberet efferre, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus?* Procopius Gazæus super hoc loco Collat. 8 cap. 24.

Quemad-

Quemadmodum Noe quod mundum, vel quod immundum esset animal discreuisset, nondum hac legali distinguente mandato, nisi scientia naturali fuisset instructus? Vnde Henoch ambulasset cum Deo nullam legis illuminationem ab aliquo consecutus? Vbi Sem, & Iaphet legerant. Turpitudinem patris tui non reuelabis, nisi &c. At si Cassianus solam naturalis legis illustrationem ita admittit, vt cæteras rationes excludat, quibus Cain, & Abel illuminari potuerunt, non est audiendus, cum naturali illustratione duntaxat neque posset Noe ab immundis animalia munda discernere, cũ nonnulla ex ijs, quæ pro immundis habebantur, vel natura iudice munda censeantur: neq; Henoch quouis naturali lumine adiutus cũ Deo ambulare, Deo placere, illiusque præceptis obsequiũ potuisset (hoc enim opus erat solius diuinæ gratiæ, quæ fidei trãsnaturalis lumen exigit) neq; Abeli Sacrificium Deo ipsi adeò mirificè gratum quicquam ei profuturum fuisset, ni fides adfuisset supernaturalis, quãuis lumine naturali attigisset Abel, vni Deo esse sacrificandum. Licet autem in citato testimonio hęc omnia solis naturę viribus tribuat Cassianus, octaua tamen Collatione cap. 21. non inuolutè concessit, Adam posterorum suorum fuisse præceptorem, & magistrum cum inquit. *Quippe ab illa veræ phisicæ philosophiæ disciplina tradita sibi a maioribus exciderunt, quam primus homo ille, qui vniuersarum naturarum institutionem e vestigio subsecutus potuit euidenter attingere, suisq; posteris certa ratione transmittere.*

Num fratricidij crimen pœnitentia ductus aboleuerit Cain, an potius de diuina miseratione desperans scelus auxerit.

Cap. III.

NEC illa omittenda quæstio est. Satisfecerit ne Cain diuinæ iustitiæ pro iniusta nece fratris Abel, an hoc crimine pollutus mortalitatem expleuerit. Procopius Gazęus expendens illa verba Cain. *Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear,* Gen. 4. seu, vt ille legit, quam vt remittatur, hæc habet. *Extat & alia huius loci, vt quidam aiunt, expositio, quæ talis est. Peccatum meum ingrauescit, & augescit, si impunitus demissus fuero. Nam nisi damnatus fuero ad mortem, subinde grauius torquebor conscientia delicti. Capiet peccatum augmentum, si tu non expetiueris pœnam. Nam non desperare eius est, qui credit, se adhuc Deo esse curæ, eiusq; prouidentiæ subiectum. Aut forte in ista verba prorupit Cainus certo sciens nulla ex re maius exitium afferri homini, quàm ex eo, si negligatur, & deseratur a Deo. Agnoscit enim se malum ad posteros dedisse exemplum, quo grauissimè violaretur humanæ vitæ*

societas,

solietas, idem exemplum, & ipse extimescebat. At hæc omnia pænitentiæ Cain sunt argumenta; commissi enim sceleris pœnas Dei manu infligēdas enixè postulare, & ne à Deo deseratur, maliq; exempli in omnem posteritatem deriuandi crimen agnoscere, vt ex Procopio fecit Cain, an non efficax sedandi irati numinis iram remedium est, & ad diuinam indignationem demulcendam aptissimum? quod si adfuturam illico Dei miserationem peccatori eam efflagitanti ex sacris litteris certum est, cur misericordia Diuina gemitibus Cain denegabitur? Magnę autem Cain pœnitentiæ testis est signum illud, quod ei, ne ab alijs occideretur, Deus adiecit; hoc enim, si Procopio credimus, pœnitentiæ commissi sceleris nota erat; *Signum*, inquit ille, *quo signauit Cainum, est pænitentia, quam si peccator apprehenderit, non facilè perimitur.* Signũ Cain quale iuxta Procopium.

At quid mirum est, Cainum fratricidij pœnituisse, cum ad dolorem concipiendum a Deo ipsô illis vocibus inuitaretur. *Cain vbi est Abel frater tuus*. Audi B. Ambrosium. *Interrogat Deus Cain de fratre Abel, quo eum ad confessionem criminis, & ad pænitētiam adducat.* Huic opinioni fauet paraphrasis Caldaica, dum Euam post genitum Cain sic loquentem facit. *Acquisiui virum de coram Deo*, idest, vt quidam interpretantur; acquisiui virum, qui, nobis defunctis, Dominum Deum timeat, colat, & coram eo ambulet; quæ autem in Deum fuisset religio Cain, si eius animum nulla tanti sceleris pœnitentia subysset? Certe pertristem fuisse Caini animum non obscurè meminit Io: Chrysostomus, qui super illis verbis: *Maior est iniquitas mea, quam, vt veniam merear*. *Ecce*, ait, *absoluta confessio*. *Tale, tantumq; est inquit peccatum, quod commisi, vt non possim accipere veniam*: *Ecce inquit aliquis confessus est, & sic confessus est, vt omnem excederet diligentiam*. Magni autem momenti esse criminis confessionem ad impetrandam peccatorum veniam docet Ambrosius lib. 2. de Cain, & Abel, dum ait. *Confessio enim poenarum compendium est. Inde in iuditijs secularibus impositi equuleo torquentur negantes, & quædam tangit iudicem miseratio confitentis. Est quædam in peccatis verecundia, & pænitentiæ portio crimen fateri*. Adduci etiam potest Caietanus, qui licet vnicuiq; liberum esse credat, ea Caini verba pro libitu suo explicare, in hanc tamen propendet opinionē sensu Sacræ scripturæ ductus. *Quo autem*, inquit, *affectu Cain hoc dixerit (nempe maior est iniquitas &c.) scriptum non est; interpretetur quisq; vt Spiritus Sanctus suggerit ei. Contextus autem nihil aliud porrigit, quàm vt Cain agnoscens grauitatem peccati sui ex ipsa grauitate peccati dubitauerit licitum fore, cuilibet ipsum occidere.*

Lib. 2 de Cain, & Abel cap 9.

Genesis 4.

Hom 19 in Genesim.

Cap. 9.

Commentarijs in Gens.

Catolica sententia est communi omnium Patrum firmata consensu, Cain diuina iustitia addictum esse perpetuis inferni supplicijs, nō modò ob perpetratum fratricidij scelus, verùm etiam ob desperationem, in quā præceps ruit, vbi manifesto crimine a Deo conuictus est. Nempe huc tendit citata nuper Beati Ambrosij sententia: *Vnde & Cain dixit ad Deum, maior causa mea est, quam, vt remittatur mihi, si derelinques me hodie a facie tua abscondam me. Nihil enim grauius, quam errantem a Deo deseri, vt se reuocare non posit. Mors peccatoris finem peccandi affert, vita autem diuino gubernaculo destituta præcipitatur, & in peiora prolabitur*. Deus autem peccatores non deserit, ni prius per desperationem S. Ambros.

ipse a peccatore deseratur, vt Tridentini Concilij canone statutum est.

Lib. 4. de Trin. e oper. cap. 7. Porro Caini desperantis meminit Rupertus Abbas, dum inquit; *Desperati, & de Dei clementia malè sentientis est, quod ait, maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Idem arbitratur D. Isidorus ad hunc modum scribens. S. Isidorus. *Peccata peccatis adiungens desperat, nec credit veniam se posse adipisci, quod est blasphemia in Spiritum Sanctum.* Venerabilis Beda sex criminibus enumeratis, quæ Abelum interimens Cain commisit, Beda. *septimum est,* ait, *quod se ipsum desperauit.* Consentiunt Lyranus, Glossa interlinearis, Hieronymus Oleaster, Procopius Gazæus, & vna cum cæteris catholicis scriptoribus Ambrosius Catharinus, cuius in cap. 4. Genesis hæc sunt verba. *Hic ponitur Cain desperatio, & in hoc magis peccauit Cain, quàm in omnibus præcedentibus, quia peccatum præcedens fuit ad nocumentum proximi, eum occidendo; desperatio autem contra Deum directè est, quia per eam creditur, Deum non habere tantam potentiam, vt possit peccata dimittere, vel non habere tantam bonitatem, vt hoc velit.* Sic Catharinus, qui desperantis Caini verba enarrãs docet, hanc solam catholicæ veritati congruentem esse posse illorum verborum intelligentiam. *Secundum doctores catholicos debet intelligi littera ista, vt verba desperantis sint.* Licet Catharino antiquior Caietanus vulgatæ huic explanationi non ita facilè acquiescat, vt diximus.

Hinc patet non audiendos esse Hebræos, qui interrogatiuè hunc scripturæ locum legentes arbitrantur, Cain de pœna a Deo infligenda conquæstum, quasi dicere vellet. Domine cur tam diras mihi pœnas infligis? numquid maior est iniquitas mea quam sit miseratio tua? Verùm æterna morte mulctatum vna voce tradũt D. Basilius Hom. de inuidia. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Genesim, Chrysostomus homilia 19. in Genesim, Bernardus sermone 17. & alibi passim, S. Gregorius lib. 29. Moral. 6. Augustinus de vita Christiana tract. 8. cap. 13. vbi *Cain quoq;* ait, *non perfidiæ causa, sed quia fratrem interimerat, comdemnatus est,* & sermone de tempore 104. aliam iustæ Cain damnationis causam enarrans; *Cain,* inquit, *quia negauit parricidium, quod commisit æterna pœna dammnatus est,* quod intelligendum reor de negatione, quæ manifestam criminis comprobationem præcesserat, cum dominus dixit. Vox Sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Postmodum enim crimen suum fassus est dicens, *maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.*

Cur Cain sceleris veniam non inuenit. At cur sceleris cõmissi veniã nõ obtenuit Cain? D. Ioannes Chrysostomus intẽpestiuæ, & extẽporaneæ confessioni causã tribuit, eo ꝙ Cain Deo petenti sero facinus cõfessus sit. *Ecce,* inqnit Chrysostomus, *absoluta confessio &c. sed nihil inde lucri dilecte. Intẽpestiua enim confessio est.* S. Chryst. *Hoc enim facere oportebat tempore congruo, quando adhuc impetrari poterat a iudice misericordia* & paucis interiectis; *Oportebat enim tunc, cum interrogaretur a Domino. Vbi est Abel frater tuus? confiteri peccatum, & procedere, & orare,* & *veniam petere. Ipse verò tunc quidem medicinam reiecit, nunc autem post sententiam, post finem, post omnia, postquàm clara voce accusatus a sanguine in terra iacentis, confitetur, nihilq; lucri facit.* Prouerb. 18. *Vnde Propheta dicebat. Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis. Et hic quoq; si præuenisset domini reprehensionem, omninò misericordiã*

consecutus

consecutus fuisset propter immensam Domini benignitatem. Sic Chrysostomus, cuius sententiæ (pace præclarissimi, sanctissimiq; Patris) an multum tribuendum sit, ignoro, cum ad extremum vsq; morientis hominis spiritum, velut Latroni in Cruce accidit, certa salutis, diuineq; miserationis spes cuilibet diuina adiutrice gratia affulgere possit. Nec finalis de æterno Cain supplicio illa Dei sententia fuit, sed temporalis, de ærumnis nempe, ac miserijs, quibus Cainum ob fratricidij crimen Deus obnoxium fecit.

Nos in disperationem finalis inpœnitentiæ causam conijcimus; non enim veniam deprecantis, sed veniam desperantis ea confessio fuit, vti præter citatos patres egregiè docet D. Bernardus, qui Cainum Iudæ proditori assimilans. *Iudas certè*, inquit, *proditor Domini, & Cain fratrecida confessi sunt, & diffisi*, & in lib. sententiarum crudelem, & desperatam vtriusq; confessionem appellat. *Tres sunt speties pænitentiæ. Simulatoria, & infructuosa, cuius exemplum est in Esau, & Saul. Crudelis, & desperata, sicut in Cain, & Iuda.* Et rursus serm. 3. in laudem B. Andreę Apostoli hæc de Caino & Iuda scripta reliquit. *Cain, & Iudas purè, & humiliter confessi sunt, sed nequaquàm fideliter, quia alter eorum desperans ad laqueum cucurrit: alter illud grande scelus euomuit. Maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear. Mentiris latro, quia maior est pietas Dei, quam quæuis iniquitas, quia miserationes eius super omnia opera eius.* Iurè igitur B. Augustinus, eos, qui Cain fortissimæ cuiusdam fuisse virtutis virum olim asserere non dubitarunt, hæresis vitio notat.

Serm. 16 super Cātica.

Lib. de hæresib. hæresi 18.

De Moribus Henoch deq; iugi illius innocentia.

Cap. IIII.

HENOCH in humana propagatione septimus post Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, & Iared cum trecētis sexaginta quinq; annis vixisset, e societate humana ad felicissimam vitam miserijs omnibus carentem Angelorum ministerio translatus est, exactis ab exordio mundi fermè mille annis, ante diluuium verò sexcentis sexaginta nouem. Et quamuis non adhuc planè constet vbinam terrarum quietè degat (omnes enim fermè sancti, & vetustiores Patres in paradiso terrestri; recentiores verò nec pauci, nec minuti auctores in aliqua alia orbis parte amenissima, eo quod paradisus terrestris diluuij tempore perierit, viuere eum tradunt) illud tamen inconcussè sustinendum est, corporeis eum spolijs circumseptum adhuc viuere; neq; enim, (vt delirant Hebræi, quorum dux est Rabbi Auen Esdra) diuina largitate, & beneuolentia, ne in peccata rueret, ad quæ trahebatur quibusdam naturę suæ igniculis, mortalitatem expleuit, necdum transacto eorum annorum spatio, quo tunc communis hominum

Hebræi mortuū Henoch cur putent.

ipse a peccatore deseratur, vt Tridentini Concilij canone statutum est.

Lib. 4 de Trin. e oper. cap. 7. Porro Caini desperantis meminit Rupertus Abbas, dum inquit; *Desperati, & de Dei clementia malè sentientis est, quod ait, maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Idem arbitratur D. Isidorus ad hunc modum scribens. S. Isidorus. *Peccata peccatis adiungens desperat, nec credit veniam se posse adipisci, quod est blasphemia in Spiritum Sanctum.* Venerabilis Beda Beda. sex criminibus enumeratis, quæ Abelum interimens Cain commisit, *septimum est*, ait, *quod se ipsum desperauit.* Consentiunt Lyranus, Glossa interlinearis, Hieronymus Oleaster, Procopius Gazæus, & vna cum cæteris catholicis scriptoribus Ambrosius Catharinus, cuius in cap. 4. Genesis hæc sunt verba. *Hic ponitur Cain desperatio, & in hoc magis peccauit Cain, quàm in omnibus præcedentibus, quia peccatum præcedens fuit ad nocumentum proximi, eum occidendo; desperatio autem contra Deum directè est, quia per eam creditur, Deum non habere tantam potentiam, vt possit peccata dimittere, vel non habere tantam bonitatem, vt hoc velit.* Sic Catharinus, qui desperantis Caini verba enarrãs docet, hanc solam catholicæ veritati congruentem esse posse illorum verborum intelligentiam. *Secundum doctores catholicos debet intelligi littera ista, vt verba desperantis sint.* Licet Catharino antiquior Caietanus vulgatæ huic explanationi non ita facilè acquiescat, vt diximus.

Hinc patet non audiendos esse Hebræos, qui interrogatiuè hunc scripturæ locum legentes arbitrantur, Cain de pœna a Deo infligenda conquæstum, quasi dicere vellet. Domine cur tam diras mihi pœnas infligis? numquid maior est iniquitas mea quam sit miseratio tua? Verùm æterna morte mulctatum vna voce tradũt D. Basilius Hom. de inuidia. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Genesim, Chrysostomus homilia 19. in Genesim, Bernardus sermone 17. & alibi passim, S. Gregorius lib. 29. Moral. 6. Augustinus de vita Christiana tract. 8. cap. 13. vbi *Cain quoq;* ait, *non perfidiæ causa, sed quia fratrem interimerat, comdemnatus est*, & sermone de tempore 104. aliam iustæ Cain damnationis caussam enarrans; *Cain*, inquit, *quia negauit parricidium, quod commisit æterna pæna dammnatus est*, quod intelligendum reor de negatione, quæ manifestam criminis comprobationem præcesserat, cum dominus dixit. Vox Sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Postmodum enim crimen suum fassus est dicens, *maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear.*

Cur Cain sceleris veniam non inuenit. At cur sceleris cõmissi veniã nõ obtenuit Cain? D. Ioannes Chrysostomus intẽpestiuæ, & extẽporaneæ confessioni causã tribuit, eo ꝙ Cain Deo petenti sero facinus cõfessus sit. *Ecce*, inqnit Chrysostomus, *absoluta confessio &c. sed nihil inde lucri dilecte. Intẽpestiua enim confessio est.* S. Chryst. *Hoc enim facere oportebat tempore congruo, quando adhuc impetrari poterat a indice misericordia* & paucis interiectis; *Oportebat enim tunc, cum interrogaretur a Domino. Vbi est Abel frater tuus? confiteri peccatum, & procedere, & orare,* & *veniam petere. Ipse verò tunc quidem medicinam reiecit, nunc autem post sententiam, post finem, post omnia, postquàm clara voce accusatus a sanguine in terra iacentis, confitetur, nihilq; lucri facit.* Prouerb. 18. *Vnde Prophetadicebat. Iustus sui ipsius accusator est in principio sermonis. Et hic quoq; si præuenisset domini reprehensionem, omninò misericordiã*

consecutus

consecutus fuisset propter immensam Domini benignitatem. Sic Chrysostomus, cuius sententiæ (pace præclarissimi, sanctissimiq; Patris) an multum tribuendum sit, ignoro, cum ad extremum vsq; morientis hominis spiritum, velut Latroni in Cruce accidit, certa salutis, diuinęq; miserationis spes cuilibet diuina adiutrice gratia affulgere possit. Nec finalis de æterno Cain supplicio illa Dei sententia fuit, sed temporalis, de ærumnis nempe, ac miserijs, quibus Cainum ob fratricidij crimen Deus obnoxium fecit.

Nos in disperationem finalis inpœnitentiæ causam conijcimus; non enim veniam deprecantis, sed veniam desperantis ea confessio fuit, vti præter citatos patres egregiè docet D. Bernardus, qui Cainum Iudæ proditori assimilans. *Iudas certè,* inquit, *proditor Domini, & Cain fratrecida confessi sunt, & diffisi,* & in lib. sententiarum crudelem, & disperatam vtriusq; confessionem appellat. *Tres sunt speties pænitentiæ. Simulatoria, & infructuosa, cuius exemplum est in Esau, & Saul. Crudelis, & desperata, sicut in Cain, & Iuda.* Et rursus serm. 3. in laudem B. Andreę Apostoli hæc de Caino & Iuda scripta reliquit. *Cain, & Iudas purè, & humiliter confessi sunt, sed nequaquàm fideliter, quia alter eorum desperans ad laqueum cucurrit: alter illud grande scelus euomuit. Maior est iniquitas mea, quā vt veniam merear. Mentiris latro, quia maior est pietas Dei, quam quæuis iniquitas, quia miserationes eius super omnia opera eius.* Iurè igitur B. Augustinus, eos, qui Cain fortissimæ cuiusdam fuisse virtutis virum olim asserere non dubitarunt, hæresis vitio notat.

Serm. 16 super Cātica.

Lib. de hæresib. hæresi 18.

De Moribus Henoch deq; iugi illius innocentia.

Cap. IIII.

HENOCH in humana propagatione septimus post Adam, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, & Iared cum trecētis sexaginta quinq; annis vixisset, e societate humana ad felicissimam vitam miserijs omnibus carentem Angelorum ministerio translatus est, exactis ab exordio mundi fermè mille annis, ante diluuium verò sexcentis sexaginta nouem. Et quamuis non adhuc planè constet vbinam terrarum quietè degat (omnes enim fermè sancti, & vetustiores Patres in paradiso terrestri; recentiores verò nec pauci, nec minuti auctores in aliqua alia orbis parte amęnissima, eo quod paradisus terrestris diluuij tempore perierit, viuere eum tradunt) illud tamen inconcussè sustinendum est, corporeis eum spolijs circumseptum adhuc viuere; neq; enim, (vt delirant Hebræi, quorum dux est Rabbi Auen Esdra) diuina largitate, & beneuolentia, ne in peccata rueret, ad quæ trahebatur quibusdam naturę suæ igniculis, mortalitatem expleuit, necdum transacto eorum annorum spatio, quo tunc communis homi-

Hebræi mortuū Henoch cur putent.

num vita circumscribebatur: sed viuens, & incolumis vniuersitatis finem præstolatur, qui post AnteChristi dominatum futurus est: nempe vt temerarios perditi illius hominis conatus refrænet, sana doctrina infringat, pijsq; eorum temporum hominibus adiumenti simul, & consolationis non nihil adferat, pro quorum salute, proq; defendenda saluatoris nostri Diuinitate vitam cum sanguine daturus est, quemadmodum vulgatæ, & antiquissimæ traditioni adhærens annotauit Angelicus Doctor in Epist. B. Pauli ad Hebræos super illis capitis 11. verbis *fide Henoch &c.* Ex quibus manifestè eorum redarguitur opinio, qui diuina quadam ratione humano ingenio inexplorata beatam vitã omnis terrenæ mortis immunem adeptum esse Henoch temerè iactant.

Procopius Gazęus.

Cur Deus Henoch trãstulit.

At Cur Deus Henoch trãstulit? Vt specimẽ eius immortalitatis præberet hominibus, quam Adam, cæteriq; omnes habuissent, si mandatis Dei parens ipse omnium obtemperasset. Tum ne malitia immutaret cor Henoch, qua peste omnes eius tempestatis mortales laborabãt. Prẹtereà, vt veritatis catholicæ testem locupletissimum electi in turbulentissimo Antichristi bello haberent; mitto in præsentiarum eas rationes recensere, quas per se lector videre poterit apud D. Ioannẽ Chrysostomum, & Theodoretum q. 45. in Genesim.

Homil. 21 in Genesim.

Illibatam verò, omnisq; peccati, & sceleris nesciam vitam iugiter duxisse Henoch negat Pro copius Gazęus verbis illis sacræ scripturæ permotus. *Porrò Henoch vixit sexaginta quinq; annis, & genuit Mathusalem, & ambulauit Henoch cum Deo.* vbi, *si tum*, inquit, *demum postquã genuit Mathusalem placuit Deo Henoch, certè antequam gigneret, vt scriptura docet, non gratus, & acceptus erat Deo. Quod igitur amore eum complexus sit Deus, pænitentiæ quam egit, imputari debet.* Verùm ni plus apud Procopium significent, quã re ipsa significandi vim habere possunt ea codicis sacri verba, non erat istud affigendum sanctissimo viro, quem omnes Patres vt Deo semper charissimum prædicant; quis enim duo hæc nexa inuicem, & colligata dixerit, aut quis ex eo quod post genitum Mathusalem cum Deo ambulasse Henoch tunc solum scriptura memoret, ante Mathusalemi generationẽ peccati laqueis irretitum Henoch adseueret?

Nũ Henoch aliquid scripserit.

Neq; illud cognitu iniucundum fuerit. Num posteritati propheticos sermones litteris consignarit Henoch, quemadmodum canonica Beati Iudæ Apostoli epistola præse ferre videtur, dum inquit *Prophetauit autem de his septimus ab Adam Henoch dicens. Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iuditium.* Nonnulla scripsisse Henoch arbitrati sunt Origenes homilia vltima super librum Numerorum, Tertullianus libro de habitu mulierum, a quorum sententia non longius abijsse Augustinum indicant illa eiusdem verba, quæ sunt in capit. 38. lib. 18. de Ciuit. Dei. *Quid Henoch septimus ab Adam. Hic enim et in canonica epistola Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur? quorum scripta, vt apud Iudæos, & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas.* Horum Patrum sententias secuti sunt Procopius Gazęus, Catharinus, & alij vetustiores, qui libros suos prophetiæ Henoch vaticinijs non semel illustrarunt.

Henoch tamen nulla scripta posteritati legenda reliquisse innuere videtur

videtur Hieronymus, dum epistolam Beati Iudæ Apostoli nonnullis suspectæ fidei visam esse scribit, ob id maximè, quòd in ea apocrypha prophetia Henoch in testimonium adducatur. Hieronymo consensit Michael Medina de recta in Deum fide, & alij recétiores communiter, qui ex sola traditione ab temporibus Henoch vsq; ad B. Iudam Apostolum prophetica quædam peruenisse tradunt. Cap.24.

Primæ opinioni tam vulgatæ, tantisq, Patribus probatæ etsi denegare assensum planè non ausim, in posteriorem tamen proniori sensu ducor. Etenim iure quodam hæreditario ab Henoch in primis; tum a Noe, Sem, & Iaphet, & ab alijs subinde certa traditione peruenisse istud ad aures B. Apostoli Iudæ, ac cęterorum hominum illius tempestatis potuit: aut certe diuino illustratu, non secus, ac rerum initia Moysi diuinitùs innotuere. Quamquam non putem inficiandum, subsequentibus postmodum seculis, dolo, ac hæreticorum fraude pernitiosis, atq; nouis dogmatibus studētium factum esse (capta ex prophetia Henoch occasione) vt ij pleraq; falsa, & absurda confixerint, ac veris commentitia miscentes librum ediderint nomine Henoch prænotatum ad fallendos simplices, ac incautos nascentis Ecclesiæ fideles; qui tandem apocryphus liber ipsa temporis edacitate, piaq; fidelium diligentia sit consumptus; ex quo factum est, vt summus rerum Antistes Gelasius, qui eius generis libros damnauit, de apocryphis Henoch prophetijs nihil sit eloqutus, propterea quòd eæ iam tum pęnitus euanuissent.

Qui curiosius indagare, sibiq; enucleatius explicari vellet, qui fieri possit, vt tot annorum millibus cęlestem in terris vitā sine cibo, & potu felicissimam viuat Henoch, consulat Augustinū libro primo de peccatorum meritis, & remissione ad Marcellinū cap.2. & 3. ibiq; totum istud negotium non latè minus, quàm subtiliter explicatum comperiet.

Samsonem humano more lapsum non peccasse cum sibi, ac Philistæis insigni domus ruina mortem intulit.

Cap. V.

Samsonem non esse conijciendum in classem eorum de quorum salute merito ambigi potest, primo intuitu suadent, & mutua fidelium consensio, qua ciuis esse sanctorum creditur, & insigne Sancti Pauli ad Hebræos pro beatitate illius testimonium qui cum præclaros sanctitate, & innocentia heroes, qui iugiter Deum intuentur, recensuisset, hæc subiecit. *Et quid adhuc dicam? deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samson, Iephte, David, Samuel, & Prophetis.* At quis Gedeone iustior, cui astra ipsa famulabantur? quis Cap.11.

 Dauide

num vita circumscribebatur: sed viuens, & incolumis vniuersitatis finem præstolatur, qui post AnteChristi dominatum futurus est: nempe vt temerarios perditi illius hominis conatus refrænet, sana doctrina infringat, pijsq; eorum temporum hominibus adiumenti simul, & consolationis non nihil adferat, pro quorum salute,proq; defendenda saluatoris nostri Diuinitate vitam cum sanguine daturus est, quemadmodum vulgatæ, & antiquissimæ traditioni adhærens annotauit Angelicus Doctor in Epist. B. Pauli ad Hebræos super illis capitis 11. verbis *fide Henoch &c.* Ex quibus manifestè eorum radarguitur opinio, qui diuina quadam ratione humano ingenio inexplorata beatam vitã omnis terrenæ mortis immunem adeptum esse Henoch temerè iactant.

Procopius Gazæus.

Cur Deus Henoch trãstulit.

At Cur Deus Henoch trãstulit? Vt specimẽ eius immortalitatis præberet hominibus, quam Adam, cæteriq; omnes habuissent, si mandatis Dei parens ipse omnium obtemperasset. Tum ne malitia immutaret cor Henoch,qua peste omnes eius tempestatis mortales laborabãt. Preterea, vt veritatis catholicæ testem locupletissimum electi in turbulentissimo Antichristi bello haberent; mitto in præsentiarum eas rationes recensere, quas per se lector videre poterit apud D. Ioannẽ Chrysostomum, & Theodoretum q. 45. in Genesim.

Homil. 21 in Genesim.

Illibatam verò, omnisq; peccati, & sceleris nesciam vitam iugiter duxisse Henoch negat Pro copius Gazeus verbis illis sacræ scripturæ permotus. *Porrò Henoch vixit sexaginta quinq; annis, & genuit Mathusalem, & ambulauit Henoch cum Deo.* vbi, *si tum*,inquit, *demum postquã genuit Mathusalem placuit Deo Henoch, certè antequam gigneret, vt scriptura docet, non gratus, & acceptus erat Deo. Quod igitur amore eum complexus sit Deus, pænitentiæ quam egit, imputari debet.* Verùm ni plus apud Procopium significent, quã re ipsa significandi vim habere possunt ea codicis sacri verba, non erat istud affigendum sanctissimo viro, quem omnes Patres vt Deo semper charissimum prædicant; quis enim duo hæc nexa inuicem, & colligata dixerit, aut quis ex eo quod post genitum Mathusalem cum Deo ambulasse Henoch tunc solum scriptura memoret, ante Mathusalemi, generationẽ peccati laqueis irretitum Henoch adseueret?

Nũ Henoch aliquid scripserit.

Neq; illud cognitu iniucundum fuerit. Num posteritati propheticos sermones litteris consignarit Henoch, quemadmodum canonica Beati Iudæ Apostoli epistola præse ferre videtur, dum inquit *Prophetauit autem de his septimus ab Adam Henoch dicens. Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iuditium.* Nonnulla scripsisse Henoch arbitrati sunt Origenes homilia vltima super librum Numerorum, Tertullianus libro de habitu mulierum, a quorum sententia non longius abijsse Augustinum indicant illa eiusdem verba, quæ sunt in capit.38. lib.18.de Ciuit. Dei. *Quid Henoch septimus ab Adam. Hic enim & in canonica epistola Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur? quorum scripta, vt apud Iudæos & apud nos in auctoritate non essent, nimia fecit antiquitas.* Horum Patrum sententias secuti sunt Procopius Gazęus, Catharinus, & alij vetustiores, qui libros suos prophetiæ Henoch vaticinijs non semel illustrarunt.

Henoch tamen nulla scripta posteritati legenda reliquisse innuere

videtur

videtur Hieronymus, dum epistolam Beati Iudæ Apostoli nonnullis suspectæ fidei visam esse scribit, ob id maximè, quòd in ea apocrypha prophetia Henoch in testimonium adducatur. Hieronymo consensit Michael Medina de recta in Deum fide, & alij recétiores communiter, qui ex sola traditione ab temporibus Henoch vsq; ad B. Iudam Apostolum prophetica quædam peruenisse tradunt. Cap.24.

Primæ opinioni tam vulgatæ, tantisq, Patribus probatæ etsi denegare assensum planè non ausim, in posteriorem tamen proniori sensu ducor. Etenim iure quodam hæreditario ab Henoch in primis; tum à Noe, Sem, & Iaphet, & ab alijs subinde certa traditione peruenisse istud ad aures B. Apostoli Iudæ, ac cęterorum hominum illius tempestatis potuit: aut certe diuino illustratu, non secus, ac rerum initia Moysi diuinitùs innotuere. Quamquam non putem inficiandum, subsequentibus postmodum seculis, dolo, ac hæreticorum fraude pernitiosis, atq; nouis dogmatibus studétium factum esse (capta ex prophetia Henoch occasione) vt ij pleraq; falsa, & absurda confixerint, ac veris commentitia miscentes librum ediderint nomine Henoch prænotatum ad fallendos simplices, ac incautos nascentis Ecclesiæ fideles; qui tandem apocryphus liber ipsa temporis edacitate, piaq; fidelium diligentia sit consumptus; ex quo factum est, vt summus rerum Antistes Gelasius, qui eius generis libros damnauit, de apocryphis Henoch prophetijs nihil sit eloqutus, propterea quòd eæ iam tum pęnitus euanuissent.

Qui curiosius indagare, sibiq; enucleatius explicari vellet, qui fieri possit, vt tot annorum millibus celestem in terris vitã sine cibo, & potu felicissimam viuat Henoch, consulat Augustinũ libro primo de peccatorum meritis, & remissione ad Marcellinũ cap.2. & 3. ibiq; totum istud negotium non latè minus, quàm subtiliter explicatum comperiet.

Samsonem humano more lapsum non peccasse cum sibi, ac Philistæis insigni domus ruina mortem intulit.

Cap. V.

Samsonem non esse conijciendum in classem eorum de quorum salute merito ambigi potest, primo intuitu suadent, & mutua fidelium consensio, qua ciuis esse sanctorum creditur, & insigne Sancti Pauli ad Hebræos pro beatitate illius testimonium qui cum præclaros sanctitate, & innocentia heroes, qui iugiter Deum intuentur, recensuisset, hæc subiecit. *Et quid adhuc dicam? deficiet me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis.* At quis Gedeone iustior, cui astra ipsa famulabantur? quis Cap.11.

Dauide Sanctior, qui diuino testimonio toties repetito vir amicissimus, ac secundum cor diuinum appellatur? quis æternam Prophetarum salutem in dubium poterit reuocare, quos æternam mercedem adeptos certo fidei nostrę decreto constat? at his Samsonem associat, ijsdemq; ornatum esse virtutibus testatur Paulus? Cur ergo extra omnem disceptationem in cętum beatorum non erit cooptandus Samson?

Probabilissimæ quidem coniecturæ, & vt mea fert opinio, solidæ etiam rationes, quibus degere cum cęlestibus Samsonem non obscurè ostenditur, nisi S. Ioannis Chrysostomi in primis scrupulum inijceret auctoritas, qui hunc ipsum Apostoli locum pertractans, sic eum explicat, vt non solùm consummatæ felicitati Samsonis eo loci non suffragetur Apostolus, sed verius aduersetur. Cæterum quò lector plenius, ac securius rem ad viuum resecare possit, audiat Chrysostomi verba, & sententiam. *Quidam Paulum reprehendunt, quod Barach, Samson, & Iepte in his ponat locis. Quid dicis? Cum meretricem posuerit hos non ponet? Ne mihi aliam eorum vitam dixeris; sed num non crediderunt, & fide resplenduèrunt. Et Prophetis, qui per fidem vicerunt regna. Vides quod non fiat hic testimonium de vita præclara: non enim erat id, quod quærebatur, sed fidei erat examinatio. Nam dic mihi an non fide vniuersum confecerunt.* Ex qua Chrysostomi interpretatione duo habentur. Alterum, nihil hinc haberi de præclara Samsonis vita, & moribus, quibus æternam vitam poterat promereri, & ex quorum consideratione de sempiterna felicitate, aut miseria illius iuditium ferri potest. Alterum, vitam Samsonis reprehensioni fuisse obnoxiam, dum Raab meretrici haud æquandum illum arbitratur.

Hom. 17. in ca. 11 epist. ad Hebræos

Subscripsit eidem sententiæ Theophylactus mutuatus integrã Chrysostomi opinionem dum ait. *Quærunt nonnulli cur Iephte, Samson, & Barach illum inducit hoc loco? Quid verò id quærunt? Qui enim meretricem induxit, non ne & istos adijceret? Non enim horum nunc disserenda est vita, sed vtrum fide claruerint nec ne cogitandum, fidei namq; non vitæ argumenta disquirit hoc loco Apostolus*, ita Theophylactus, cui subsequentibus seculis adhærens Caietanus ait. *Et quoniam auctor non explicat in specie gesta singulorum ex fide: ideo intelligendum est in tantum eos ad propositum afferri, in quantum fide aliquid operati sunt, aut receperunt.*

In cap. 11. ad Hebręos

Hactenus recitatis auctoritatibus suffragari videntur mortifera peccata, quibus Samson obstrictus fuit, dũ viueret, quæq; annotauit Abulensis, qui causas exquirens, cur dei iuditio in Philistinorum manus cadere permisus sit, has in medium affert, quæ salua Samsonis innocentia fieri non poterant. *Primò quia omnes alij Iudices erant viri boni, prudentes timentes Deum, & tenentes legem illius, Samson autem erat iuuenis, & stultus, nõdum viginti annos egerat, quando mortuus est, & cum viribus excelleret, omnes homines superbiebat, & dominabantur in eo passiones iuueniles, in quibus Deum offendebat amando imtemperatè mulieres Philistinas. Debuit ergo a Deo puniri iste, & non cæteri Iudices, qui rectè viuebãt.* Quin hoc idem latius edisserens tradit ad idololatriã Samsone Iudice versos Israelitas, quod crimini vertendum fuisse Samsoni tacitè innuit: sicuti Iosephi testimonio vitio eidem tribuendum clarè contendit, quod illatas Philisthæis clades proprijs viribus non autem Deo acceptas referebat.

Quæst. 48. cap. 16 Iud.

erebat. *De Samsonis demeritis*, ait Tostatus, *apparet, quod aliquando in victorijs, quas habet contra Philisthinos, non putabat Deum præsidere, sed ipse tamquam viribus suis gloriabatur. Sic dicunt fuisse in victoria quando fugauit exercitum Philisthinorũ, & occidit mille viros, & ob hoc vt cognosceret magnitudinem Dei, & ab eo prouenire omne bonum, dedit sitim maximam in eo, itaut lassaretur ad mortem, & timeret cadere in manus Philisthinorum, & tunc vexatione coactus ad Dominum conuersus est dicens. Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, & victoriam, & heu siti morior, ita Ioseph 5. antiquitatum. Samson ergo plusquam oportebat exultans non Deo operationem credebat, sed suis viribus adscribebat, eo quòd per maxillam alij hostium cæsi sunt, & alij fugati sunt, sed irruit in eum sitis dura, & tunc cognouit Dei virtutem.* Præterea quid memorem fœda illius libidinis vitia, cuius æstu abreptus Philisthinis mulieribus abutebatur non solum in Gaza, verum etiam in valle Thoret. ex qua eadem radice lethalis culpa pululauit, qua vxorem duxit Philisthinam, reclamantibus legalibus institutis, quibus matrimonia Hebræis cum alienigenis prohibebantur. Postremo quod grauissimum scelus videtur, Samson sibi ipsi manus intulit, domum demolitus, cuius excidio cum Philistheis oppressus interijt: iuribus autem naturæ repugnat, siue aliũ, siue se ipsum quis necet, cum lex & diuina, & naturalis sit. *Non occides.* Quæst. 36. in cap. 16. Iud.

Angelicus Doctor citatum S. Pauli testimonium enucleans, & si libere concedat nonnullos istorum, quos recensuit Apostolus, deliquisse, in quorum numero Samsonem haud dubiè statuit, attamen non vt certum, sed vt probabile arbitratur æterno æuo potiri Samsonem. *Sciendum tamen quod aliqui istorum aliqua mala fecerunt, & aliqua bona, vnde non numerantur hic nisi quantum ad bona, quæ fecerunt, vel receperunt. Tamen probabile est, quod omnes fuerint finaliter sancti, ex quo Apostolus nominat eos in cathalogo Sanctorum.* In cap. 11. ad Hebræos

Aetatis nostre vir de sacris litteris bene meritus dubiam, & incertam hanc esse ait de salute Samsonis quæstionem, & adhuc inter doctores agitatam, quamuis sententiam, quæ pro salute Samsonis pugnat, proniori sensu amplectatur. Salmeron disput 20. in cap. 11. ad Hebræos.

Samsonem diuinam in cælis maiestatem contemplari.

Cap. VI.

EGO Samsonem æternam felicitatem assecutum reor motus non solùm ijs rationibus, quę in capite huius disceptationis allatæ sunt, verum etiam assensu, & auctoritate SS. Patrum, quorum testimonia deinceps exequar. Etenim Anastasius Nicenus q. 62 in sacram Scripturam Sanctum Samsonem appellare non dubitat ita scribens. Tom. I. Bibliot. Patrũ.

scribens. *At non erat pulcher? & quis eo pulchrior, qui in capite gestabat septem crines portans imaginem gratiæ septemplicis? At non erat fortis. Et quis eo fortior, qui fortem leonem in via solus confecit, & vna asini maxilla mille strauit alienigenas? Erat autem adeo sanctus, vt cum ipse aliquando sitiuisset, precatus sit in aquæ penuria, & ex maxilla (quam manu tenebat mortuam) aqua emanarit, & ex ea hauserit. Et cum tam pulchrum, tam fortem, tam sanctum vt eius vxor tanquã hostẽ vinctum tradiderit alienigenis, quem occæcatum habebant ludibrio?*

Pachiarius, qui S. Augustini temporibus floruit, in ea epistola, quam de recipiendis lapsis dedit ad Ianuarium inter sanctos martyres Samsonem refert, quem sanguinis effusione libidinis notas, & fœditatem deleuisse memorat cum inquit. *Quid mirum si ille, quem fornicationis hasta percussit, in passionis congressione superauerit? quid si victor fuerit in martyrio, quem vicerat incontinentia, & libido? Non ne sic fecit ille Nazaræus ex repromissione natus, quem cum in perniciem sui mulieris blandimenta vicissent, postmodum in finem obitus sui sub martyrij passione maiorem inimicorum exercitum prostrauisse, quàm ante, quando Nazaræus, hoc est immaculatus fuerat reperitur.*

Tom. 1. Bibl. Patrum. Præterea cœlestem patriam reserari iustis certum religionis nostræ decretum est: at talem fuisse Samsonem Antiochus Monachus hom. 65. testatur illud Micheæ Prophetæ vaticinium explicans. *Noli fidem habere amicis, & à conthorali tua caue, & nihil illius fidei committe.* Vbi ait. *Hoc eo dixit, ne forte eadem toleremus, quæ & Samson. Iusto enim huic, quæ cum ipso viuebat communiter, inexplicabiles conciuit turbas*, & mox. *Nec secus altera thori concors, nempe Dalida subdolis verbis Iusto cum imposuisset, effecit, vt hic tantus publicæ esset insultationi inimicis suis, is, qui Angelica professione conceptus est.*

In epist. ad Hebr. Nec pro salute Samsonis Sancti Anselmi votum desideramus, qui eos omnes, quorum nomina citato loco expressit Apostolus, æterna felicitate donatos docuit: quærens enim quid esset intelligendum nomine repromissionum, quas adeptum esse cum alijs Samsonem dixerat Apostolus, ita respondet. *Adepti sunt repromissiones, idest remunerationes supernæ beatitudinis*, & infra addit. *Vnde Apostolus ponit eum* (de Samsone loquitur) *inter eos, qui adepti sunt repromissiones*. Eiusdem sententiæ propugnatorem fuisse Theodoretum ea, quæ scriptis consignauit, fidem astruunt: Etenim putans constituendum in eodem ordine Samsonem, in quo Raab meretricem posuerat, vtriq; sortem beatarum mentium Dei miseratione concessam arbitratur. *Hæc autem, quæ Abraha quidem cognatione procul aberat, erat autem a legalibus institutis aliena, & libidinose, & impudicè magnam vitæ suæ partem transegerat per fidem salutem est consecuta.* Et Paulo post ait. *Cum horum mentionem sic fecisset diuinus Apostolus, & eorum, quæ dicta sunt, vidisset longitudinem aceruatim cæterorum meminit. Et quid adhuc dicam? Deficeret enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Iephte, quos pariter ad æternæ voluptatis appulisse portum tota capitis serie docet.*

Sanctus Paulinus Epist. 4. ad Sulpitium Seuerum sacri hæroic titulo Samsonem insigniuit, haud merito, (si diuinę amicitiæ particeps non esset) tali vocabulo decorandum, vti nec egisset Paulinus, qui ad clarius

apetien-

aperiendam tanti herois sanctitatem, asserit spiritali luce, quæ cælestis gloriæ semen est, numquam priuatum Samsonem, quamuis corporeis oculis captus esset. *Sed & cæcitate Samsonis, qui corporeis tantum captus oculis, spirituales non amisit, illuminor ad intellectum bonum, & exemplo illius sciam, quos magis debeam oculos habere. Non enim inuocasset ille vir Dominum in suæ virtutis auxilium, nisi mentis oculos habuisset incolumes, cuius lumen est Christus.* Ex quibus agnoscat lector, quàm strenuè pugnet pro Samsonis felicitate Paulinus, qui tandem exoptat sibi talem cæcitatem, & mortem, qualem Samson sustinuit. Illius verba sunt *Itaq; & mortem mihi Samsonis, & cæcitatem volo, vt viuam, & videam Deo. Nam forsitan nihil ille receptis propter futurum mysterium in coma viribus, recipere simul, vt amiserat, oculos ideo desiderauit, quia virtus illa cælestis gratiæ internis sana hominibus corporeo non egebat obtutu*, cuius testimonij postrema clausula id præcipuè testatur, quod asserimus.

Certe hac sententia delectatum olim B. Augustinum ex ijs liquido constat, quæ habet aduersus Gaudentium lib. 1. cap. 23. vbi diuino instinctu Samsonem sibi vitam ademisse contendit: at si diuinæ voluntati obsequens vitam mortalem spreuit Samson, èuangelica voce iam beatus dignoscitur. *Qui*, enim ait Christus, *perdiderit animam suam propter me in vitam æternam custodit eam.* An eodem spectauit Ambrosius in epistola 23. quæ Vigilio fratri inscripta est, dum Samsonem virum magnum, præstantissimum, ac diuina voce prædestinatum appellat? *Ortus est illis* (Hebræis) *Samson diuino oraculo prædestinatus, magnus vir, nec in pluribus numerandus, sed in paucis præstantissimus.* Ad extremum in hanc sententiam interpretarer, quæ S. Hieronymus ad Euagrium Præsbyterum de Melchisadeco, & Beda Venerabilis libro primo expositionis in Iob super illis verbis. *Ipse nouit decipientem, & eum qui decipitur*, memoriæ prodiderunt pari assensu docentes Samsonem typum Christi Domini fuisse. *Samson*, ait Hieronymus, *quoq; amator meretricis, & pauperis Dalilæ multo plures moriturus quam viuens occidit, vt Christi exprimeret passionem: omnesq; penè Sancti Patriarchæ, & Prophetæ in aliqua re figuram expresserint Saluatoris*: vbi nemo non videt, sanctum visum esse D. Hieronymo Samsonem, cum in illo non secus, ac in Sanctis Patriarchis, & Prophetis expressa Saluatoris nostri figura reluceret.

Tandem Bedam ita loquentem audiamus. *Samson, qui gratiam Spiritus in septem crinibus mystico numero possidebat*, & post. Tom. 4.

Quodq; ait, *alienigenam duxit vxorem, & ad mulierem meretricem ingressus est, sicut & Osea Propheta, qui fornicariam iubetur accipere, Christum in se præfigurauit.*

De argumentis contra æternam Samsonis salutem pugnantibus.

Cap. VII.

Reliquum igitur est, vt hi nexus dissoluantur, quibus hæc disceptatio complicata iacet. Quare etsi fatear allato D. Chrysostomi testimonio trahi lectoris animum in eam sospicionem, quæ Samsonis perditionem ingerit, tamen si singula allati testimonij verba expendamus, hanc in se tantum sententiam habent. Samsonem fuisse ingenti fide præditũ, qualis qualis illius vita fuerit: quis autem ex hac Chrysostomi sententia atrum de salute Samsonis illius esse calculum meritò colligat? quis (etsi sæpius numen lesisset patratis sceleribus) eum tradet ad gehennale incendium atroci iuditio? quasi vero non sit benignus Dominus, & velox ad indulgendum, tardus autem ad vindictam. An non Dauid & Raab, & tot alij cælestis regni proceres Deo nonnunquàm iniuriosi fuerê, & tamen diuinis delicijs perfruuntur: cur ergo eorundem concors, & collega simili diuina miseratione donari non potuit Samson?

Quod verò ad Theophylacti votum attinet, id iam satis clarum est ex ijs, quæ diximus de auctoritate Chrysostomi, ex cuius fonte emanauit.

Nec iure infertur Samsonis damnatio ex obiectis criminibus. Esto enim quandoq; fuerit iuuenis stultus, ac deperierit Philisthinas mulieres: at numquid diuinæ iræ obnoxius e viuis recessit? quin sanguinis sui effusione pro sceleribus satisfecisse eum irato numini clarum est, si martyr teste Pachiario fuit Samson? Quod si victoria Philistinorum elatos, nimium spiritus gessit diuinæ beneficentiæ immemor, cogita Iosephũ, qui fastus Samsonis auctor est, pœnitentiæ eiusdem, qua gnarus criminis sui supplex Deo veniam deprecatus est, meminisse, cum ait. *Et tunc vexatione coactus ad Dominum conuersus est dicens. Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, & victoriam, & heu siti morior.*

Iosephi in Sanctorũ testimonijs expenditur.

Verum Anastasius Nicenus innocentiæ Samsonis propugnator acerrimus non ex siti humilitatem, aut pœnitentiam, sed ex illius sanctitate miraculũ aquæ ex maxilla asini scaturientis argumentatur sic scribens. *Erat autem adeo sanctus, vt cum ipse aliquando sitiuisset, precatus sit in aquæ penuria, & maxilla, quam manu tenebat mortuam, aqua emanarit, & ex ea hauserit.*

Tom 1. Bibl. Patrum in scripto q. 63

Cur autem Samsoni culpæ tribuatur, quod Hebræorum populus eo Iudice per præceps in idololatriã corruerit, haud satis liquet reputanti hoc scelus non semel perpetratum ab Hebræis, ducibus eiusdem populi Moise, Arono, Gedeone viris omni sanctitate conspicuis. At si turpe fuerit, & iniuriosum ponere illis ducibus in crimine nefario idololatriam, cur isti meritò ponendum erit, cuius vitæ ratio huius criminis

plane

plane nescia fuit? Neq; pro excusatione intemperantiæ Samsonis, si qua fuit, plura hic a nobis memoranda sunt, quam quæ breuiter tradidit Pachiarius citato loco ita scribens. *Quid mirum, si ille, quem fornicationis hasta percussit in passionis congressione superauerit? Quid si victor fuit in martyrio, quem vicerat incontinentia, & libido?* D. Hieronymus Oseæ Prophetæ, qui diuino iussu scortum duxerat, & Iudæ Patriarchæ intrantis ad nurum suam Thamar, quam arbitrabatur meretricem, facta expendens, in illis non peccatum, sed diuinum nō secus, ac in Samsone cum meretrice congrediente cognoscere se consilium testatur ijs vocibus, quæ sunt in proœmio libri Oseæ Prophetæ ad Pammachium. *Intelligimus enim quis sit Iudas Patriarcha electus in regem, nec miramur, cur ad Thamar quasi ad meretricem vir sanctus introiuerit. Quare Samson, qui interpretatur sol, Dalilā amauerit, quæ transfertur in pauperem, & per eam irrisus, & mortuus aduersariorum millia trucidarit.* Congressus Samsonis cū Dalila mysterio nō vacauit.

Quamuis me magis delectet S. Augustini opinio, qui latitare mysterium in eo quod ad meretricem se contulerit Samson, primò innuere videtur, & mox ad scortum Samsonem concessisse fassus, non tamen eidem corpus suum communicasse credit, cum nihil huiusmodi in sacro eloquio habeatur; Audiat Augustini sententiam breui velut dilemate comprehensam qui eam nosse cupit. *Quod autem intrauerit ad meretricem, si sine causa fecit, quicumq; fecit immundus est. Si non ita intrauit, vt cumcumberet, mysterij causa fortassis intrauit, sed concubuisse non legimus.* Tom. 10. Serm. 197

De matrimonio cum Philisthina muliere inito censuere nonnulli, affermari posse probabili assensu, tūc obstrictum mortifero vinculo Samsonem, cum alienigenæ associatus est, ob legalis præcepti læsionem: at omni probabilitate eorum carere sententiam maiori probabilitate asserendum est, sacris litteris auctoribus, quæ de hoc coniugio agentes ita loquuntur. *Parentes autem nesciebant, quod res a Deo fieret:* at Deus Iacobo Apostolo teste intentator malorum est; quis ergo criminabitur opus esse, peccati feditate illitum, cuius motor, & effector sit Deus? Vidit hoc B. Anselmus, memoriæq; prodidit dicens. *Sicut & antea illi inspirauerat, vt vxorem de filiabus Philisthinarum acciperet, cum lex hoc prohiberet; nam sicut in acceptione vxoris alienigenæ fecit per voluntatem Dei, quod lex interdixerat, & non peccauit, ita &c.* Tost. qu. c. 14. Iudic. In sua Canonica epistola.

Tandem quod de nece Samsonis sibi illata opponebatur S. Augustini iuditium est, diuino id afflatu contigisse, nec fas esse arbitrari oppositum: agens enim de ijs, qui sibi mortem pepererunt hæc habet. *Verum enim Ecclesiæ aliquibus fide dignis testificationibus, vt eorum memoriam sic honoret, diuina persuaserit auctaritas, nescio, & fieri potest, vt ita sit. Quid enim si hoc fecerunt non humanitus deceptæ, sed diuinitus iussæ, nec errantes, sed obedientes, sicut de Samsone aliud nobis fas non est credere.* Ab Augustino, vt solent, stant Doctor Angelicus lectione 7. eidē testimonio innixus, & Vgo Victorinus qu. 102. qui de Iepthe filiæ virginis occisore tranctans ad rem nostram ait. *Videtur quod stulte egerit vouendo, stultius votum implendo; tamen si occulto monitu Spiritus Sancti hoc fecerit, excusatur, sicut Samson, qui secum Philistheos compressit.* Sic Vgo, qui mea sententia dixisset satius, meruit quam excussatur. Quid enim magni Lib. 1. de Ciuitate Dei cap. 14. In cap. 11. ad Hebræos

momenti est excusari a culpa lethali eum, qui iussu, & afflatu diuino vitæ, & necis domino sibi, aut filiæ vitam, vt Samson, & Iephte, eripuit? An non summæ virtutis facinus censendum est etiam proprij sanguinis effusione Deo obsequi?

In epist. ad Hebr. c. 11. Sensit idem B. Anselmus, qui cum præmisisset Deo instillante Samsonem cum Philisthina inijsse coniugium, addit. *Ita credi potest, quod Spiritus Sanctus illi iusserit extinguere secum ingentem illam hostium multitudinẽ, quæ de eius humilitate laudabat idolum suum, & ad manus improperium faciebat eum ebrium ludere: præsertim cum iam ille spiritus capisset ei pristinas vires reddere ad designationem prioris gratiæ.*

De salute Salomonis.

Cap. VIII.

QVæstio de salute Salomonis omnibus pene anteà decursis seculis agitata adeo nobilis, & inclyta est, vt iusti operis materiam scribenti ingerat, si, qua opus est, cura discutiatur, Nã præterquam quòd res plena difficultatis, & obscuritatis est, obscurior etiam, ac difficilior redditur magno scriptorum inter se maximè opinionum varietate dissidentium numero. Ingens enim doctorum reperitur cumulus, qui rem arcanam relinquant sub iudice, ac nihil certo, & definitè censeant statuendum. Iucundum alijs accidit partes tueri Salomonis, ac illius æternæ beatitudinis esse propugnatores. Talis enim est S. Epiphanius hæres. 42. contra Marcionistas, S. Ambrosius apologia prima, & secunda pro Dauide suscepta cap. 3. & Psal. 118 S. Hieronymus aduersus Iouinianum lib. 2. in cõmentarijs super ca. 11. Danielis, & Ezechielis cap. 43. quibus in locis sæpè Sanctum Salomonẽ appellat, & licet grauius eũ errasse fateatur; serio etiam penituisse tradit, Cyrillus Hierosolymitanus Cathecesi 2. de penitentia latissimè disputans, S. Hilarius enarratione in psal. 52. a quibus stetisse nõ vereor Irenæum lib. 4. aduersus hæreses cap. 45. si diligentius expendantur, quæ scripsit, licet pleraq; adducat in mediũ, quæ varijs vrgeri posse difficultatibus videntur. Omnibus tamẽ tricis expedita sunt, quæ ad patrocinium causæ Salomonis memoriæ mandarunt Bachiarius, S. Thomas, Petrus Comestor, Vincentius Belloacensis, Bonauentura, Vgo Cardinalis, omnes maior, & recentioris æui alij plures passim.

At è regione non pauci fuerunt, qui desperatam Salomonis salutem ducentes eum ad æterna gehennæ tormenta, cum è vita egrederetur, damnatum asserant; vt arbitrantur S. Cyprianus, Gregorius, Theodoretus, Prosper Eucherius, Beda, Rabanus, Sozomenus, & alij, quorum, inter varia rationum momenta, quibus ad suam firmandam opinionẽ vtuntur, illud præcipuum est, quòd ex sacris litteris clare constet, Salomonem

monem cultorem fuisse idolorum, cuius tamen criminis eum pœnituisse inspiratæ diuinitus litteræ nullibi meminerunt.

Mihi valde arridet Sanctorum Patrum Salomonis saluti fauentium opinio, quæ vt numero, & auctoritate cæteris præstat, ita pluribus, ac etiam validioribus nititur fundamentis, quæ quamlibet copiosè exequerer, ni Ioannes Lorinus in prologomenis ad Ecclesiasten & Ioannes Pineda e Societate Iesu Sacerdotes, ac scriptores acuratissimi post tot alios quęstionis huius tractatores hunc mihi laborem præripuissét: toto enim integro libro de rebus gestis Salomonis adeò egregiè disputat Pineda, ac tanta cura, & diligẽtia disserit, vt nihil amplius ad pleniorem, & planiorem huius quæstionis explanationem desiderari posse videatur; singulas enim auctorum sententias, & firmamenta commemorans, ea ita expendit, ac diiudicat, vt eidem pro Salomonis salute pugnanti vltrò non possim non assentiri, ijs septem prę sertim commotus locis Sacrarum litterarum, ex quibus egregia salutis æternæ Salomonis argumenta profert, quæ apud eundem videat lector sine dubio simul clarè visurus irrato numini diuino, antequam moreretur, satisfecisse Salomonem, meritas pro patrato idololatriæ scelere pœnas pendentem. Quocirca lectorem huius disceptationis percupidum monuisse contentus non immorabor, & ad eos, quorum anceps videtur Salus, orationem reuocabo.

D E O R I G E N E.

Origenem adeo ab adolescentia omnibus Virtutum numeris fuisse absolutum, vt Sanctitatis domicilium videretur.

Cap. V I I I I.

NON est suscepti muneris officium Origenis Adamantij vitam mandare litteris, cum huic rei plures disertissimi, atq; antiquissimi scriptores vel ex instituto, vel obiter sparsim data occasione satisfecerint: sed mei moris non immemor strictim id attingam, quo veluti duce contractis Adamantij virtutum, & vitiorum velis portum mea tutò subire possit oratio. Leonides, qui Suida teste Episcopus fuisse dicitur, vrgente in Christi pugiles persecutionis tempestate, quam Seuerus Imperator excitarat, capitis abscissione martyrij palmam adeptus filium reliquit Origenem, qui eadem martyrij flamma æstuans ab primis annis nihil intentatum reliquit, vt pari præmio frueretur, dum patris, ad quem in carceribus detentum horta- 1.

Eusebius lib. 6. ca. 1.

torias litteras ad strenue subeundum martyrium dederat, omni conatu vestigia sequitur. *Ac iam parum haberat*, inquit Eusebius, *quin per martyrium vitam deseruisset, nisi mater diuina quadam, & cælesti prouidentia, quæ illum ad maximam plurimorum vtilitatem seruabat incolumem, impulsa enixè eius cupiditati ad necem adeo incitante percurrenti obstitisset. Ipsa enim verbis primum supplex orabat, vt materni erga se amoris misericordiam caperet. Vbi autem eum, cum iam intelligeret patrem deprensum carcere custodiri, cupidius ad mortem properantem animaduerteret (toto enim impetu, & animi conatu tum ad martyrium ferebatur) omni eius vestitu clam ablato, & in interiores quosdam ædium recessus abdito, domi eum manere necessario coegit.*

Lib. 6. Eccl. Hist. cap. 2. & 3.

Origenes optat martirium.

Ardentissimum in tenera ætate pro Christo fundendi sanguinis desiderium Origini infuisse, facilè adducor vt credam non modo Eusebij testimonio, verùm etiam cogitatione earum virtutum, quarum in Origene ipso puerilis ætatis tyrocinio splēdor micabat eximius, quem admirans genitor Leonides vt diuinitus sibi concessum munus filium venerabatur teste Eusebio dum ait. *Iam verò puero dormienti illum sæpenumero astitiße, eiusq; pectus stragulis nudasse ferunt, atq; illud perinde, ac si sacer Dei Spiritus id ipsum sibi tanquam templum consecrasset, auguste, & cum reuerentia osculatum esse, seq; pro tali prole beatum, & felicem existimaße*: Nec immerito si vltima primis respondissent. Quid enim in illo corpusculo vel humanæ, vel diuinæ virtutis desiderabatur? etenim sacrarum litterarum studio, & veritate enutritus omnes a teneris sectas errorum auersabatur: meruit decimo octauo ætatis suæ anno Christianæ scholæ præfici; omnia humanitatis officia contulit in martyres, spretis carnificum minis, & terriculis tyrannorum, a quibus carceres, verbera contumelias, & quidquid sæuum erat inter mortales, excepta sola martyrij palma, sustinuit. Prætereà adeo admirabili enituit castitate, vt corpusculo suo, ne virginitas læderetur, siue ferro, siue pharmaco vim inferret. Nec minor illius erat industria in abstinentia, nuditate, & vigilijs obseruandis tam acriter, vt illius corpusculum emarcuisse videretur. Verùm quæ hoc loco de Originis virtutibus strictim innuere placuit, quô iucundiora lectori accidant, viri pietate, & doctrina illustris suauitate, & orationis amplitudine condienda sunt; hoc enim ipsum argumentum pertractans Vincentius Lirinensis, hanc encomasticā habet orationem, qua nihil ad commendandum Origenem illustrius excogitari potest. *In quo Origene*, inquit, *plura adeò præclara, adeò singularia, adeò mira extiterunt, vt inter initia habendam cunctis assertionibus eius fidem quiuis facilè iudicet. Nam si vita facit auctoritatem magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerātia. Si genus, vel eruditio, quid eo nobilius, qui primum in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio? Deinde pro Christo non solum patre, sed omni quoq; facultate priuatus tantum inter sancta paupertatis profecit angustias, vt pro nomine dominicæ confessionis, sæpius (vt ferunt) affligeretur. Neq; verò hæc in illo sola erant, quæ cuncta postea tentationi forent: sed tanta vis ingenij, tam profundi, tam acris, tam elegantis, vt omnes pene multum, longeq; superarit, tanta doctrina, ac totius eruditionis magnificentia, vt pauca forent diuinæ, penè fortasse nulla humanæ philosophiæ, quæ non penitus assequeretur. Cuius scientiæ cum*

Lib 6. Eccl. Hist. cap. 2

Pater Originis dormiētis filij pectus deosculabatur.

Origenis virtutes.

Aduersus hæres. ca. 23

Græci

Græci non cederent, & hebræa quoq; elaborata sunt. Eloquentiam verò quid memorem, cuius fuit tam amœna, tam læta, tam dulcis oratio, vt mihi ex ore ipsius non tam verba, quam mella quædam fluxisse videantur? Quæ non ille persuasu difficilia disputandi viribus elimuit? Quæ facta ardua, non vt facillima viderentur, effecit? Sed forsitan argumentorum tantummodo nexibus assertiones suas texuit? Immo plura nemo vnquàm magistrorum fuit, qui pluribus diuinæ legis vteretur exemplis. Sed credo pauca conscripsit. Nemo mortalium plura, vt mihi sua omnia non solum non perlegi, sed ne inueniri quidem posse videantur &c. Sed fortisitan discipulis parum felix. Quis vnquam felicior? Nempe innumeri ex sinu suo doctores, innumeri Sacerdotes, Confessores, & Martyres extiterunt. Iam vero, quanta apud omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta gratia fuerit, quis exequi valeat? Quis non ad eum paulò religiosior ex vltimis mundi partibus aduolauit? Quis Christianorum non pene vt Prophetam, quis philosophorum non vt magistrū veneratus est?* & post varia tanti viri elogia addit. *Dies me citius defecerit, quàm ea, quæ in illo viro præclara extiterunt, vel ex minima saltem parte perstringam &c.* Ecce quantus, & qualis vir esset Origenes teste Lirinensi.

Charissima olim fuisse Sanctis Patribus Origenem, eiusq; opera, quibus ceu telis vsi sunt nonnumquam ad refellendas hæreticorum blasphemias.

Cap. X.

CVM ab apologetica disceptatione pro Origene suscipienda meus, vt par est, animus abhorreat, aggrediar ea è tenebris in lucem vindicare, quæ apud nonnullos fortassis hactenus obuoluta caligine iacēt, & ab eo exordiar, qui cum antea Gregorius Theodorus diceretur, post modum à magnitudine miraculorum, quæ etiam viuens diuina virtute patrauit, Taumaturgus appellatus est, quiq; magistro vsus Origene Neocæsariensi Ecclesiæ præfuit: is enim loculentissimum pro Origine Panegiricum habuit auctore Sancto Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis, ac teste Nicephoro Callisto, qui de Taumaturgo Gregorio agens inquit. *Meminit huius Gregorij Pamphilius Martyr in suis, quos in Origenem elaborauit commentarijs, in quibus oratio laudatoria Gregorij pro Origene inserta inuenitur*: quamuis nescio quo casu interciderit; non enim hæc laudatoria oratio repetitur in ea apologia, quæ nunc extat, quæq; nostris hisce temporibus studio Gerardi Vossij prodijt in lucem grecè, & latinè, quam tamen si Originis laudum studiosus addeat, ingentes viri virtutes, & præconia intuebitur.

Gregorius Taumaturgus.

Lib XI cap. 12.

Maximus,

Maximus, omnium consensu, Athanasius ille, qui subsequenti seculo florens salutis nostræ anno 340. sub Constantino Imperatore solidũ fidei catholicæ propugnaculũ fuit, Origenem aduersus Arij blasphemias velut fidei, & sanæ doctrinæ testem in medium profert, vt auctor

Historiæ. est Socrates lib. 6. cap. 12. *Sic Athanasius acerrimus consubstantialis fidei propugnator in orationibus suis, quas contra Arianos conscripsit, illum fidei suæ testem citat, cuius verba in sua scripta inserit, & ita de eo loquitur. Admirabilis ille, & summæ industriæ vir Origenes nostram de filio Dei opinionem suo testimonio confirmat, quippe illum Patri coæternum esse asserit.*

Cæterum qui fuerit Origenes, quoue in honore tũ ille ipse, tùm opera eius olim haberentur, clarissimo experimento constitit, cum S. Epiphanius Cypri Episcopus ad Cõstantinopolitanã vrbem aduectus secũ detulit decretum prouinciale, quo Originis libros damnarat, eam cum ibidem tunc degens omni studio conaretur, vt promulgatæ damnationi S. Ioannes Chrysostomus, cæteriq; Constantinopolitanæ prouinciæ Episcopi suis suffragijs astipularentur, reperti quidam sunt, vt Nicephorus scribit, qui sua erga Ephiphanium obseruantia decretum illud

Lib. 13. c. 13 chirographis suis confirmauerẽ, quod tamen pleriq; facere detractauerunt. *Porro Theotimus Scytharum Episcopus Epiphanium etiam verbis prope perstringens: ego inquit, ò Epiphani, nefas esse puto, contumelia eos, qui dudum sunt mortui, afficere, neq; ita temerè vetustorum scripta abÿcienda censeo. Extra blasphemiam enim non est iuditium illorum proculcare, & quæ rite, atq; ordine ab eis statuta, & tempore ipso comprobata sunt, abrogare, minimè mihi videtur prudentium virorum esse.* Quod & verbis, & exemplis re ipsa periclitatus est Theotimus vt idem Nicephorus meminit. *Cum hisce verbis librum quendam Origenis in medium produxit, atq; ibi quàm necessaria, & vtilia Ecclesiæ in eo essent, indicauit. Absurde, dixit, faciunt, qui hæc calumniari student. Non enim hæc tantum, sed ea etiam de quibus in libris tractatur, periculose contumelia afficere videntur.* Quod si hæc in Epiphanium, qui innocentia, doctrina, morumq; sanctitate in signis eo seculo ab omnibus colebatur, iactauit Theotimus, quid pro sua erga Origenem obseruantia cum alijs nominis eius famam denigrantibus facturum illum arbitrabimur?

Illud porro omni dubitatione vacat, si Socrati aurem præbeamus, D. Ioannem Chrysostomũ è sede Episcopali deiectũ exulem fuisse machinationibus, & dolo Theophili Alexandrini, eo quod in damnationem monimentorum Originis consentire detrectaret, donec adhibita diligenti obseruatione, & de Originis dogmatibus disceptatione errasse illum palam fieret. Quid? ipsi theologicæ alæ præfecti, & antesignani Basilius, & Gregorius Nazianzenus an non Originis doctrina adiuuti capitale bellum indixerunt Arianis, ac illis debellatis gloriosè triumpharunt? quod ne in dubium reuocari possit non hic tegendum

Lib. 11. c. 17 silentio Nicephori Callisti de hac veritate testimonium. *Itaq;* ait, *postquàm in philosophicis litteris versati erant, ex Origene, & aliorum, qui illum vel præcesserant, vel consecuti fuerant, libris sacrarum litterarũ sententiam addidicerunt: Arianis strenuè restiterunt, & quia illi auctoritates, & testimonia ex Origenis scriptis ad dogmata sua comprobandum afferebãt, ipsi eos refellerunt, non satis Originis sententiam assecutos esse ostendentes.*

Hinc

Hinc grati animi testificatione, mutuis vigilijs, ac laboribus ad cumulandum laudibus Originem eos orationem habuisse graues testãtur viri, fidemq; astruit nobile illud nobilissimorum ingeniorum opus ab eisdem confectum.

Eadem Originis doctrinâ ductus, & pari in eundem, ac illius labores beneuolentia affectus S. Martyr Pamphilus apologeticum sermonẽ instituit, quo omnes liquido intuerentur inexhausti illius pectoris reconditam rerum omnium scientiam, & fidei ardorem; vt ex ipsa apologia claret, quæ vna cum Origenis operibus primo tomo extat, cuius & si auctor præcipuus Eusebius Cæsariensis fuerit, vt D. Hieronymus arbitratur, haud tamen turpe fuerit arbitrari, beatum martyrem in ea elaboranda desudasse, vt ille ipse testatur Eusebius cum ait. *Quæ autem de eius rebus gestis sunt ad cognoscendum necessaria, ea ex Apologia, quæ à nobis Pamphili Sancti nostri temporis martyris opera adiutis elucubrata est (illam enim ego, & Pamphilus quo ora maleuolorum obtrectatorum famæ Origenis detrahẽtium obturaremus mutuis vigilijs accurratè elaborauimus) licet facilè colligere.* Ita Eusebius, pro cuius opinione legat qui velit, quæ fusissime exequitur Iuannes Picus Mirandula obiectis a S. Hieronymo hac de re scrupulis satisfaciens. Lib. 2. contra Ruffinũ. Lib 6. ca. 20.

At non hisce cancellis circumscripta manent operum Origenis præconia; Didymus enim eum nuncupat secundũ post Apostolos Ecclesiarũ magistrum, Seuerus Sulpitius scribit in ijs rebus, quæ fidei, rationiq; congruunt, ei post Apostolos neminem merito posse comparari. Quid de D. Hieronymo loquar? qui Origenis ingenij adeo studiosus laudator, & diligens illius operum Scrutator fuit, vt optaret omnia tanti viri & aliorum monimenta ad ingenij sui culturam inuenire? *Quod autem opponunt, congregasse me libros Origenis super cunctos homines, vtinam omnium tractatorum haberem volumina, vt tarditatem ingenij lectionis diligentia compensarem.* Otio abterer, si titulos, quibus mirificè Origenem coluit, persequerer: legat qui voluerit, quæ ad Paulam, & Eustochium scripsit, prologum libri secundi super Micheam, præfationes in Moisem, Iosue, Paralipomena, Cantici Canticorum, Ezechielem, ad Tit. 3. cap. vtramq; apologiam aduersus Ruffinum, & alia eiusdem opera non vno in loco, & sentiet, hinc obtrectatores arripuisse ansam perstringendi Sanctissimum Ecclesiæ doctorem veluti erroribus Origenis imbutum, ex quo orta est inclyta illa Hieronymi aduersus Ruffinum, & Ruffini contra Hieronymum disceptatio, extimulantibus amicis Pammachio, & Oceano, vt se ab iniustis calumnijs purgaret: quod egregiè præstitit solito ingenio causas ostendens, quibus ad Origenis lectionem, & laudes fuerat incitatus. Contra Ruffinum. Inter S. Hieronymum & Ruffinum discordia vnde orta.

Nec de Methodij Olimpij facto lector celãdus est, qui cum aliàs maledictis Origenem excepisset; postea pęnitentia tactus palinodiam pro Origene cecinit. Missum hoc loco faciam Eusebium Cæsariensem, qui dum immodicis Origenis laudibus indulget, iniecit plerisq; suspicionem, se nimia beneuolentia affectum defendisse mordicus Origenis partes, sicuti egisse Socratem Ecclesiasticæ historiæ lib. 6. cap. 12. intueor ex ijs, quæ integra capitis fere ad Origenis defensionem scribit virgula censoria aperte notans eos, qui olim Origenem sunt auersati, quorum

vestigia

vestigia secuti recentioris æui scriptores Ioannes Picus Mirandulanus, Iacobus Merlinus Victurniensis, Sixtus Senensis, Gilbertus Genebrardus pro Origene nullum laborem recusarunt.

Cæterum, vt generatim dicam, omnes ferme Græci Patres, qui Origene posteriores ætate fuerunt, an nõ illius fluentis ingenij liquore monumentorum suorum prata irrigarunt? quod adeò verum est, vt inimici ipsi, qui omni conatu in Origenem decertarunt, eiusdem opera legendi post mirificè oblectarentur, ac illum, quem nigro lapillo notauerê, haberent in delicijs. Scitum enim est quod de Theophylo Alexandrino ad posteritatem consignarunt Socrates, & alij: *is enim cum aliquando interrogaretur, cur ea, quæ coacto Concilio non solum damnarat, verum etiam omni arte conatus est, vt pari voto S. Epiphanius, & cæteri in Synodo Cypriensi, vt mala reÿcerent, indefaticabili lectione iterum amplecteretur: ita respondisse fertur. Origenis libros similes esse prato omnibus floribus ornato. Quid quid ergo boni inuenio, id excipio: si quid contra spinosum occurrerit, id quasi aculeatum sit, & pungat, omitto*; sic ille acuta prorsus, & ad causæ suæ patrocinium ingeniosa sententia. Nec minor in Latinis Patribus Origenicæ lectionis noscitur diligẽtia, ac in ijs maximè, qui græcè saperent, qualis Hilarius, Victorinus, Hieronymus, Ambrosius. Hinc D. Augustinus, qui licet miraculum, ac prodigium quoddam esset sapientiæ nunquam satis pro dignitate laudandum: quia tamen, græci sermonis non erat adeo peritus, litteris ad S. Hieronymũ datis enixe efflagitauit, vt sibi, totiq; Latinorum vniuersitati latinum Origenem redderet, quô latini omnes ijs adiumentis pariter fuerentur, quibus iamdudum gloriabatur Græcia. Meminiq; ego similiter B. Augustinum magnam sermonis partem, quam Origenes de Balaamo habuerat, totidẽ verbis, ac sententijs in sua scripta transtulisse, vt primo volumine de animabus Paganorum obseruaui.

Lib 6. cap. 7 q 10. 12. 13. 14.

Epist. 8. ad Hieronym.

Qui nam senserint deprauata olim hæreticorum dolo opera Origenis.

Cap. X I.

INCLYTA Fãmà, & incredibilis auctoritas Origenis eô rem deduxit, vt catholicæ veritatis inimici operibus illius ad disseminandas blasphemias vterẽtur scripta illius deturpãtes, fallentesq; incautos, vt labore non exiguo olim probare conatus est Ruffinus Aquiliensis hunc ipsum titulum apologiæ inijciens. *De adulteratione librorum Origenis*, cuius apologię non pauca S. Hieronymus iusta censura notauit, refellens hoc in primis, quod nunc in quæstionẽ versatur. *Illud vero, quod asserunt a quibusdam hæreticis, & maleuolis hominibus libros*

De errorib. Orig. ad Pãmachium & Occeanum.

libros eius esse violatos, quam ineptum sit hinc probari potest, &c. & subinde testimonijs Eusebij, & Didymi, qui Origenis doctrinæ fuerant defensores, ostendit non ab alio, quàm ab Origene multa, quæ in illius monimētis culpantur vt à fide aliena, profluxisse. Quare Aethiopem lauare est, vt commune habet prouerbium, cum Ruffinus generatim, nulloque discrimine ab omni errore vendicare conatur opera Origenis, quem in subsequentibus capitibus turpissimè lapsum sumus ostensuri. Damus igitur Ruffino rabie, & perfidia hæreticorum non semel laceratam veritatem, quam Catholicè defenderant Sancti Patres, quorum opera in exemplum adducit (quamuis de nonnullis ambigere liceat, quod ad rē præsentem non attinet.) At nihilominus pro Origene suscepta causa Ruffinus cadit; quandoquidem hinc consequeretur (vt meritò obseruauit S. Hieronymus) nulla fermè opera in lucem edidisse Origenem, cum vix pauca reperiantur, quæ in crimen merito vocari non possint.

Eadem virgula censoria digni sunt Eusebius, & Didymus Origenis assertores: quorum alter, teste S. Hieronymo, sex voluminibus Catholicam veritatem defendere nititur alter sic eius errores excusare contendit, vt interim illos esse Origenis non neget sensum scribentis edisserens. Epist. ad Pammachium, et Occeanum. Hæc eadem opinio in delicijs fuit Aymoni libro de Christianarum rerū memoria ita scribenti. *Ego sane de Origene viro tàm illustri abstinentissimæ vitæ, & castissimæ, præclaræ doctrinæ puri, & lucidi sermonis salua fide Patrum dixerim, quod hæc omnino non scripserit, sed ab hæreticis ob præclarū nomen eius obfuscandum maligne confiсta sunt, & conscripta, & nomini suo prætitulata,* beneuoli sane, & inclyti Origenis ingenij laudatoris beneuola, sed grano salis condita opinio, qua animi sui propensionem tanta moderatione patefecit, vt ab fide, & auctoritate Sanctorum Patrum hac de disserentium interim non recedat.

Hæc antiquorum Scriptorum opinio sic fixas in animo Sixti Senensis radices altius egit, vt omnia Origenis opera hęreticorum dolis, inuidię, ac prauis dogmatibus fuisse obnoxia arbitretur cum inquit. In Bibliotheca. *Cæterum quamquam talis, tantusq; esset Origenes, grauem tamen librorum suorum iacturam passus est fraude, & vitio hæreticorum, qui omnia eius opera innumeris hæresibus contaminarunt, vt sub prætextu, & fauore nominis Origenici impias cogitationes suas facilius persuaderent, & carius venderent: quam hæreticorum adulterationem multi vel non animaduertentes, vel auctoris crimē id esse magis, quam hæreticorum deprauationem credentes Origenem cū operibus suis inter hæreticos reiecerunt.* At toto cœlo errasse Senensem claris adeo experimentis periclitabor inferius, vt mirum sit, virum in sacris Canonibus, & Sanctorum Patrum monimentis versatissimum non assecutum esse veritatem sese illi vltrò offerentem.

Pari errore in Collectaneis suis Gilbertus Genebrardus hallucinatus est, dum Sixti mentem, & sententiam amplectitur. Nec aliud debet esse iudicium de apologetica disceptatione, quam pro libris Adamantij cōtexuit Ioannes Picus Mirandulanus. Prudentiori sanè consilio vsus est in hac quæstione Lyrinensis, qui nihil definiens, ac aliorum bene de Origine opinantium votis subscribendi, si per veritatem liceret, cupidus docet qua ratione olim hæreses repertæ sint in Origenis operibus. Sed De hæresib. cap. 23. ait, *dicet aliquis corruptos esse Origenis libros. Non resisto, quin potius, &*

malo, nam id est à quibusdam, & traditum, & scriptum non Catholicis tantū, sed etiam hæreticis: Sed illud est, quod nunc debemus aduertere, etsi non ipsū, libros tamen sub nomine suo editos magnæ esse tentationi, qui multis blasphemiarum vulneribus scatentes non vt alieni, sed quasi sui, & leguntur, & amantur, vt etsi in errore concipiendo Origeni non fuit sensus, ad errorem tamen persuadendum Origenis auctoritas valere videatur. Digna tanti viri, & in legendis Origenis operibus tuta cautio, quamuis ea nimium Origenis nomini, & scientiæ indulgeat, cum re ipsa veritati Catholicæ eadem Originis doctrina non semel repugnet. Et hæc sunt, quæ ab alijs de præsenti quæstione scripta reperio.

Deprauata ab hæreticis nonnulla opera sua docet Origenes, qui præclaram eius fidei, quam colebat, confessionem edidit.

Cap. XII.

Mihi ea mens, & sententia est, errasse Origenem, & praua, & noxia dogmata euulgasse, quamuis solitis hæreticorum machinationibus nouæ blasphemiæ insertæ sint, quarum non Origenes, sed illi dumtaxat erant auctores.

Prioris meæ sententiæ partis probationem in subijcienda capita reijciens ad secundam obfirmandam vtar testimonio illius, de quo oritur quæstio; is enim viuens adhuc conquestus est ea sibi ab hæreticis imposita, quæ numquam somniasset, immo quæ summopere execraretur. Etenim in ijs litteris, quas Origenes ad vniuersam Ecclesiam scripsit, & quas è Græco codice in Latinum transtulit Ruffinus, scripta sua corrupta ab hæreticis dolet his verbis. *Quidam auctor hæreseos, cum sub præsentia multorum habita inter nos fuißet disputatio, & descriptum accipiens ab his, qui descripserant, codicem, quæ voluit addidit, & quæ noluit abstulit: quod ei visum est, permutauit, circumferens tamquam ex nomine nostro insultans, & ostendens ea, quæ ipse conscripsit. Pro quibus indignantes fratres, qui in Palæstina sunt, miserunt ad me Athenas hominem, qui acciperet à me authenticum exemplar, quod ne lectum quidem, vel recensitum à me antea fuerat, sed ita neglectum iacebat, vt vix inueniri potuerit. Misi tamen, & sub Deo teste loquor, quoniam cum conuenißem illum ipsum, qui adulterauerat librum, quare hoc fecisset. Veluti mihi satisfaciens respondit. Quoniam magis ornare volui disputationem illam, atque purgare videte quali purgatione disputationem nostram purgauit, tali nempe, quali purgatione Marcion Euangelia purgauit, vel Apostolum, vel quali successor eius Apelles. Nam sicut illi subuerterunt Scripturarum veritatem, sic & iste sublatis, quæ verè dicta sunt,*

Apologia pro Origene

sunt ob nostri criminationem inseruit, quæ falsa sunt. Sed licet omnes hæretici, & impij sunt, qui hæc facere ausi sint: tamen habebunt, & illi vindicem Deum, qui talibus aduersus nos criminationibus accomodant fidem; fecerunt autem hoc & alij nonnulli conturbare volentes Ecclesias. Deniq; in Epheso, cum vidisset me quidam hæreticus, & congredi noluisset, neq; omnino os suũ aperuisset apud me, sed nescio qua ex causa id facere vitasset: postea nomine meo, & suo conscripsit qualem voluit disputationem, & misit ad discipulos suos (vt ego quidem cognoui) ad eos qui Romæ erant, sed non dubito, quin & ad alios, qui per diuersa loca sunt. insultabat & apud Antiochiam priusquam ego illuc venirem, itaut & ad quamplurimos nostrorum perueniret ipsa disputatio, quam parauerat. Sed vbi adfui, multis eum præsentibus argui. Cumq; iam sine vllo pudore prætenderet impudenter asserere falsitatem, poposci vt liber deferretur in mediũ, vt scelus meũ cognosceretur à fratribus, qui vtiq; cognoscerent quæ soleo disputare, vel quali soleo vti doctrina. Qui cum non ausus esset proferre librum conuictus ab hominibus, & confutatus est falsitatis, & ita persuasum est fratribus, ne aurem criminationibus præberent. At cum hæc de vno, aut altero opusculo, seu de vna, aut altera disputatione duntaxat clare loquantur, inanis erit labor Ioannis Pici Mirãdulani, qui allato Origenis testimonio nixus errores in fide, qui in cęteris operibus sparsim leguntur, voluit non illius esse, sed hæreticorum. Quo circa iure merito D. Hieronymus aduersus Ruffinum apologia secunda calliditatem detegens, quam in versione litterarum Origenis adhibuerat Ruffinus, fatetur semel in Dialogo damnatam, & repudiatam ab Origene hæresim, sed admonet non idem de cæteris hæresibus, quibus opera illius scatent, habendum a nobis iuditium. *Intelligimus in hoc tantum dialogo ab Origene argui falsitatem hæreticam, & non in cæteris libris, de quibus nunc quæstio fuit. Alioqui si omnia, quæ hæretica sunt, non erunt Origenis, sed hæreticorum, (omnes autem propemodum illius tomi his erroribus pleni sunt) nihil Origenis erit, sed eorum, quorum ignoramus vocabula.*

Prædictis igitur sibi temere affictis criminibus mederi volens Origenes hanc secum ipse inijt rationem, vt scriptis consignaret, eius fidei, quã sanctè colebat, regulam, & confessionem, vt Eusebius Cæsariensis auctor est, cũ inquit. *Scribit præterea Fabiano Romano Episcopo, alijsque permultis Ecclesiarum Præsidibus de sua recta, & orthodoxa de fide Christiana sententia.* At quæ, & qualis illa fuerit, haud facilis esse potest cognitio, cum Eusebij apologia suscepta pro Origene, in qua sana Origenis confessio legebatur, temporis vetustate deperierit. Nec vereor quin ea sanę fidei catholicæ regulis congrueret, cum ad summum totius Ecclesiæ Antistitem dirigeretur, ea testificatione supremam Summi Pontificis post Christum in terris reueritus potestatem, quẽ paulo post Romam aduenicns conuenit, & apud quem agens causæ suæ patrocinium id fortassis ore perfecit, quod aliâs scriptis fuerat executus. Etenim Philippi Imperatoris temporibus ad vrbem accessisse Origenem communi assensu tradit Baronius ad annum Christi 248. num. 2. Præterea nostræ opinioni fidem adiungit, quod pie prodiderat Origenes ipse his vocibus. *Ego verò inquit, opto esse Ecclesiasticus, & non ab hæresiarcha aliquo, sed Christi vocabulo nuncupari, & habere nomen, quod benedicitur*

Lib. 6. ca. 36.

In Lucam hom. 16.

super terram; & cupio tam opere, quam facto esse, & dici Christianus. At vtinam; quot enim inter Ecclesiasticos proceres discordiæ? quot illata Ecclesiasticæ tranquillitati, & veritati vulnera? & quot diffusa in orbem pene vniuersum praua hæresum dogmata irrita cessissent, quæ ex Origenis erroribus originem traxere?

Qualis fuerit lapsus Origenis principium.

Cap. VIII.

Lib. 6. cap. 32. NON esse assecutum Originem coronam martyrij, quam tanto animi ardore sequi, ac fermè manibus tenere videbatur, vt auctor est Eusebius, omnium scriptorum constans est, & stabilis sententia.

At quibus Satanæ dolis circumuentus retro ferre pedem, ac Christianæ luci tenebras offundere cæperit, non omnibus ita clarum. Extat in libro, qui Origenis lamentationes, seu pœnitentia inscribitur, aliquod Origenis lapsus inditiũ, quo dolet se grauioribus sceleribus, quã Samsonis, & Solomonis scelera fuer nt, fuisse obstrictum: *Flebam aliquando super Samsonem, sed peiora perpessus sum. Flebam super Salomonem, & deterius cecidi. Flebam super omnes, qui peccauerunt, & in omnibus eis apparui. Samsoni coma capitis deest, meo verò de capite corona gloriæ cecidit. Samsonis oculi carnales obcæcati sunt, mei verò perforati & spirituales sunt. At illum mulier ad insidias perduxit, mea autem lingua ad ruinam peccati me traxit.* Hactenus ibi Origenes, qui paulo superius cæleste numen alloquens cecidisse se inuitum testatur. Sed cum dubiæ sint fidei, & a Gelasio summo Pontifice inter adulterina reijciantur ea, quæ in libro illo digesta sunt, nihil certi inde ad assequendam veritatem haberi potest, licet citati testimonij voces illæ, *mea autem lingua ad ruinam peccati me traxit*, non inuolute indicent, hæresis, & blasphemiarum, quę linguæ sono compleri, atq; agnosci solent, Origenis crimina fuisse. (In Concilio Rom. decreto de libris apochryphis.)

Sanctus Epiphanius, cui astipulantur Leontius Scholasticus de sect. art. 10. Zonaras annalium tom. 2. Suidas in verbo Origenes, Nicephorus libr. 5. capit. 32. hanc miserrimi lapsus Origenis assignat occasionem, quam maioris auctoritatis ergo proprijs Epiphanij verbis expressam accipiat lector. (Hæresi. 64.) *Multa sunt fortia facta, quæ per traditionem referunt veteres de hoc viro, nimirum Origene. Sed non permanserunt ipsi; quæ ad præmium consequendum pertinent, in finem, propter eminentissimã enim sanctitatem eius, atq; doctrinam ad multam inuidiam deuenit, & per hæc magis irritabat eos, qui illo tempore principalem potestatẽ administrabant. Per diabolicam verò malignitatem excogitauerunt malitiæ operatores, quo modo turpitudinem viro impingerent, & plagam talem decernerẽt, itaut in abusum corporis ipsius Aethiopem ipsi subornarent, aut sacrificare iuberent.*

iuberent. Ipse vero non ferens diabolicæ operationis versutiam proclamauit, vtrisq; rebus sibi propositis, sacrificare se potius velle, non tamen spontanea mente hoc potius perfecit, velut magna de hoc fama refert. Sed quando quidem omnino confessus est, se facturum hoc esse, iniecto in manus eius thure ipsum ad aræ rogum adduxerunt, atq; sic a Confessoribus, & martyribus tunc re cognita reiectus est. Verum in Alexandria hoc passus, & non potens ferre exprobrantium sannas discessit, & Palæstinam hoc est Iudææ terram inhabitare elegit. Cum itaq; peruenisset Hierosolymam velut talis enarrator, & eruditus vir compellebatur a Sacerdotibus in Ecclesia docere. Et cum multum coegissent ipsum hi, qui Hierosolymis Sacerdotium Sanctæ Ecclesiæ administrabant, surrexit, & dictum Psalmi quadragesimi noni proloquutus totam distinctionem præterijt. Sic enim dicit Psalmus. Peccatori dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? & complicatum librum deposuit, & cum fletu, & lacrymis consedit omnibus cum ipso plorantibus.

Origenes turpitudinẽ fugiens idolis thura adolet inuitus ex S. Epiphanio.

Cæsar Baronius cum hoc idem adductum ex Epiphanio testimoniũ suis annalibus inseruisset, mox illius veritatem scrutaturus vehementer suspicatur, id Epiphanio non esse tribuendum, cum is libro de mensuris, atq; ponderibus scribat, Origenem floruisse, hoc est per omnium ora velut gloria immortalem volitasse ob continẽtissimæ vitæ probitatem, & eminentissimam rerum omnium, qua pollebat, scientiam a temporibus Decij vsq; ad Gallum, & Volusianum, qui Decij successores fuerunt: quod veritati aduersaretur, si in Deciana tẽpestate idololatriæ fluctibus deperijsset. Præterea qua ratione hoc credi potest de Origene, qui eodẽ teste Epiphanio *in persecutione a Decio multa passus ad finẽ martyrij non peruenit; Verùm delatus est in Cæsaream Stratonis.* Quare his non leuibus coniecturis permotus allatum testimonium fuisse ab aliquo ad Epiphanij opera additum putat Baronius, suæ opinionis ex B. Augustino coniecturam capiens, qui multa ab Epiphanio de erroribus Origenistarum mutuatus, huius allati turpissimi facinoris nullo vnquam loco meminit.

Tom. 2. ad annũ Christi 253. num. 117.

Quid? acerrimi Origenis defensores Pamphilus, Eusebius, Ruffinus, Socrates, & quotquot eius patrocinio, & laudibus studentes enumerauimus, ne verbum quidem vllum in illius excusationem non alia de causa sunt elocuti, quod nullus Origenis æmulus, nulli catholicæ veritatis amatores, quales Theophilus Alexandrinus, & S. Hieronymus fuerẽ, qui praua illius dogmata sugillarunt, cæterìq; Sãcti Patres, quorum vota de Origene sumus adducturi: nullum Concilium contra illius errores collectum, nullus Christianæ religionis inimicus, ac ne Porphyrius quidem, qui mẽdacissima effutiuit de Ammonio philosopho Christiano, quem à Christi fide ad paganos desciuisse mẽtitus est, hanc Origini notam inurere potuerunt; non Vincentius Lyrinensis, qui breui uerborum compendio tam multa de Origene prosecutus est: non cæteri deniq; eius tempestatis viri orthodoxi cum Græci, tum Latini ne per suspicionem quidem hoc attigisse videantur? Postremo, cum adeo insigne facinus sit perpetratum Alexandriæ, quæ per ea tempora velut totius orbis caput, & theatrum habebatur, humani aciem ingenij fugit, qui ad vnius Epiphanij, cui Episcopalis Ecclesiæ Cypriensis vigilia incum-

incumbebat, notitiam deuenerit, quod priora secula ignorarunt? Hæc opinio non minus doctè, quàm subtiliter excogitata, & auctoritate viri eruditissimi, & etiam pondere rationum probabilis mihi semper visa est cogitanti facinus scelestissimũ clam non potuisse reticeri, quin ea ipsa tempestate, qua idololatriæ patratum est crimen ab æmulis Adamantij proderetur, cum ab Demetrio Episcopo ea Origenis operatio, qua nimio castitatis amore actus in corpus suum Sæuijt, fuerit apud orbem pene vniuersum diffamata. Et tamen scelus istud non nisi decurso centum quadraginta annorum circulo, (tot enim ab Origenis temporibus ad Epiphanij ætatem defluxere) litteris consignatum est.

Non me fugit tamen, si rigidè expendantur ea, quibus in hanc sententiam ductus est Baronius, vi earum neminem cogi posse ad assensum nouæ opinionis, nõ solum quod omnia illa auctoritati negatiuæ nitantur, quæ vnius Epiphanij testimonio ruunt: verum etiam, quod singula haud difficilem explicationem admittant. Quorsum enim iure dici ab Epiphanio non potuit floruisse Origenem ab Imperio Decij ad Galli, & Volusiani imperium, etiam si in ipso interitu Decianæ tyrannidis, quā protinus Gallus, & Volusianus excepere, in idololatriam præceps datus sit pristina virrutum gloria merito orbatus Origenes? Quid si verbum illud, *floruit*, eam non recipit interpretationem, quam Baronius veram arbitratur? Etenim auctore D. Hieronymo idem planè sonat, ac vixit, vt hæc illius verba libro de scriptoribus Ecclesiasticis fidem astruunt. *Vixit vsq; ad Gallum, & Volusianum, ideſt vsq; ad 69. ætatis suæ annum, & mortuus est Tyri.* Vbi clare nullus non intuetur, verbum *floruit*, quod ab Epiphanio positum est, ab Hieronymo vsurpatum pro vixit & merito: alioqui, (cum ab decimo octauo ętatis suæ anno florere, & summo in honore haberi cęperit Origenes, qui ad sexagesimnm nonum perueniens è rebus humanis sublatus est) fateri cogimur, duorum, vel ad summum sex annorum spatio, Origenis splendorem ex multiiugi eruditione, scientia, & morum probitate comparatum emicuisse, quod absurditate nõ caret: Decius enim duobus, Gallus, & Volusianus quatuor annis tyrannidem tenuerunt. Ex quo euincitur in citato Epiphanij loco potius dierum finem, quam gloriam Origenis annotari. Minus autem Baronio fauent, quæ in confirmationem ex eodem Epiphanio retulit, quippequæ miserum verius Origenis casum, quam gloriam testentur, huc enim tendunt illa. *Et ipse Origenis multa passus ad finem martyrij non peruenit*, dum, fortasse falsorum deorum simulachris diuinum cultum thure inuitus exhibet.

In Origene

D. autem Augustinum nihil ad posteritatem de hoc scelere Origenis dedisse, quamuis de duplici Origenistarum hæreticorũ ordine ageret, nemini mirum debet accidere, cum illud non esset e re Augustini, qui Origenistarũ decreta, & dogmata ex Epiphanio mutuata referre, atq; refellere solùm instituerat: hoc autem personæ Origenis peculiare crimen fuit, cuius nomini parcens, & fragilitatis humanæ dolens vicem, studio reticuit, quod fortassis apprimè nouerat. Illud etiam argumentum ductum ex perpetuo silentio scriptorum, qui Origenis defensionē suscepere, ad assensum non plane demulcet mentem cogitantis, aliam

assignari

assignari posse huius silentij rationem. Quis enim credat adeo perfricatæ frontis homines vspiam potuisse reperiri, qui auderent infame id facinus vel excusare, vel defendere? quamuis Origeni a multis obiectũ, & rumore communissimo omnibus notissimum foret? Satius enim esse nouerant in præteritis relinquere crimen, ac quodammodo illud silentio fateri, quam tam impudenter seriem texere excusationis.

At Theophylus Alexandrinus, S. Hieronymus, cęteriq; Patres errorũ Origenis oppugnatores acerrimi hoc in viro crimen non agnouerê, dũ silent. Esto, numquid vitæ, & criminum Origenis, an prauorum doctrinæ illius dogmatum cẽsores fuere? certe dogmatum, quæ vt ab omnibus vitarentur calamo non pepercerunt. Cæterum si quod in persona scelus forte fuerat, illud feraliter persequi noluerunt. Maximè cum S. Epiphanius, qui eadem florebat ætate, huic muneri non defuisset. Qua eadem ratione satisfieri potest coniecturæ ex Conciliorum silentio allatæ.

Minus autem vrget Porphyrij Christiani nominis inimicissimi exemplum; nam sicut affingere crimina Ammonio, temereq; mentiri didicerat; sic vera prodere callide renuit, apprimè tenens Origenem etiã admisso scelere, ab his, qui Hierosolymis erant, fidei catholicæ professoribus magno in pretio habitum.

Nec video cur Vicẽtius Lyrenẽsis hoc crimen debuerit recensere, qui nullum prodidit errorem, quo vel Origenes, vel illius scripta peculiariter laborarent, quandoquidem ad illius institutum duntaxat attinere videbatur, vocare eos in exemplum, qui magnæ tentationis in Ecclesia fuerant hæreticæ prauitatis vitio notati, quamuis rem Christianam, fidemq; catholicam iuuissent. Præterea non ita pronum creditu videtur, in D. Epiphanij operibus, quæ nullo repugnante vera, & germana habentur, hanc de Origenis lapsu narrationem spuriam arbitrari, cui velut genuinæ idem stylus, eadẽq; dictio Epiphanij propria suffragatur. Nam & si fatear virum sanctissimum lapsum aliquando in ratione temporũ, vt ex Alijs merito animaduertit Posseuinus, hanc tamen historiam de qua loquimur, nullus præter Baronium, vt supposititi am, aut falsam suspicatus est.

Postremo hanc eandem de lapsu Origẽnis historiam confirmauerunt Aegypti, & Alexandriæ Patres, qui aduersus Origenis doctrinam congregati, ac oppugnãtes insanã illius opinionem aientis in resurrectione orbiculata corpora suscitanda esse, docent idola gentium, & falsorum Deorum simulachra ab Origene diuinis culta honoribus, quamuis totam rei gestæ seriem, quam D. Epiphanius litteris mandauit, adamussim non prosequantur. *Quod si, aiunt, (vt insanit Origenes) orbiculatum erat corpus Domini, quomodo potuit demonstrare manuum, ac pedum foramina, aut lateris plagam? aut quomodo comedere potuit, aut omnino a discipulis agnosci? Et quonam modo Sanctorum corpora, quæ post Domini resurrectionem surrexerunt, & in Sancta Ciuitate apparuerunt, potuerunt ab alijs agnosci, si quidem in alia erant figura, atq; fuerant in vita? In fidei ergo petra nullo modo stabilitus, sed huiusmodi, & his multo atrociores blasphemias impius Origenes cum edidisset: nihil mirum est, cum in ipso martyrij articulo Christum abnegasse, cultumq; a paganis Deorum multitudinem,* Ex expositione synodicæ epist. Episcoporũ Aegypti, atq; Alexãdriæ.

quam

quam ipse inducit, adoraſſe. Quod ſcelus auerſantes ijdem Patres Aegypti, & Alexandriæ, ne fideles peccandi anſam arriperent, impiamq; Origenis doctrinam tuerentur, hæc in eandem ſententiam ſubiecerê. *Atq; id Dei prouidentia factum eſt, ne in Eccleſia pro martyre acciperetur, atq; inde gregi Chriſtiano inferretur aliquid detrimenti*. Nam ſi etiam nûc ſunt, qui eiuſdem ruinam callentes doctrinam aſſerunt: an non eam tamquam martyris, ac patris erant defenſuri, ſi contigiſſet, Origenem, nulla idolis exhibita adoratione conſummari?

Aduerſus hæreſ.ca.23. Sed vt vt res fuerit de lapſu Origenis me Vincentij Lyrinenſis valde delectat opinio his verbis expreſſa. *Quam ob rem hic Origenes tantus, ac talis, dum gratia Dei inſolentius abutitur, dum ingenio ſuo nimium indulget, ſibiq; ſatis credit, cum paruipendit antiquam Chriſtianæ religionis ſimplicitatem, dum ſe plus cunctis ſapere præſumit, dum Eccleſiaſticas traditiones, & veterum magiſteria contemnens quædam ſcripturarum capitula nouo more interpretatur, meruit, vt de ſe quoq; Eccleſiæ Dei diceretur. Si ſurrexerit in medio tui Propheta, nõ audies verba Prophetæ illius. Quia tentat vos, inquit Dominus, vtrum diligatis eum an non. Vere non ſolum tentatio, ſed etiam magna tentatio, deditam ſibi atq; à ſe pendentem Eccleſiam admiratione ingenij, ſcientiæ, eloquentiæ, conuerſationis, & gratiæ, nihil de ſe ſuſpicantem, nihil ſe verentem, ſubitò a veteri religione in nouam prophanitatem ſenſim, paulatim traducere*. Quo Vincentij teſtimonio nihil clarius deſiderari poteſt: adductis enim de cauſis eiectus ab Eccleſia Origenes, & ab ijs, qui ſolidam fidei catholicæ normam iuſtè cuſtodiebât damnatus eò miſeriarum deuenit, vt omnibus fermè fidei noſtræ hoſtibus ad oppugnandam veritatem arma miniſtrarit.

Errores in fide origenis lapſus principium.

Apolog. 1. Simile quippiam tradit S. Hieronymus, dum in Apologia aduerſus Ruffinum edita memorat fuiſſe Origenem a Demetrio Epiſcopo Alexandrino excommunicatione damnatum, quam cæteri Eccleſiarũ Præſules ratam habuere, ob varios in fide errores, quibus infecti libri illius deprehendebantur. Quocirca Origenis lapſus principium a prauis erroribus, quos paſſim diſſeminarat, profluxiſſe, colligi poteſt ex ijs, quæ ex Synodica epiſtola, & ex cæteris adducta ſunt. Ad cuius rei confirmationem mirè faciunt, quæ ex eadem epiſtola recitantur in hanc ſententiam. *Nemo enim veritatis tenax excidit a Deo, ab eoq; deſeritur, iuxta quod dicit diuina ſcriptura. Reſpicite filij nationes hominum, & ſcietis, quia nullus ſperauit in domino, & confuſus eſt. Quis enim permanſit in mandatis eius, & derelictus eſt? Aut quis inuocauit eum, & deſpexit illũ? Impius autem Origenes blaſphemias ſuas, non ſe ipſo tenus ſtatuit, ſed proprij ſcriptis in multos alios ſuum errorem tranſmiſit vt in eum valde conueniat S. Apoſtoli vox, quæ dicit. Quorundam hominum peccata manifeſta eſſe præcedentia ad iudicium, quoſdam autem & ſubſequuntur. Nam eius erroris ſucceſſio in infirmorum irrepens animos facit, vt eum ſequantur, quæ a principio ab ipſo commiſſa peccata ſunt*.

Eccl. 2.

1. Tim. 5.

Varijs antiquorum scriptorum, & Sanctorum Patrum testimonijs clarum esse, grauiter ab Origene in fidei decretis erratum.

Cap. X I I I I.

PRimum Origenis errorem, qualis qualis ille fuerit, alij plures postmodũ excepere, quibus inclytæ illius sanctitatis fama planè denigrata est: & quamuis Trithemius libro de Ecclesiasticis scriptoribus in primis ambigat, cuinam potissimum deprehẽsi errores in Origenis operibus tribuendi sint, cum ait. *Et cum tantus haberetur, & esset inter Ecclesiasticos doctrina insignis, magnis tamen notatur erroribus, quibus vel ipse desipuit, vel alijs inserentibus falsa scriptis deprauata fuit: semper enim de Origene varia fuit doctorum opinio, quibusdã hæreticum asserentibus, alijs sibi fraudem affirmantibus impositam*: attamen in asserentem sententiam abijsse Trithemium nobis ea argumento sunt, quæ statim subtexuit mentis suæ arcanum aperiens. *Mirandum non est, si primus sine exemplo errauerit, qui tot volumina sine magistro præcedente explicauit*. Sic ille suam hanc, vt arbitror, pro Origene iustæ excusationis rationem ab S. Hieronymio mutuatus, qui dum in hoc argumento versabatur, vt moris illius est, scitè pronunciarat. *Verum operi longo fas est obrepere somnum*, & rursus. *Interdum magnus dormitat Homerus*. Trithemio liberior, & in Origenem grauior Leontius Scholasticus aperte fatetur, dogmate infelici delirasse Adamantium. Quod Leontio arrisit, adeò consonum veritati Nicephoro Callisto visum est, vt libro quinto Ecclesiasticę historiæ adscribat diabolicæ calliditati deplorandam iugibus lacrymis tanti viri miseriam, dum inquit. *Superest vnum de Origene dicendum inuidia eius, qui malorum omnium est auctor, virum tantum, qui simul & verbis, & factis eo magnitudinis continuis studijs sic in certiore, atq. absolutiore philosoph a processit, a recta quoq; via per errorem esse digressum, peruersisq; inuolutum dogmatibus, præsentem simul, & futuram contaminasse gloriam*: Et a Monachis Hierosolomytanis, alijsq; Patribus impia Origenis dogmata damnata esse scribit libro 17. Idem penitus insedit Ioannis Zonarę animo, qui funestam Decij Imperatoris crudelitatem ad funditus euertendum, si ei licuisset, Christianũ nomen, hæc ad rem nostram de Origene loquitur. *Tunc etiam Origenes ad tyrannicum tribunal vt Christi cultor adductus est, honore martyrij caruit miser ei negato, vt opinor, a Deo, ob peruersas opiniones. Nam tormenta iam expertus, tamen ordinem deseruit. Hic, vt ante dictum est, cum doctrina, & eloquentia excelleret superbia, & arrogatia elatus veterum S. Patrum decretis neglectis nouarum opinionum auctor esse non dubitauit, & blasphemus in Sanctam Trinitatem, diuinamq; inhumanationem ex improbo*

Verbo Origene.

Epist. ad Pamm. & Occeanum.

Cap. 24.

Cap. 27.

Tom. 2. annalium.

cordis sui thesauro eructauit, nec vlla fere secta est, cui non initium præbuerit. Vti tom. 3. Arium suam blasphemiam e Origenianis hausisse fontibus nominatim docuerat, & iterum eodem tomo auctoritate centum sexaginta quinq; Episcoporum explosas Origenis opiniones refert.

Verbo Origenis. Suidas errorum Origenis radices detegens, cum antea admirandas illius virtutes narrasset, quibus supra ceteros mortales decorabatur, ait. *Nec tamen ad extremum vsq; gloria eius inextincta mansit. Nam multiplicis eruditionis industria in lapsum eum ingentem impulit, & multos offendit, multos in exilium deiecit: nam cum sacrarum litterarum nihil non interpretari vellet, in peccati calamitatem incidit, & mortifera enarrauit verba. Nam ab eo & Arius argumenta sumpsit,* & post non pauca illam sapientis sententiam proferens. *Fili caue ne facias libros multos,* rem claudit, ac docet decoro suo excidisse Origenem, propterea quod sapientis non aquieuerit consilio. Marcus Sabellius testatur pleraq; sectatum Origenem, quæ a vera, & sana theologia penitus abhorrent, inter quę illud insigniter erratum recenset, quod deceptus illo prophetico carmine essatiuit. *Non in æternum irascetur,* ex quo absurdissimè intulit, rebelles spiritus a Christo Domino in cœtum beatorum tandem cooptandos.

Enneadis lib. 7.

Cæterum vt hæc veritas omnibus expedita tricis sit illustrior, appositis Antiquorum Patrum testimonijs idem agamus. Ac in primis prætermittentes Epiphanij, Hieronymi, Vincentij Lyrinēsis quę superius attulimus vota, si ab Theophylo Alexandrino sciscitari placet, qualis Origenis doctrina fuerit, ita eum loquentē audiemus; *Scribe signum hoc, quia delebo funditus Origenis hæresim a facie terræ cum ipso Amalech,* & & in epistola prima, quam in solemnitate Paschali ad populum dedit, Origenem Hydram omnium hæreticorū, ac erroris magistrum, & Principem appellat, & rursus in secunda Origenem Pilato, & Iudęis deteriorem fuisse quo pacto suadeat non est hoc loco reticendum. *Cum ergo, ait, Pilatus nec seditione, nec precibus ad hoc potuerit adduci, vt regnū Christi de titulo tolleret. Sciat Origenes absq; vlla necessitate se hoc facere, quod fecerunt Iudæi, vt regnum Christi æstimet terminandum. Illi quidem in terra positum regem negabant, hic regnantem in cælo (quantum in se est) detrahere nititur, vt accusatorem sceleris habeat Pilatū, qui Iudæis respondit, quod scripsi scripsi;* Tandem ne quid criminis Origeni defuisse videretur, eadem epistola magicæ artis patronum, ac defensorem, ac nouæ impietatis assertorem appellat.

Tom. 3. bibliotb. Patrum.

Origenes Iudæis et Pilato deterior.

D. Anastasius Sinayta Patriarcha Antiochenus anagogicarū cōtemplationum in Hexemeron titulo de duobus lignis, eo quod a veritate desciuerit, infelicem Origenem vocat his verbis. *Similiter etiam infelix Origenes, infelicem eum voco, quoniam cum multos, & vtiles sudores emiserit in Ecclesia, & omnem veterem, & nouam scripturam ad verbum sit interpretatus, postea, sicut etiam Eusebius Palestinus a veritate excidit,* & rursus eiusdem innuens delirium ait. *Sensum allegoricum solum scripturæ relinquens omnia nugis, & pestilenti doctrina turbauit. Quam ob rem iurè quoq; Origenem Synodica deponens sententia reiecit:* Quō respexisse puto Anastasium Nicænum Episcopum, dum agnitis Adamantij hæresibus, eum insanum pronunciauit. Quare merito celebris illa Cassiodori de Origene laudanda sententia est. *De Origene conclusiue dictum sit.*

De instit. Diui.

Vbi

Vbi bene nemo melius. Vbi male nemo peius. Et ideo caute, sapienterq; legendus est, ne inde succos saluberrimos exquirentes pariter eius venena perfidiæ vitæ nostræ contraria sorbeamus. Cui & illud conuenienter aptari potest, quod Virgilius, dum Ennium legeret, a quodam quid faceret requisitus, respondit. *Aurum ex stercore quæro.* Cassiadori de Origene grauis sententia.

Magnus ille Theodosius Cenobita meminit Origenem diuinis rebus, sacræq; Apostolorum doctrinę fabellas & gentiliũ cõmenta inseruisse. *Maxime autem ostendebat* (ait Cyrillus apud Surium in vita Theodosij) *se auersari Origenem, qui existimauit suum in hoc ponendum studium, vt diuinæ Apostolorum prædicationi nugas contexeret gentilium, & luderet in rebus minimè ludicris.*

Enim vero digna sunt, vt animo iugiter peruoluamus, quæ Iustinianus Imperator in epistola ad Mennam Vrbis Constantinopolitanæ Archiepiscopum, & Patriarcham non minus subtiliter, & docte, quã piè, & salubriter tractat: vbi cum omni argumentorum classe ducta ex Sacris litteris, votisq; Sanctorum Patrum Sacrilega Origenis dogmata execranda probet, eas in Origenem sententias iure profert, quæ omnino prauæ illius doctrinæ virus patefaciunt, clareq; ostendũt extra Christianam rempublicam eliminandos, qui Origeni, eiusq; dogmatibus aures præbere non dubitant. *Quo modo possunt in Christianis numerari, eum tuentes hominem, qui eũ, quæ Pagani, Manichæi, Ariani sentiunt, tradere studuit?* Sed omnium acutissima pila fuerê, quæ in Origenem statim contorsit, quæ hîc totidem illius descripta verbis contemplanda lectori subijcio. *Quare si hæretici omnes ob vnius, aut alterius dogmatis peruersitatem ab Ecclesia sunt eiecti; subditi anathemati cum suis dogmatibus, quis prorsus Christianorum sustinebit Origenem, eiusq; praua scripta tueri, qui tot blasphemias dixerit, omnibusq; fermè hæreticis tantam exitij, ac blasphemiæ materiam præbuerit, ac idcirco pridẽ a Sanctis Patribus anathemati subiectus sit vna cum sceleratis suis dogmatibus? Nam quamuis concedat quis, Deo repugnantẽ Origenem ex veridica doctrina (quod & apud alios hæreticos inuenitur) aliquid expressisse in improbis suis scriptis: ea ipsius propria non est, sed sancta Dei Ecclesia: atq; hoc ille malitiose in simpliciorũ fraudem molitus est. Nam in Paganorum commentis enutritus, eaq; propagare in animo habens, diuinas se vtiq; scripturas interpretari simulauit, vt hoc modo nefariam doctrinam suam sacrarum litterarum monimentis maligne admiscens Paganicum, e Manichæorum errorem suum, atq; Arianam vesaniam induceret, eosq;, qui sacram scripturam non accurratè percepissent, inescare posset.* Qua pientissimi Cæsaris censura quid in Origenẽ potest rigidius excogitari?

Nec aliud nobis datur sciri ex illa S. Petri Alexandrini Episcopi, & martyris sententia lata in Origenem dum ait. *Quid porro dicam Heraclam, & Demetrium beatos Episcopos? quales tentationes sustinuerunt ab insano Origene, cum ipse dissidia in Ecclesia sereret, quæ ad hanc vsq; diem ei turbas excitauerunt:* cuius testimonij verbum illud *dissidia* non aliud significat, quàm peregrina dogmata, quibus antiquam S. Matris Ecclesię pacem abrupit, vt ex contextu ipso patet. In mystagogia.

Sequitur eandem sententiam Cyrillus Alexandrinus in epistola ad Monachos, qui in Phua, in qua docens nonnullos carnis resurrectionem

de medio sustulisse inquit. *Huiusmodi autem opinio ab improbi Origenis dementia est, quem & Patres nostri, vt veri deprauatorem abdicarunt, & anathematizarunt.* Testantur Patres Aegypti, atq; Alexandriæ aduersus Origenis doctrinam in Synodo congregati (vt ex Synodicæ epistolæ expositione constat,) fuisse Origenem in medio Ecclesiastici cetus dissolutionis abominationem, demiranturq; numquam satis pro dignitate dementiam hominis aliâs celeberrimi, & Paganorum disciplinæ sectatoris, qui mente cæcutiens sacris miscere prophana gaudebat.

D. Ambrosius explanans Psalmum 118. atq; verba illa illustrans, *Stillauit anima mea præ tædio*, seu vt alij codices habent, *dormitauit anima mea &c.* tradit virum perfectum nec stillare, nec dormitare, cuius rei oppositum adimpletum in Origene fatetur. *Sed Origenes, qui multorũ interpretationes diligenti discussit indagine, stillauit.* Sed aduersus Origenem nimis apertum est D. Augustini testimonium, quod breuitatis gratia, recisis nonnullis accipiat lector. *Sed Origenem maximè propter alternantes sine cessatione beatitudines, & miserias, & statutis seculorum interuallis ab istis ad illas, atq; ab illis ad istas itus, ac redditus interminabiles non immerito reprobauit Ecclesia.* Quid autẽ de beato Bernardo loquar, quiscũ ex Origenis sermone dicendi traxisset argumentum mox veritus, ne auditores ex adductis verbis errorem aliquem imbiberẽt, altera die innixus Sanctorum Patrum testimonijs eosdem monuit, Origenem contra fidem scripsisse nonnulla, ac propterea non nisi magna adhibita cautione eius lectioni vocandum. Sed ne longius protrahatur oratio in sigillatim enarrandis Sanctorum Patrum votis, quæ in Origenẽ militant, hæc pauca lectori sufficiant.

De Ciu. Dei lib. 21. c. 17.

Sermone de verbis Origenis.

An viuens Origenes hæresis crimine laborarit.

Cap. XV.

QVAE hactenus generatim de Origenis erroribus memorata sunt suadent eum hæresis crimine, dum vita stetit, damnandum. E regione autem ab hac insigni nota vindicãdum duo ostendere videntur; Alterum, quod in apologia pro Origene conscripta Eusebius Alterum quod D. Hieronymus aduersus Ruffinum suppeditant. Ille enim vix apologiæ exordium auspicatus ea de Origenis mente scripta reliquit, quæ omni hæreticæ prauitatis vitio immunem reddunt. *Nos, ait, perspectis frequenter his quæ ab eo cum magno timore Dei, & cum omni humilitate dicuntur, cum veniam petit pro eis, quæ per nimiam discußionem, & per multam scrutationem scripturarum animo disputãtis occurrunt, quæ cum exponit frequenter addere solet, & profiteri, se non hæc quasi definitiua pronunciare sententia, nec statuto dogmate terminare, sed inquirere pro viribus, & sensum discutere scripturarum:*

nec

nec tamen profiteri, quod integre, perfectèq; comprehenderit, suspicari magis se de quam plurimis dicēs, nec tamen certum esse, quia in omnibus quod perfectum est, & integrum assecutus sit. Quis autem in hæresis crimine Origeni ponat ea, quæ etsi postmodum orthodoxa respuerit fides, non asserendi tamen, sed differēdi, ingeniiq; aciē acuendi gratia tantū locutus sit? an non hæretico errori sic adnexa pertinacia est, vt alterū ab altero secerni non queat? Subinde, quæ hæresis nota meritò inuri potest ei, qui omnino execrari paratus sit dogmata quæ sequitur, vbi a catholica veritate claudicare animaduerterit? quod fecisse Origenē docet S. Hieronymus. *Ipse Origenes in epistola, quam scribit ad Fabianum Romanæ Vrbis Episcopum pænitentiam agit, cur talia scripserit* (nēpe aliena fide) *& causas temeritatis in Ambrosium refert, quod secreto edita in publicum protulerit.* Nec illico hæreseos vitium coniiciendum est in scriptorem, cuius opera aliorum inuidia vitio patere postea conuincuntur, vt scitè protulit D. Hieronymus, dum in hoc ipso argumento versaretur Ruffinum grauibus verbis castigans, eidemq; non pauca mentienti respondens. *Et quomodo inquies in libris eorum vitiosa nonnulla sunt? Si me causas vitiorum nescire respondeo, non statim illos hæreticos iudicabo; fieri enim potest, vt vel Simpliciter errauerint, vel alio sensu scripserint, vel a librariis imperitis eorum paulatim scripta sint. Vel certe antequam in Alexandria Dæmonium meridianum Arius nasceretur innocēter quædam, & minus cautè loquuti sint, & quæ non possint peruersorum hominum calumniam declinare.* At hæc iustæ excusationis ratio quam belle Origeni conueniat, per se clarum est, cum errores illius præcipui, in quibus lapsus est, necdum ab Ecclesia damnati essent, & ipse ante eos hæresiarchas floruerit, qui aranearum instar ex variis ingenii Origenis floribus postmodum venena hauserunt. Quin potuit Origeni id accidisse, quod olim euenisse Platoni litteris consignauit Tertullianus, qui dolere se se aiebat, Platonem bona fide *factum esse condimentarium omnium hæreticorum.*

De erroribus Origenis ad Pammach. & Occean.

Prima Apologia in Ruffinum.

Lib. de anima cap. 23.

Verùm his rationibus haud merito abduci lector debet a tramite veritatis, quæ Origenem hæresis labe infectum fuisse tradit. Quid enim ponderis habere potest citatū Eusebii testimonium, qui in conscribendis rebus, quæ ad Origenem spectant (vt graues viri obseruauerē,) non historici, sed encomiastis partes vbiq; sustinere cognoscitur? Quare licet suæ erga Origenem nimiæ beneuolentiæ sibi ipsi testis Eusebius iustæ huic obiectioni occurrere studuerit hæc in apologetico sermone præfatus. *Nec defensionis studio plus dare ei meriti, quam mensura deposcit, neq; rursus obtrectandi vitio facile condemnare, & alienum ab Ecclesiastica doctrina temere pronunciare*: haud tamen cordatis, studiosisq; lectoribus fucum facere potuit animo repetentibus, eum non inuenire finem canendi miras omnis generis laudes, quibus ad sydera vsq; suum Origenem tollat, & ex aduerso ne verbum quidem fecisse ad ea reprehendenda, quæ ab Origene scripta cæteri orthodoxi auersabātur; quin immo vllum recusasse laborem, quo damnata Origenis dogmata defendi posse arbitrabatur. Vis ardens istud Eusebii desiderium clarè intueri, animum adiice ad ea, quę nunc profero ex lib. 6. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 17. *Qui vero*, ait, *deinceps fuerint de illo tumultus, & di-*

scordiæ

scordiæ cōcitatæ, quæ de eisdem ita commotis ab Episcopis, qui Ecclesijs præfuerūt, decreta, deniq; quæ incommoda, cum in Verbi Dei explicatione summa cum laude floreret, pertulerit, quamquam separatum opus ad plenam eorum explicationem postulare videntur, tamen in secundæ Apologiæ libro, quā pro eius defensione edidimus, aliqua ex parte (quantum tenuitas ingenij nostri patiebatur) de eisdem disseruimus. In quo testimonio quis non videt, beneuolentius quam par erat, tumultus, litium, & controuersiarū vocabulis impia Origenis dogmata, quibus vniuersa Ecclesia & turbata, & lacerata est, velut in transcursu Eusebium perstinxisse, quæ seueriori censura indigebant? Adeat quæso veritatis amans lector Origenis Periarchon, (vt interim alia illius opera omittamus) & re ipsa sentiet, hanc nimis benignā errores Origenis excusandi interpretationem adeo retortam esse, vt Origeni ipsi, dum spiritum agebat, exosa, & contraria fuerit. Etenim in opere illo tanta animi constantia, tantaq; asseueratione pleraq; tradit, explicat, ac definite docet fidei catholicæ repugnantia, vt nullum hæsitationi locum relinquat.

Laus S. Hieronymi, qua Origenē coluit, qua ratione intelligenda.

Falsum autem esse, quod S. Hieronymi auctoritate firmatur, per se quilibet facilè intelligere potest, cum S. Hieronymus ad Pammachium, & Occeanum scribens in hoc vno desudarit, vt Origenis proderet errores fidei catholicæ aduersantes, quibus hæreticus conuincitur. Hieronymi verba sunt. *Laudaui interpretem, non dogmatisten, ingenium, non fidem, philosophum, non apostolum. Quod si volunt super Origene meum scire iudicium, legant in Ecclesiasten commentarios, replicent in epistolam ad Ephesios tria volumina. & intelligent me semper eius dogmatibus contra isse. Quæ enim stulcitia est sic alicuius laudare doctrinā, vt sequaris & blaspemiam?* & post multa ait. *Congregaui libros eius, fateor. Et ideo errores eius non sequor, quia scio vniuersa, quæ scripsit. Credite experto quasi Christianus Christianis loquor, venenata sunt illius dogmata, aliena a scripturis sanctis vim scripturis facientia.* Et rursus in epistola ad Vigilantium, qui illum velut Origenis erroribus fauentem calumniabatur, similia repetens ait. *Origenes hæreticus quid ad me, qui illum in plerisq; hæreticum nō nego? Errauit de resurrectione corporis: errauit de animarum statu: de Diaboli pœnitentia, & quod his maius est, filium Dei, & Spiritum Santum in Commentarijs Esaiæ Serephin esse testatus est. Si errasse non dicerem eum, & hæc quotidie non anathematizarem, essem erroris illius socius &c.* Præterea in duabus apologijs contra Ruffinum conscriptis quis Hieronymo vnquam fuit vel in referendis Origenis erroribus diligentior, vel in refellendis acutior, vel in anathematizandis prumptior, & cordatior?

Errores Origenis ex S Hieronym.

Sed, quia res clara per se loquitur, obiectæ difficultati satisfaciens fateor, a Summo Pontifice Fabiano errorum suorum veniam olim deprecatum Origenem: at post susceptam pœnitentiam iterum cecidisse stolidissimum fuit, veræq; pietati oppositum. Quid? si eadem ipsa pœnitentia fucata, solisq; verborum coloribus adumbrata non vera pœnitentia ex ipsa Origenis excussatione cognoscatur? scilicet temeritatis causā Ambrosio assignare, quod clam, & secreto cōscripta euulgarit (vt fecisse Origenē prodidit Hieronymus) scelerū suorū pœnitere est? ergo ne socios criminis quærere, & errorum suorum alios velut propalatores criminari mæroris signum habebitur? ergo ne clanculo venenata tela

cudere,

endere, quamuis alij ea in Christi gregem contorqueant, licebit? quòd si impium fuit hoc egisse, cur non angebatur Origenes hæc illi etiam secreto scribenti venisse in mentem? cur non totis sensibus doluit ea suis cartulis inseruisse?

De vltima autem argumentatione mihi iuditium est, hæreticos, qui Origenis tēpora sunt secuti, solita arte non pauca ab Origene mutuatos ad ea detorsisse, quæ fidei nostræ puritas respuit, quæq; ne somniasset quidem Origenes, vt doctrinæ illius patroni fusius ostendere conati sunt, quibus facile assentitur etiam in citato testimonio S. Hieronymus. Cæterum prauæ doctrinæ, quæ sanam fidem demoliatur, auctorem fuisse Originem quis inficiabitur? a quo tot impia dogmata, de quibus paulo post, profluxerunt.

Origenem nulla ratione ab hæresis crimine posse vindicari Varios Eiusdem recensitos errores, quibus irretitus fuisse dignoscitur.

Cap. XVI.

QVAE postremis capitibus allata sunt etiam nolenti facile persuadent, Adamantium nō fuisse immunem hæreticæ prauitatis, ad quod euincendum (si cetera deessent argumenta) illud meo iuditio instar omnium foret, quod cum viuens Origenes apprimè nosset ab omnibus fermè catholicæ fidei antesignanis, & ducibus plurima sua dogmata vel in apertam hæresis suspicionē vocata, vel reiecta vt contraria communi fidelium scientiæ & pietati, vel certe ecclesiasticis dāmnata censuris, omnino tenebatur sedula indagine omnia ingenij sui monimenta scrutari, ac ab illis radere, & resecare ea, quæ aut errorem sapere, aut errandi ansam cęteris præbere posse didicerat ex ijs, quæ in crimen publicè vocabantur; at huic muneri defuisse hæresis crimine non vacat, hinc enim apertè colligitur, ei noxia dogmata nullatenus displicuisse, quæ detestari iure diuino tenebatur, dicente Domino, *væ illi, per quem scandalum venit*. Quod pia animi cogitatione cernens iubar illud Ecclesiasticum B. Augustinus, ne offendiculum aliquod in illius doctrina forte latitaret, omnes illius latebras lustrans duos retractationum libros iam grandeus adeo exquisito labore conscripsit, vt non modo emendarit ea, quæ maleuoli quauis ratione possent ad malos sensus detorquere, verùm etiam quę vel comperta postmodum veritati, vel historijs, vel probabilitati quoquo modo repugnantia videri possent.

Nunc

Nunc ad venenata Origenis dogmata accedamus, quæ etsi plurima fuerint, ea duntaxat in pręsens consignanda erunt, quæ præcipua velut alterius Hydræ capita cẽsentur, quæq; virgula censoria ab ijs nouimus reprobata, quorum auctoritati fidem abrogare nefas est, & scelus execrandum. Quocirca primo loco hæ Origenis hæreses sistendæ sunt, quas Synodus quinta vniuersalis Constantinopoli coacta in hæc verba damnauit.

Apud Nicephorum Calixtũ Ecclesiast. Histor lib. 17. ca. 28

Si quis dicit, aut sentit hominum animas veluti prius extantes, intellectuales mentes, siue naturas, & sanctas virtutes praeexistere, contemplatione verò diuina exsatiatas, atque in deterius prolapsas, & quod in eis charitas Dei refrixerit, inde animas quasi refrigescentes nominatas, & pœnæ gratia in corpora demissas esse anathema sit.

Si quis dicit, aut sentit animam Domini praextitisse, vnitamque esse Deo Verbo ante Incarnationem, & Natiuitatem ex Virgine anathema sit.

Si quis dicit, aut sentit prius formatũ esse Corpus Domini nostri Iesu Christi in vtero Virginis Sanctę, & deinceps vnitum esse in Deum Verbum, atq; animam, vt quæ prius extiterit, Anathema sit.

Si quis dicit, aut sentit omnibus cælestibus ordinibus assimilatum esse Dei Verbum, itaut ipsi Cherubin factus sit Cherubin, & ipsi seraphin factus Seraphin, omnibusq; adeò superius virtutibus prorsus esse exequatum anathema sit.

Si quis dicit, aut sentit in resurrectione rotundæ, & orbicularis figuræ hominum corpora exusitatum, neq; confitetur erectos nos excitatum iri anathema sit.

Si quis dicit Cælum, & Solem, & Lunam, & Stellas, & aquas, quæ supra cælos sunt, animatas quosdam esse, & materiales virtutes anathema sit.

Synod. quintæ in Origenem anath.

Si quis dicit, aut sentit, Christum Dominum in seculo futuro pro Demonibus, quemadmodum & pro hominibus crucifixum iri anathema sit.

Si quis dicit aut sensit virtutem Dei terminatam esse, eamq; tantum in creatione condidisse, quantum complexa sit. Anathema sit.

Si quis dicit, aut sentit temporanea esse Demonum, & impiorum hominum tormenta, finemq; ea tempore aliquo habitura, siue restitutionem Demonum, & impiorum hominum futuram anathema sit, Anathema sit Origeni, qui & Adamantius dictus est, & hæc promulgauit vna cum detestandis eius, & execrandis dogmatibus. Hæc crimina sunt Origenis, ob quæ Patres illi, quorum vota recensuimus, iure merito illũ impie de fide orthodoxa sensisse allatis votis conquesti sunt, quę sigillatim omnia numerauit Nicephorus Callistus lib. 17. Ecclesiasticæ historię cap. 28. & ante illum aliqua ex parte explosit B. Augustinus lib. 21. de Ciuitate Dei cap. 17. Sed ea latissimè profligauit S. Epiphanius Salaminæ Cypri Episcopus in epistola græcè exarata ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum, quam a S. Hieronymo latinitate donatam reperiet lector inter opera eiusdem S. Doctoris tom. 2.

Cæterùm quis eodem Hieronymo diligentius ista quęsiuit? quis inuenit solertius? quis considerauit attentius? quis detestatus est constantius? Lege in Ruffinum Apologias, perpende ad Auitum opus, ad Pammachium, & Occeanum scripta recole, meditare ad Vigilantium salu-

bre

bre consilium, & admirabilem tanti Patris in hac re grauissima solertiã intueberis. Verum ne eadem errata iterato sermone repetamus, non omnia, quæ S. Hieronymus obseruauit, sed ea duntaxat, quæ in quinta Synodo, ceu capita desiderantur, hoc loco suppeditabimus, innuentes quæ longa oratione idem S. Hieronymus prosequitur, cum inquit. *Dicite Origenem male sensisse de filio, peius de Spiritu Sancto, resurrectionem carnis verbo tantum confiteri, cæterum assertione destruere, & post multa secula, atq; vnam omnium restitutionem id ipsum fore Gabrielem, quod Diabolum, Paulum quod Caypham, virgines quod prostibulas.*

Epistola Ad Pammachiũ & Occeanum.

Sed quia hoc Hieronymi testimonio lector peculiares Origenis errores limatius nosse adhuc non potest, quid de substantiali Trinitate impiè effutiuerit, ex epistola cognoscendum, quam ad Auitum dedit, vbi apertis verbis, quod hic innuerat, latius prosequitur, docens sensisse Origenem, Christum Dei filium non natum esse, sed factum; Deum Patrem per naturam inuisibilem etiam a filio non videri. Filium, qui sit imago inuisibilis patris comparatum Patri, non esse veritatem: apud nos autem, qui Dei omnipotentis non possumus recipere veritatẽ, imaginariam virtutem videri. Deum Patrem esse lumen incomprehensibile: Christum collatione Patris splendorem esse perparuum, qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse videatur. Deum Patrem omnipotentem appellat bonum, & perfectæ bonitatis: filium non esse bonum, sed auram quandam, & imaginem bonitatis. Tertium dignitate, & honore post Patrem, & Filium asserit Spiritum Sanctum, quem factũ esse voluit. Filium minorem Patre, quia secundus. Et Spiritum Sanctum inferiorem filio in Sanctis quibusq; versari. Patrem non comprehendi à filio.

De Sãctissima Trinitate Orig. errores.

At quia non finis hic est Origenicæ impietatis in Sacratissimum Trinitatis mysterium, etiam sibi ipsi contrarius rursum blasphemat asserens omnes rationales naturas, idest Patrem, & Filium, & Spirtũ Sanctum, Angelos, Potestates, Dominationes, cęterasq; virtutes, ipsumq; hominem secundum animæ dignitatem vnius esse substantiæ: & in epistola aduersus Vigilantium. *Et quod maius est*, inquit Hieronymus, *Filium Dei, & Spiritum Sanctum in commentarijs Esaiæ Seraphin esse testatus est.* Et quamuis, vt tantorum sacrilegiorum crimen effugeret, addiderit Origenes ista. *Hæc iuxta nostram sententiam non sint dogmata, sed quæsita tantum, atq; proiecta, ne penitus intacta viderentur*; haud tamẽ iustã catholicæ Ecclesiæ censurã declinauit, cũ dubius in fide merito cẽsensus sit infidelis, sẽperq; fuerit magnæ impietatis crimen, non dicã in disceptationẽ adducere, sed ẽt leui cogitatione huiusmodi portẽta attigisse. Et in prima Apologia contra Ruffinum ait Hieronymus. *Probo ego inter multa Origenis mala hæc maximè hæretica. Dei filium creaturam. Spiritum Sanctum ministrum.*

Sed ais, cur crimini dat Origeni S. Hieronymus id, quod eidẽ in laudibus posuerẽ Athanasius, Nazianzenus, ac magnus Basilius, teste Nicephoro, primus enim ille consubstantialis Trinitatis testem Origenem excitat, hi verò illius doctrina adiuti Arianorum audaciam compressẽre, vt supra diximus. Sed cum varia fuerint Origenis monimenta, quid mirum accidet, si quandoq; in illis repertum est, quod & lauda-

rit Athanasius, & ad demoliendam Arianorum insaniam adiumento fuerit Gregorio, & Magno Basilio.

An volumina tot polluta blasphemijs, quæ S. Hieronymus annotauit, lucem hanc aspexerunt, iam diu extincto Origene; è contra verò, quæ sanam de Trinitate sententiam habent, ab eodem pectore profluxerunt, antequàm conceptum hæresis venenum ab omnibus agnosceretur? Iudicet, qui me ista melius agnouerit. Libenter crediderim alto diuinæ voluntatis consilio concessam hanc in operibus Origenis de mysterio Trinitatis repugnantiam, & contrarietatem, vt ex tanto fidei catholicæ, ac Trinitatis hoste verũ etiam de Trinitate dogma posset confirmari. Tandem quæ potest esse in hac re admiratio, si videlicet sibi ipsi contraiuit Origenes, qui de eadem Trinitate agens inconstantissimo crimine, nunc in partes dissecat Trinitatem, nunc eandem in vnam substantiam cum hominibus & Angelis secundum animæ dignitatem copulat?

Ad Auitũ, & in Apolog 1. Verum ad errores reuertamur Origenis, qui eodem auctore Hieronymo mundos fore innumerabiles æternis sibi inuicem seculis succedẽtes dixit. Homines sine corporibus fortasse victuros. Corporum resurrectionem sic futuram, vt eadem membra non sint mansura, quia cessantibus membrorum officijs superflua membra reddantur, ipsaq; corpora tenuia, & spiritualia paulatim euanescere, & in auram tenuẽ, atq; in nihilum dissipari. In restitutione omnium, quando indulgẽtia principalis venerit, Cherubim, & Seraphin, Tronos, Principatus, Dominationes, Virtutes, Potestates, Archangelos, Angelos, Diabolum, Dæmones, animas omnium hominum tam Christianorum, quàm Iudæorum, & Gentilium vnius conditionis, & mensuræ fore.

Sed de mortiferis Adamãtij dogmatibus hactenus. Cętera qui audire desiderat, legat citata D. Hieronymi loca, & S. Epiphanij epistolam, in qua non solùm in Origene eadem arguit, quæ Hieronymus, sed etiã noua deliramẽta refellit, de quorum numero hoc vnum eiusdem Adamantij omni absurditate maius Epiphanij ore audiat lector. *Origenes præcipit, & legem dat, vt non dicam constringit discipulos suos ne quis oret in cælum ascendere, ne peius iterum peccans, quam in terris ante peccauerat, præcipitetur in mundum.* Non est mei muneris in præsentiarum recensitas blasphemias refellere, cùm quia ad eos meus hic labor, qualis, qualis sit, dirigitur, qui catholicam edocti veritatem, hæc non tam redarguenda rationibus, quam exhibillanda, atq; explodenda chachinnis mallent, tum quia allatis, cæterisq; omnibus impietatibus satis pro dignitate Concilijs, apostolicis sanctionibus, sanctorum Patrum testimonijs, ac sacræ paginæ auctoritate sic contra itum est, vt numine propicio nostris hisce temporibus firmissimis vndequaq; nitatur radicibus veritas catholica.

Genebrardus in Collectaneis vitæ Origen. cap. vltim. Ex his clare patet, quàm grauiter hallucinentur hi, qui ad hæc vsq; tempora apologeticas pro Origene disceptationes instituerunt, vt errores, & crimina ab eodem remouerent reprehensibili labore conantes asserere, notata in Origene loca vel maleuole in deterius accepta, vel è libris non extantibus, vel suppositicijs citata, vel ab hæreticis corrupta vel assuta esse. Quod quis patienter ferrat? Scilicet in quintam Oecumenicam

menicam generalem Synodum, quæ hæretica monstra cum auctore suo diro anathemate ad Orcum detrudit, tacta vitia cadere potuisse catholicæ fidei alumnus suspicabitur? eamq; asseret præcipiti iuditio, senetoriq; censura hæc effinxisse? Videant quæso qui hæc prodiderunt, quo infallibilem sacrorum Cõciliorum auctoritatem reduxerint? Meditentur hanc esse potissimum rationem, qua fidei nostræ hostes sacrorum Conciliorum decreta insolentius reijciant non sine magna numinis iniuria? Plus enim apud eos Origenici nominis, quã Sacrarũ Sanctionũ, quæ è diuino afflatu emanant, ponderat auctoritas, ac dum grati animi testificatione colunt Origenem, sacra decreta non venerantur. Vt interim non dicam, ab ijsdem S. Hieronymum, Epiphanium, cęterosq; Ecclesiasticæ Reipublicæ proceres grauiter perstringi, cum eos vel maleuolos, vel impostores, vel criminatores esse coguntur necessario fateri, si vera sunt, quæ scripta reliquerẽ. Immo clare testantur sibi antiquiora esse testimonia Ruffini, ac Eusebij Cæsariensis, qui hæretico quondam deprauati dogmate fuerunt, quam solidæ tantorum Patrum auctoritates existant.

De anathemate, quo viuus, & mortuus a SS. Patribus, & Concilijs percussus est Origenes; ac de æterno illius supplicio.

Cap. XVII.

Grauissimis Adamantij sceleribus obuiam iere illi, quorum partes tunc erant, fidei sinceritatem tueri impollutam; ac vt è re catholica censebatur, nunc in praua dogmata, nunc in illorum auctorem graui anathemate insurrexerẽ iteratis vicibus. Quocirca primò viuens adhuc Origenes excõmunicationis pęna affectus est a Demetrio Alexandrinæ vrbis Episcopo eiusdem Adamantij suppare, vt superius ex S. Hieronymo in apologia prima contra Ruffinum claruit; quo catholicæ veritatis defendendæ zelo pariter inflammatus Heracla Alexãdrinæ Ecclesiæ Antistes degentem adhuc inter mortales Origenem è cætu fidelis populi censuit emandandum, ceu ex expositione Synodicæ epistolæ Episcoporum Aegypti, & Alexandrię clarum est. *Is enim cum cæpisset blasphemas homilias habere, Heraclas beatæ memoriæ tum Episcopus, vt studiosus veritatis arator, ac vinitor Ecclesiastici agri, eum è medio pulchræ, ac lætæ segetis euulsit*; ecclesiasticis, vt mea fert opinio censuris, quibus blasphemiæ iure merito puniri consueuerunt,

Origenes viuus anathemate percussus.

An simili irretitus censura fuit, cum martyrio excidens thure coluit idola, si vera est historia? næ mihi certè errare videretur qui probabiliter id assereret, cum re ipsa insigne adeo facinus non alio supplicio esset puniendum? quod ex Epiphanio, cæterisq; id prodentibus conijci potest, dum ab Ecclesia eiectum ea de causa Origenem tradunt; quo enim modo excommunicatione adhuc immunis ab Ecclesia iure eiectus dici potuit? Præterea diuinæ obnoxium indignationi declaratum Origenẽ ab Anastasio Summo Pontifice didicimus ex Theophylo Alexandrino Episcopo, qui in sermone ad monachos exarato. *Quare, ait, anathematizantes Origenẽ, et cæteros hæreticos, exemplo nostro, & Anastasij S. Romanæ Ecclesiæ Episcopi, qui ex veteribus certaminibus clarus nobilissimi populi dux creatus est, quem & vniuersa beatorum Occidentis Episcoporum sequitur synodus, quæ accepit, & probauit Alexandrinorum sententiam in impium latam.* Ex quo Theophili testimonio illud etiam intelligimus, non solum ab Summo Pontifice Romano, verum etiam a generali synodo ibidem habita anathemate percussum Origenem.

Cæterum veritatis huius acerrimus ille Origenis insaniæ hostis Hieronymus testis est epist. 78. ad Pãmachium, & Marcellam data de Origene loquens. *Quamquam celebri sermone vulgatum sit, beatum quoq; Papam Anastasium eodem feruore, quia eodem spiritu est, latitantes in foueis suis hæreticos persecutum; eiusq; litteræ doceant damnatum in Occidẽte, quod in Oriente dãnatũ est. Quòd facile apparet ex eiusdem Anastasij epistola, quam ad Ioannem Hierosolymorum Episcopum miserat*, quæ nunc extat tomo primo epistol. Romanorum Põtificum. Præterea eiusdem decreti ab Anastasio conditi super errorum Origenis dãnatione in vtraq; apologia aduersus Ruffinum meminit Hieronymus ita scribens. *Quid facient epistolæ Theophili Episcopi? Quid Papæ Anastasij in orbe toto hæreticum persequentes.* Et iterum. Ego, ait, *& beati Episcopi Anastasius, & Theophilus, & Venerius* (qui per ea tempora gregis Mediolanensis pastor erat) *& Chromatius, & omnes tam Orientis, quàm Occidentis catholicorum Synodus, qui pari sententia, quia & pari spiritu illum,* (hoc est Origenem de eo enim sermo est) *denunciant populis, fures librorum illius indicandi sunt?* Vide lector quo studio, ac quo labore totius Christianæ reipublicæ Antesignani sanctis decretis, Origenem, eiusq; impia dogmata damnarint. Quamuis me non lateat simili damnationis pęnæ ab eodem Theophilo damatos Adamantij libros, vt auctor est Socrates. Hist. Ecclesiast. lib. 6. cap. 9. cum inquit. *Itaq; Theophilus vt primum Epiphanium virum ob pietatem celebrem in suam sententiam rapuerat, intellexeratq; institutum suum, & conatum ex sententia procedere, animo confidenti ipse etiam multos Episcopos in vnum cogit simili ratione cum Epiphanio libros Origenis, qui ante annos circiter ducentos, mortuus erat, condẽnat.*

Mortui Origenis libri condemnati.

Quòd si quispiam roget, quale esset Theophili institutum, de quo Socrates, ab eodem Socrate rem totam enarrante audiat cum inquit. *Epiphanius verò propter pietatem eximiam, & sinceram, ac simplicem morum ingenuitatem Theophili litteris facile ad id faciendum inductus fuit.* Et protinus subtexẽs, quid in optatis haberet, ac vt, ab Epiphanio executioni mandaretur, enixè postularet Theophilus, ait. *Concilio igitur Episcoporum illius insulæ conuocato, sancit, ne quis Origenis libros legat,*

quin.

quin etiam litteras ad Ioannē Episcopum Constantinopolitanum dat, quibus hortatur, vt a libris Origenis perlegendis abstineat, congregetq; Concilium. Eandem rem latè prosequuntur Sozomenus lib. 8. Ecclesiasticæ historię cap. 11. 12. 13. 14. Et Nicephorus Callistus historię Ecclesiasticę lib. 13 cap. 10. 11. 12. 13. 14. Verum ne veritas periclitetur, nosse æquum est, Socratem, Sozomenum, ac cæteros, qui affirmant ab Epiphanio, & Theophilo damnatam esse librorum Origenis lectionem in Synodo Cypriensi, & Constantinopolitana a vero procul aberrasse, cum certum sit ex S. Hieronymi ad Pammachium, & Occeanū epistola, ex vtraq; apologia aduersus Ruffinum, & ex ipsa S. Epiphanij epistola ad Ioannem Hierosolymitanum data, quam è greco in latinum transtulit Hieronymus, ac ex ipsis Paschalibus Theophili litteris, eos nihil aliud contendisse, quam vt Origenes, prauaq; eius dogmata damnarentur. Quod si offendas apud Anastasij Summi Pontificis litteras, quas ad Ioannem Hierosolymitanum dedit, vel apud alium catholicæ religionis alumnū vetitam Origenis lectionem, id duntaxat de libris Periarchon accipito, qui turpissimis hæresibus scatent. Cæterum Gelasius Summus Antistes censuit ea duntaxat opera Origenis respuenda, quæ D. Hieronymo nō probantur, cetera velut opportuna lectoribus concedens cum ait. *Origenis nonnulla opuscula, quæ vir beatissimus Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, reliqua autem omnia cum auctore suo dicimus renuenda.* In Concil. Rom. capit. de libris apochrij. to. 1 Conciliorū.

At quia labentibus annis nequissimus diuinitatis æmulator, & menmendacij parens Cacodæmon non exiguam orbis partem Origenis labe infecerat, rursus conuocato diuina ope Concilio Constantinopolitano, in quo Pelagius Romanæ Ecclesiæ Diaconus Apostolicæ sedis Apocrisarius, & Menna Archiepiscopus Constantinopolitanus, qui vices Romani Pontificis apud Orientales Ecclesias agebat, cæteriq; Episcopi aderant, in Originem, eiusq; venenata dogmata sentētia anathematis scripta est. Qua de re præclarum extat Liberati Archidiaconi testimoniū. *Redeunte verò Pelagio Constantinopolim, monachi, qui ab Hierosolymis, per quos Pelagius in Gazā transitū habuit, venerunt ad eum in Comitatu portantes capitula de libris Origenis excerpta volētes agere apud Imperatorem, vt Origenes damnaretur cū illis capitulis. Igitur Pelagius æmulus existens Theodoro Cæsareæ Cappadociæ Episcopo, volens ei nocere, eo quod esset Origenis defensor, vna cum Menna Archiepiscopo Constantinopolitano flagitabant a Principe, vt iuberet fieri, quod illi monachi supplicabant, vt Origenes damnaretur cum ipsis capitulis talia dicentibus. Annuit imperator facillimè gaudens se de talium causa iudicium ferre. Iubente eo dictata est in Origenem & in illa capitula anathematis damnatio, quam subscribentes cum Menna Archiepiscopo apud Constantinopolim reperto deinde directa est Vigilio Romano Episcopo, Zoilo Alexandrino, Ephremio Antiocheno, & Petro Hierosolymitano, quibus cum accipientibus, & subscribentibus Origenes damnatus est mortuus, qui viuens olim fuerat ante damnatus.* Capita hęresum Origenis in hoc damnata Concilio ea ipsa sunt, quæ nos inter Origenis blasphemias reposuimus ex quinta synodo. In Breuiario cap. 23. prope fine.

Illud postremo loco adijciēdum his erroribus Origenis nomen adeo execrabile redditum, ac Sanctis Patribus inuisum, vt nefas esset, quempiam

piam Episcopali, aut alia Ecclesiastica dignitate ornare, ni ille prius Adamantium, eiusq; nefaria dogmata palam detestaretur, vt sancitũ est in Constantinopolitana Synodo quinta, cuius verba ex expositione Synodicæ epistolæ superius adducta sunt. *In posterum autem ne aliter ordinentur Episcopi, aut Monasteriorum hegumeni, nisi prius cum alijs omnibus hæreticis, qui de more in libellis anathematizantur, id est, Sabellio, Ario, Apollinario, Nestorio, Eutychete, Dioscoro, Timotheo, Aelano, Petro Magno, Antymo Trapezontij, Theodosio anteà Alexandriæ, & Petro, qui Apameæ præfuit, & Seuero, qui Antiochiæ prædictum etiam Origenem, qui Paganorum, Arianorumq; insania laborauit vna cum execrabilibus, impijsq, eius dogmatibus anemathizent.*

Nullus ad Episcopalẽ dignitatem euehebatur ni Origẽ publice detestaretur.

Ex his facile assequi lector potest, quid de felici, aut misero Origenis ex hac vita euolantis statu censendum sit. Quæ enim spes de æterna illius salute relinquitur, qui viuus, & mortuus diro anathematis fulmine ictus est, qui tanta insania delirauit, vt ne diuino numini parceret tot blasphemias in Trinitatem arcuato vulnerẽ iaculatus? Enim vero sempiternum huius miserrimi interitũ vsq; adeò clare ingerunt adducta hactenus Sanctorum Patrum, & Conciliorum testimonia, vt nequeat sine flagitio in dubium reuocari, accedente præterea reuelatione facta diuinitus, qua æternis gehẽnæ ignibus Origenẽ cremari innotuit, Moscho auctore, qui Theophanis hæresi Nestoriana laborantis saniorẽ mentem explicans tradit interdiu ostensam illi gehennam diuino munere, in qua torquebatur Origenes. *Circa autẽ horam nonam diei sequentis aspexit frater* (Theophanes) *qui erat in spelunca quendam astantem sibi aspectu terribilem, ac dicentem veni, & vide veritatem,. Assumensq; eum duxit in locum tenebrosum, ac fœtidum ignem euaporãtem, atq; in ipsis ignibus vidit Nestorium, Euthychetem, Apollinarem, Dioscorum, Seuerum, & Origenem, & alios quosdam. Dixitq; illi is, qui apparuerat, locus iste præparatus est hæreticis, & blasphemantibus, & ijs, qui illorum dogmata sequuntur.* Ne autem modici ponderis esse putes, quæ a Moscho litteris consegnata sunt, meminisse operæ pretium erit, quod alibi annotauimus, Pratum Spirituale Ioannis Moschi, siue cuiusuis alterius fuerit, tantæ auctoritatis esse, vt à Septima Synodo generali in testem veritatis fuerit adductum. Adfuit eidem sentẽtiæ Simeon Salus, dum symbolica familiari locutione vsus Monachum temere iudicantem colapho percusit sic eum increpans. *Cur vituperas Lupinos? ij fuerunt madefacti quadraginta diebus. Origenes vero ex his non comedit, quoniam mare subyt, & non potuit egredi, & fuit suffocatus in profundo.*

De Originis dãnatione coniectura.

Apud Suriũ tom.4. die 1. Iulij.

Pro huius disceptationis clausula adijciendum, meam hanc de æterno Origenis interitu assertionem, quam verissimã arbitror, non ea certitudine ex hactenus dictis elici, vt ad eam amplectendam ex fidei necessitate teneamur, cum hæc ad fidei substantiam non attineat. Ex quo penitus ruit contentiosa Ioannis Pici Mirandulani apologetica disputatio, quam pro salute Origenis instituit, in qua hę Sanctorum Patrũ, ac Conciliorum allatæ sanctiones desiderantur, quæ vt caput sunt, & robur aduersus Origenem, ita ab eruditissimo viro non satis pro dignitate explicatæ sunt. Esto enim expressis Conciliorum verbis non esse definitum Origenis animam æternis esse addictam supplicijs; quin esto

etiam

etiam assertam hanc a Synodo veritatem non esse fidei præcepto, sed pie duntaxat a fidelibus credendam, cum ad fidei catholicæ substantiam non pertineat, quis tamen a temeritatis nota poterit eum vindicare, qui contumax fuerit in fide præstanda citatis Concilijs, & Sanctorum Patrum Sanctionibus, quæ dum viuum, & mortuum Origenem anathemate feriunt, eum sine dubio Dæmonis mancipium declarant? non enim piæ matris Ecclesiæ mos est, tot pœnis sæuire in mortuum, cuius æterna salus non sit desperata. Et tamen Sancti Patres Synodica acclamatione non modo venenata Origenis dogmata, sed etiam illum ipsum Origenem diris deuouerunt, ea prorsus ratione, qua cæteros hæresum auctores suggillavere, quorum animas æterno gehennæ incendio plecti parens Filium mater censet Ecclesia, de cuius iuditio is duntaxat vereri potest, qui iuditio caret.

Hinc videat lector quô apologetica disceptatione sua Picus rem deduxerit, quippe qui fateatur omnino necesse est, aut cum infelici dogmate suo damnatam Origenis animam, aut vna cum Origene Sabelium, Arium, Apollinarium, Nestorium, Euthychetem, cęterosq; tum antiqui, tum recentis æui hæresiarcas æternam probabiliter nactos salutem, cum similis, & eadem prorsus sit communis fidelium cætus, sanctorum Patrum Sacrorum Conciliorum, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ sententia, qua sacrilega dogmata, eorumq; auctores pœnis, ac censuris damnant. Quo respiciens Nicephorus Callistus lib. quinto Historiæ cap. 24. insana dogmata & mortem Origenis impiam appellat, & cap. 33. eiusdem libri miserabilem & infelicem scribit obijsse.

DE

DE TERTVLLIANO.

Tertullianum à prima iuuentute Ethnicorum erroribus, ac superstitioni addictum fuisse.

Cap. XVI.

A partu Virginis 200.

TErtullianus natione Afer, patria Carthaginensis honesto loco natus Patrem habuit Centurionem, D. Hieronymo teste in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, proconsularem virum, claruit autem circa annum Domini ducentesimum, vt testantur Eusebius, Beda, Belloacensis, Trithemius, ac alij plures sub imperio Seueri, & Antonini Caracallæ, qui ad extremam vsq; senectutem perueniens è humanis excessit. Sanè fuit hic vir communi omnium sententia ingenij, eloquentiæ, & eruditionis gloria illustris, quippe qui ab eruditissimis, ac disertissimis omnibus, ad quorum manus ingenij illius monimēta peruenerunt, non sine admiratione laudibus meruit cumulari In vita Cypriani Cyprianus Tertullianum magistrum, & doctorem, Diuinarum inst. lib. 5. cap. 1. Lactātius Firmianus virum omni litterarum genere peritum, disertissimum Lib. de bono viduit. cap. 5. Augustinus, præditum acri, & vehementi ingenio, eruditissimumq; Lib. de Script. Eccles. Hieronymus, eloquentia pollentem, Hist. lib. 4. cap. 34. Nicephorus; legum, & rerum Romanarum scientia clarum Lib. 2. Eccles. Hist. cap. 2. Eusebius, apud omnes Ecclesias celebratissimū De 6. mundi ætat. ad annū 4163. Beda appellarunt. Vis ex parte veritatem hāc intueri, Hieronymi perpende sententiam. *Quid Tertulliano eruditius, quid acutius? Apologeticus eius, & contra gentes Libri cunctam seculi continent disciplinam*: & hæc hactenus de Tertulliani incunabulis, & ingenij laudibus.

De Scriptoribus Eccl.

Nunc de religione, quā primò coluit non nihil indagandum. Non enim a parentibus, qui Christo nomen dedissent, progenitus lucē hanc aspexit, nec statim ineunte iuuentutis vere amans fuit catholicæ religionis, sed consuetis gentium erroribus studens fidei nostrę decreta derisit aliquando, quod de Tertulliano haud tam liberè assererem, ni assertionis huius auctor, & testis ille ipse mihi esset Tertullianus. Nam cum Apologetici cap. 18. aduersus gentiles, & hæreticos de extremo

iuditio,

iuditio, de vita æterna, de igne itidem æterno, ac de mortuorum resurrectione orationem instituisset, mox ad rem præsentem ista subiecit. *Hanc, & nos risimus aliquando, de vestris fuimus, fiunt, non nascuntur Christiani.* Eadem ingenua veritate crimen hoc suum fateri non erubuit lib. de pallio cap. 5., vbi obijcenti cuidam, cur toga relicta pallium induisset, ita respondit, vt sibi ipsi, pallioque suo gratularetur, quod Christianam philosophiam iam tandem suscepisset. *At ego iam illi etiam diuinæ sectæ, & disciplinæ comercium confero. Gaude pallium, & exulta, melior iam te philosophia dignata est, ex quo Christiannm verè cæpisti.* Quo testimonio clare ostendit, se repudiata philosophorum, ac gentilium, in qua se antea exercuerat, philosophia, Christianam disciplinam assecutum.

Si quæratur: quo ætatis anno in Christianorum castra se receperit, ego quidē certi nihil haberi posse existimo illo tacente, ex cuius monimentis harum rerum notitia maximè hauriri potest, cæterisque antiquis scriptoribus nihil huiusmodi innuentibus: si conijcere licet, ex allatis paulo ante testimonijs suspicarer, Tertullianum adulta iam ætate initiatum Christi Sacramentis, hoc enim ostendere videntur, & philosophia, cui vacauerat, nec dum sacra limpha lustratus, & risus, quo sacræ fidei decreta antea contempserat: hæc enim duo non puerilem, non rationis carentem arbitrio, sed virilem, & opportuno vtentem iuditio hominis ætatem ingerunt.

Quibus auxilijs se ad Christi Domini castra receperit Tertullianus.

Cap. XVII.

SImilibus circumfusæ tenebris iacent causæ, quibus permotus paterna superstitione repudiata se fidei catholicæ manciparit. Non quærimus hoc loco, quibus auxilijs Christianæ veritatis lucem, in qua antea caligauerat, aspexerit, (cum sit extra omnem disceptationem diuinæ gratiæ præuenientis rorem, ac etiam liberum Tertulliani gratiæ obsequentis arbitrium causas fuisse, quibus suaui quodam afflatu mens illius tacta, ea dogmata, quæ alias despectui, & irrisioni habuerat, amplexata est, præuio iudicio rationis, quæ cælesti lumine irradiata, ea tamquam vera, & digna quæ crederentur voluntati proposuit) non inquam hoc agimus, sed occasiones, quæ extrinsecus Tertulliani conuersionem adiuuerē, nunc perscrutamur. An sicut Prothomartyris Stephani oratio Paulum, & melliflue Patris nostri Ambrosij conciones Augustinum peperere, sic Agrippini Episcopi Carthaginensis, qui Tertulliani patriæ pastor erat vitæ sanctitas innocentia, doctrina, & admonitiones illum Christi militem effecerunt?

An lectio sacrarum litterarum, quam exactam, & excellentem in eo fuisse, eiusdem testantur monimenta, sensim Tertulliani mentem demulsit, traxitq; ad Christum? An fortasse miracula, quæ ad reuocandas ab erroribus animas ad viam veritatis diuinum numen assolet operari, hoc munere functa sunt? Illud interim magna probabilitate non caret, ipsa Dæmonum testimonia, quibus adiurati in nomine IESV, se illos esse, quos stulta gentilitas pro veris dijs coleret, inuiti fatebantur, vt aliorum Ethnicorum, ita etiam Tertulliani vocationis causas fuisse: Clara siquidem extat apud eundem auctorem hac de re testificatio, cum ait. *Hæc denique testimonia Christianos facere consueuerunt, quia plurimum illis credendo in Christo Domino credimus.*

Apolog. ca. 23.

Vt vt res fuerit, nullo repugnante satis constat, Tertullianum statim, ac sacro regenerationis lauacro animi sordes diluit, tam acriter pro Christi gloria dimicasse, vt breui eos in Christiana disciplina progressus habuerit, qui in vno quouis omnibus numeris absoluto fideli viro desiderari vnquam potuerunt. Verum quia doctis opprime nota sunt, quæ nunc etiam extant omni eruditione, & scientijs referta illius opera, & acres, quas ad illustrandam fidei nostræ doctrinam, & refellendos hæreticos disceptationes strenue suscepit, ac gloriose perfecit, nō immorori contentus testimonij vnius Vincentij Lyrinensis, qui ad annum Christi 440. paulo post Consilium Ephesinum, vt ille: scripsit spiritum ducebat. Hic enim in aureo illo, ac vtilissimo opere de prophanis vocum nouitatibus, cum de infelici Origenis lapsu in hæresim finem dicendi fecisset, protinus ad Tertullianum orationem reuocans de admirandis illius animi virtutibus, hoc concinnauit elogium, quod nulla ratione lectori celandum est, cum in eo tamquam in parua tabella, qualis olim esset, dum in fide stetit, perpolite exprimitur. *Sed Tertulliani quoque eadem ratio est, nam sicut ille (*Origenes*) apud Græcos; ita hic Tertullianus apud Latinos nostrorum omnium facile princeps iudicandus est. Quid enim hoc viro doctius? Quid in diuinis, atque humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philosophiam, & cunctas philosophorum sectas, auctores, adsertoresque sectorum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum, ac studiorum varietatem mira quadam mentis capacitate complexus est: ingenio verò nonne tam graui, ac vehementi excelluit, vt nihil sibi pene ad expugnandum proposuerit, quod non, aut acumine irruperit, aut pondere eliserit? Iam porro orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta nescio qua rationum necessitate conserta est, vt ad consensum sui, quos suadere non potuerit, impellat; cuius quot penæ verba sunt, tot sententiæ sunt, quot sensus, tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones Appelles, Traxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnostici, etiam ceterique, quorum ille blasphemias multis, ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus euertit.*

Mira laus Tertullian. ex Lyrinēsi.

De

De infelici Tertulliani lapsu in hæreses, quas antea scriptis suis acerrimè profligarat.

Cap. XIIX.

CAeterum occulto Dei iuditio, quod acri non nisi timore recolo, vir talis, ac tantus, qualem intelleximus, e semita fidei catholicæ deflectens, & aberans in infames hæresis scopulos incidit, ac per præceps ruens errores Montani, & Cathaphrygarum somnia, & seudoprophetias mordicas tueri cæpit, quæ in Apologetico antea, quandiù fuerat Christianæ disciplinæ cultor, profligarat, deuicerat, eliserat. Cæterum quia, vt Psaltes meminit, abyssus abyssum inuocat, non modo cum Cathaphrygibus insaniuit Tertullianus, verum etiam caput fuit, & origo eorum hæreticorum, quos Tertullianistas appellatos auctor est B. Augustinus, qui ad extremum, eodem duce Augustino in Africa apud Carthaginem, & Hipponem consumpti sunt. Augustini testimonium agnosce lector. *Non ergo ideo est Tertullianus factus hæreticus*, (quod nempe Deum corporis participem arbitraretur, de hac enim re ibidem sermo erat) *Sed quia transiens ad Carthaphyges, quos antea destruxerat, cæpit etiam secundas nuptias contra Apostolicam doctrinam, tamquam stupra damnare, & post modum etiam ab ipsis diuisus sua conuenticula propagauit*, de quibus Paulo ante hæc scripserat. *Tertullianistæ à Tertulliano, cuius multa leguntur opuscula eloquentissime scripta vsque ad nostrum tempus paulatim deficientes &c.* Lib. de hæresibus.

Eandem habet sententiam de Tertulliani à fide orthodoxa recessu ad Montani figmenta S. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis. *Hic cum vsque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset ad Montani dogmata dilapsus in multis libris nouæ prophetiæ meminit.* Et statim eiusdem volumina, quæ contra Ecclesiam impiè composuit, & euolgauit recensens subdit. *Specialiter autem aduersum Ecclesiam texuit volumina de Pudicitia, de persecutione, de Ieiuniis, de monogamia, de Extasi libros sex, & septimum, quem aduersum Apollonium composuit.* Et alibi ad Pammachium, & Occeanum de erroribus Originis scribens, erudite docet, fas esse alicuius damnati auctoris laudare doctrinam, ita tamen vt illius deuitentur errores, vt à S. Cypriano Episcopo, & martyre factitatum probat, qui cum Tertullianæ eloquentiæ, & eruditionis esset studiosissimus, in Montani tamen delirium cum Tertulliano non consensit. *Quæ enim stultitia est, sic alicuius laudare doctrinam, vt sequaris & blasphemiam? Et B. Cyprianus Tertulliano magistro vtitur, vt eius scripta probant: cumque eruditi, & ardentis viri delectetur ingenio, Montanum cum eo Maximillamque non sequitur.* D. Hieronymi de Tertulliani hæresibus sententiam totidem fermè verbis mutuò accepit Nicephorus Callistus, qui post annum Domini 1300. tempore Andronis senioris

Ecclesiasti. Hist. lib. 4. c. 34.

Imperatoris floruit. Cum de Tertulliano loqueretur. *Is ad statam, mediamque ætatem in Ecclesia Catholica presbyter plura aduersus Montani dogmata conscripsit. Postea verò in illius delapsus errorem plures rursum libros pro illo composuit, in quibus nouæ etiam prophetiæ mentionem fecit, camq; ob causam, & peculiarem contra Ecclesiam Catholicam librum edidit:* Sic ille, qui cætera prosequitur, quæ citato loco memoriæ prodidit Hieronymus.

S. Hilarius de hæresibus Tertulliani non absimilia scripta reliquisse videtur; nam licet Montani dementiæ propagatorem illum fuisse non asserat vocibus expressis, (erroris tamen nomine, in quem lapsum notat Tertullianum; posteà quam de orationis Sacramento ritè scripserat, nihil aliud iure meritò intelligi potest) quippe ex Montani heresibus, quas primo Tertullianus imbiberat, tamquam ex fonte cæteræ illius blasphemiæ manarant. *De orationis autem Sacramento,* inquit ille, *necessitate nos comentandi Cyprianus vir Sanctæ memoriæ liberauit. Quamquam, & Tertullianus hinc volumen aptissimum scripsit, sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem.* Hoc eodem D. Hilarij testimonio vsus Vincentius Lyrinēsis adiecit, Tertulliani lapsum Ecclesiasticam abrupisse quietem, ac plerisquæ fuisse loco magnæ tentationis: etenim post mira illa Tertulliani laudum præconia, quæ antè retulimus hunc in modum loquitur. *Et tamen hic quoque post hæc omnia, hic inquam Tertullinus catholici dogmatis idest vniuersalis, ac vetustæ fidei parum tenax, ac desertor, multo quàm felicior, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, quod de eo B. Confessor Hilarius quodam loco scribit, Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem. Et fuit ipse quoque in Ecclesia magna tentatio, sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod contra Mosi præceptum exurgens in Ecclesia nouellas Montani furias, & insana illa insanarū mulierum nouitij dogmatis somnia veras prophetias asseuerando meruit, vt de se quoque, & scriptis suis diceretur. Si surrexerit in medio tui propheta &c. non audies verba prophetiæ illius. Quare? Quia tetat inquit vos dominus vester, vtrum diligatis eum an non.* Et ecce quid vtilitatis, ac præmij etiam in hoc seculo apud mortales sua heresi nactus sit vir alioqui eruditissimus?

Comment. in Matth. canone 5.

De fidei articulis, qui ad augustissimum Trinitatis mysterium spectant, Tertullianum perperam scripsisse auctor est Ruffinus Aquiliensis Diui Hieronymi equalis, ac aliâs amicissimus dū tradit olim callidè ab Hæreticis S. Cypriani operibus adiunctū de Trinitate Tertulliani opus, quò Sanctissimi martyris auctoritate heresis virus in simplices exererēt; sed à Ruffino dissentiens D. Hieronymus contendit, non Tertulliano Presbytero, sed Nouatiano opus illud de Trinitate esse adscribendum. Sed quod è re nostra est, non ob id ab Ecclesia Catholica, velut hæreticæ prauitatis disseminatorem Tertullianum percussum anathemate liquet, cùm planè certum sit, de Trinitate librum, qui nunc extat, Tertulliani non esse. Nam licet ex Ruffino in apologia pro Origene, ac etiam S. Hieronymo lib. de scriptoribus Ecclesiasticis clarum sit, nonnulla de Trinitate litteris mandasse Tertullianum, attamen cum in eo libro, qui inter Tertulliani opera nunc visitur, Sabelliana hæresis manifestè refellatur, ac Sabellius Tertulliano è rebus humanis sublato erro-

In apologia pro Origine prope fine.

Liber de Trinitate nō est Tertulliani.

res

res spargere suos cæperit, planè conuincitur adulterinum librum illum de Trinitate Tertulliano adscriptum esse.

Auctor commentariorum in epistolas S. Pauli, qui inter opera S. Ambrosij tom. 5. reperiuntur (non enim vt falso aliqui arbitrantur Patris nostri esse possunt, cum in illis non pauca Ambrosij doctrinæ contraria extent) ob hæreses à cætu Catholico desciuisse Tertullianum meminit in cap. 13. epist. primæ ad Corinth. super illis verbis. *Si linguis hominum &c.* quamuis peculiares illius hereses, quales fuerint, non recensuerit. *Nam, & Tertullianus, & Nouatianus non paruæ scientiæ fuerunt, sed quia per zelum charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi ad perditionem sui hæreses creauerunt.* Enim vero hæreseos crimine laborasse Tertullianum cum citatis senserunt Pacianus, qui obijt Theodosio Imperante, epistola 3. ad Sympronianum: D. Isidorus Hispalensis lib. 8. Origenum cap. 5. cum loqueretur de Tertullianistis hæreticis, quos perinde, ac S. Augustinus scribit à Tertulliano nomen, & doctrinam nactos: Angelicus Doctor primo contra gentes cap. 20. vbi inter hæreticos reijcit Tertullianum; & cæteri recentiores Trithemius, & Bellarminus de scriptoribus Ecclesiasticis, Gabriel Prateolus, & alij. Prope finē.

Cæterum hic meminisse oportet ad claram eorum notitiam, quæ de primis Tertulliani erroribus scripta sunt; Montanum, à quo Montanistæ illius asseclæ dicti sunt (quamuis S. Isidorus Hispalensis aliam huius nominis origenem assignet., doceatque Montanos à montibus vocitatos, eo quod grassante in Ecclesiæ fideles Principum Tyrannide in montibus latitarent, & hac occasione à veris Christi fidelibus recederent) Montanum inquam fuisse virum ortum vico quodam, cui Ardeba nomen erat, ambitione honoris, & dignitatis percitum, cupiditateque primatus transuersim actum, hæreses creasse, quas attingam. Verum Paracletum in se, ac scortis suis Priscilla, & Maximilla fuisse, atq; in eis diuinum prophetandi viguisse donum. Mortuos baptizandos. Damnanda secunda coniugia veluti adulterina: Licitè posse coniugum arbitrio matrimonij vinculum dissolui. Negandam lapsis pœnitentiam. Iterum sacro baptismatis Sacramento initiandos, quos ad se traxissent. Qui plura de Montani incunabilis, erroribus, & morte desiderant, legant D. Epiphanium in compendio hæreticarum fabularum lib. 3. cap. 15. qui latissime de hoc agit tom. primo lib. 2. aduersus hæreses hæresi 48. Eusebium Cæsariensem Ecclesiasticæ historiæ lib. 5. cap. 14. 15. 16. 17. 18. Nicephorum Callistum lib. 4. Ecclesiast. historiæ cap. 22. & deinceps, qui antiquissimorum Patrum testimonia, & disputationes strenue susceptas recitant ad funditus eradicandam Montani insaniam.

Præcipuarū Montani hæresum capita, & vnde dictus sit Mōtanus hæresiaca.

Cap.

Cur Tertullianus à fide Catholica ad deliramenta Montani desciuerit.

Cap. XIX.

Rhenanus: Voluit damnatæ memoriæ auctor Tertullianum eloquentia sua apud æmulos tantam sibi inuidiam conflasse, vt eorum liuore offensus ad Montani dogmata transierit. Verùm qua hoc probabilitate dixerit, quibusue fundamentis diuinare non possum; quid enim paucorum maleuolentia Tertullianum ad iram, & desperationem sic permouere potuit, vt à pijs fidelibus, matreq; Ecclesia rebellaret? Alios delectat opinari, id Tertulliano accidisse ob Ecclesiasticas censuras, nam cum in fide claudicare cæpisset fauens Montani dogmatibus, Communione Ecclesiæ priuatus est, quod inique animo ferens se se totum Montani figmentis addixit. Verũ hanc sen-
Num. 501. tentiam eo refellit argumento Pamelius, quod Tertullianus excommunicationem magnifaceret; quippe quam diuinam censuram, & futuri iuditij præiudicium appellet Apolog. cap. 39. At quid mirum est Tertullianum, quoad supernaturalis fidei lumine polluit, censuras Ecclesiasticas, vt par erat, timuisse, easque congruis significasse nominibus; at vbi hęresis caligine deperijt in eo cęleste lumen, vna secũ pariter iustus timor corruit, quo de Ecclesiasticis pœnis tenebatur; qua enim ratione metuere poterat inflictas sibi ab Ecclesia pœnas, qui Ecclesiæ caput toties lacerauit, ac impiè criminatus est aduersus Praxeam cap. primo: quare licet creditu pronum videatur hinc Tertullianam frenesim ortum habuisse meditanti illius verba, quæ sunt in c. primo lib. de Ieiunio.
Num. 13. & cap. 13. nu. 30 31. *Dum quaqua ex parte anathema audiamus, qui aliter annunciamus.* Quæ, ni fallor aperte satis indicant, Tertullianum vna cum Proclo, ac reliquis Montanistis fuisse excommunicatum à Summo Pontifice Zepheryno post publicam disceptationem, in qua Procli, & asseclarum Montanistarum damnati sunt errores, ego tamen, vt mox dicam, hanc Ecclesiasticam censuram, Tertulliano non inuitamentum, sed defectionis supplicium fuisse reor.

Suspicatur Pamelius magnæ eruditionis vir extincto Agrippino, quem antea Carthaginensem Episcopum fuisse diximus, in ea sibi quærenda sede tulisse repulsam astu, & inuidia Romanorum Clericorum, quos non modice momorderat libro de Spectaculis cap. 25., ac proinde Tertullianum eam ob causam factum hostem Romanæ Ecclesiæ. Suæ autem opinioni fidem, & auctoritatem conciliat Pamelius, quod eadem sit Nouatiani, & Tertulliani casus ratio (vt Paulo post antiquissimi viri testimonio roborabitur) & Nouatianus in schisma versus est ob repulsam, quam in petenda Romana sede merito tulit. D. Hieronymus lib. de scriptoribus Ecclesiasticis hæc de præsenti quæstione habet. *His*

cum

cum vsque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset, inuidia postea, & contumelijs Clericorũ Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogmata dilapsus &c.

Ex quo B. Hieronymi testimonio colligi posse videtur, non tam sponte, quam coactè contumelijs lacessitum ad partes Montani se recepisse Tertullianum, in cuius sententiam discedens Marcus Antonius Sabellius Enneadis lib. 6. Tertullianæ desperationis causam in Cleri Romani infestationem coniecit. Verùm Hieronomyanæ opinioni opposita penitus verior videtur opinio auctoris certe antiquissimi (quicunque ille sit, siue Hilarius Diaconus Romanus, qui Luciferi schisma propagauit, vt tutior habet sententia, siue quiuis alius) auctoris inquam commentariorum in Epistolas D. Pauli, qui Sancto Ambrosio tribuuntur. Is enim tradit non ab alio, quam à Tertulliano ipso natam inuidiam, qua Clericos Romanæ Ecclesiæ persequebatur his verbis. *Per inuidiam charitatem corrumpentes scientiam ad nihilum deduxerunt. Nam, & Tertullianus, & Nouatianus non paruæ scientiæ fuerunt, sed quia per zelum charitatis fœdera perdiderunt, in schisma versi ad perditionem sui hæreses creauerunt.*

Ego relictis suæ probabilitati allatis rationibus, ac illis maximè, quarum auctores omni pietate colo, & reuereor, puto plane certa in huius quæstionis explanationem in medium posse proferri. Quid enim certius desiderari potest testimonio illius, de quo agitur, quo suæ defectionis causam detegit: etenim cum de suo ad Montani somnia accessu loqueretur ait. *Et nos quidem postea agnitio Paracleti, atque defensio disiunxit Psychicis*. Hac enim appellatione fidei Catholicæ alumnos notæ, & iurgij loco, postquam rebellauit, sæpissime nominat, vt scripta illius peruoluentes norunt. Ergo defecit non ab alio, quam à se ipso temere deceptus, vbi enim à Romano Pontifice, qui totius Ecclesiæ caput est, & ad quem duntaxat sana dogmata approbare, & reprobare insana pertinet, proscriptam Montani hæresim intellexit, & damnatum illius Paracletum, & defensorem se exhibuit eiusdem hæresis, quam antea exploderat, ac se à Catholica matre omnium Ecclesia separauit diro anathemate ictus. Aduersus Praxeã cap. primo

Quòd si præterea quæratur, an hæc subita Tertulliani voluntatis mutatio malitiæ an ignorationis, & leuitatis crimen fuerit. Vtrumque dici posse reor. Illud suadet Tertulliani ingenij acumen, quo olim Montani hæresim eliserat, ipsaque veritas illi apprime nota de Cataphryggum somnijs, & figmentis, in quæ per præces voluntario interitu sese deiecit. Prętereà non solùm probabile, sed prope certum sit, vt docte suspicatur Cæsar Baronius, Tertullianum ægrè tulisse Victorem Gentilem suum (vterque enim Afer erat) sibi Prælatum, cum ad summi Sacerdotij dignitatem, totiusque Ecclesiæ regimen, & imperium merito euectus est: siue quòd à Victore eos non sit honores consecutus, quos sibi deberi putabat: siue quòd non ijs coleretur officijs, quæ voluisset, potuitque etiam fieri vt ad defectionem Tertulliani mentem inflammarint, quæ supra ex Pamelij sententia adduximus. Anno Christi 201. nu. 3.

Secundum autem docere videntur, quæ miser vti planê diuina narrat, haud sentiens se inanibus mulierculaum commentis deceptum, Montanistarum somnijs eam accõmodasse fidem, quam antea sacris litteris

ad-

adhibuerat. Audi, proh dolor, quid impio errore deceptus crediderit de Montani falsa Prophetide agens. *Est hodie, inquit, soror apud nos reuelationum charismata sortita, quas in Ecclesia inter Dominica solemnia per extasim in spiritu patitur, conuersatur cum Angelis, aliquando etiam cum Domino, & videt, & audit Sacramenta, & quorundam corda dignoscit, & medicinas desiderantibus, submittit. Iam verò prout scripturæ leguntur, aut psalmi canuntur, aut allocutiones proferruntur, aut petitiones delegantur, ita inde materiæ visionibus subministrantur: forte nescio quid de anima disserueramus, cum ea soror in spiritu esset post transacta solemnia, dimissa plebe, quo vsu solet nobis renunciare quæ viderit (nam, & diligentissimè digeruntur, vt etiam probentur) Inter cætera, inquit, ostensa est mihi anima corporaliter, & spiritus videbatur, sed non innanis, & vacuæ qualitatis: immo etiam quæ teneri repromitteret, tenera, & lucida, & aerei coloris, & forma per omnia humana, hæc est visio Deus testis, & Apostolus, charismatum in Ecclesia futurorum idoneus sponsor*. O obcęcatam Tertulliani mentem, o insanum in res ludicras tanti viri assensum, quis sapiens non irrideat vt somnia veræ, sanæque doctrinæ contraria quæ ille ceu diuina oracula probauit? At leuitas Tertulliani ab insana muliercula Dæmone plena decepti eum in hanc vsque dementiam deiecit.

De anima cap 9.

Reor postremo abreptum in hæresum sirtes Tertullianum à Proclo Montani partium primario duce, qui cum eam rigidioris vitæ traducendæ formam obseruare videretur, in quam naturæ ductu ferebatur Tertullianus, eidem asperum vitæ cultum amanti facile persuasit ea, quæ Proclus ipse profitebatur Montani dogmata obtéto velamine veri, ac catholici dogmatis, quod de Trinitate, & Christo Domino sequebatur. Hoc ipsum luculente tractans Cardinalis Baronius ait. *At deceptus est à Procho Tertullianus, quod nimirum ille doctrinam suam non ab homine, sed à paracleto, qui descendisset in hominem, se accepisse profiteretur, quodque præ se feret veritatem catholici dogmatis in his, quæ spectarent ad Christum, atque Sanctissimam Trinitatem. Nam cum ex Cathaphrygibus alij à prima illa institutione Montani deuiarent, vt Aeschines, cuius dogmati Sabellius fauit: iste verò rectam fidem prædicaret, omnesque aduersantes condemnaret hæreticos: castitatem, & continentiam celebraret, noua ieiunia, eademque austeriona instinctu spiritus seruanda profiteretur indicere, vigilias, ac preces multiplicaret, martyrium adeo extolleret, vt ne fugam, aliasque latebras, vel redemptionem vitæ admitteret: hæc inquam, & alia id genus ille ex Paracleto homini curiosissimo ingerens, & animo, ea cupienti propinans de calice aureo babylonis sitientem potauit, quo mox redditus ebrius furere cæpit, inquè catholicos quod, tam bonas à spiritu reuelatas institutiones damnassent inuehi postea numquam destitit.* Ex quibus consequitur, Tertullianum nimiæ vitæ asperitati indulgentem à catholicis abductum corruisse.

Ad annum Christi 201. nu. 11.

Verùm quæ de ignoratione, & leuitate Tertulliani in lapsu diximus, sic accipienda sunt, vt prius iusto Dei iuditio illius intellectui densissima caligo effusa sit, præcesserintque in voluntate quædam leuitas, & inconstantia, prauaque affectio veræ fidei contraria.

Cur

De Diuino consilio miserrimos Tertulliani, & aliorum illustrium virorum casus permittente.

Cap. XX.

DE lachrymabili Tertulliani in hæresim lapsu qui diuinæ voluntatis scrutari arcana voluerit, meditetur, quæ Vincentius Lyrinensis non minus salubriter, quàm piè, ac doctè in hoc argentum annotauit, & facili negotio cognoscet, quale nonnumquam sit diuini numinis mysterium. Etenim postea quam de Tertulliano, quæ superius adducta sunt, pronuntiasset, mox nostræ huic quæstioni velut responsurus ait. *His igitur tot, ac tantis, cæterisq; eiusmodi Ecclesiasticorum exemplorum molibus euidenter aduertere, & secundum Deuteronomij leges luce clarius intelligere debemus, quod si quando aliquis Ecclesiasticus magister à fide aberrauerit, ad tentationem id nostram fieri, prouidentia diuina patiatur, vtrum diligamus Deum, an non in toto corde, & in tota anima nostra. Deinde alia diuinæ voluntatis arcana nobis reserantur, quorum illud non postremo loco constituendum est, quo sedulo admonemur, quæ sit in approbandis doctorum sententijs adhibenda cautio: licet enim eorum decretis accommodare fidem, quatenus sanctæ Matris Ecclesiæ auctoritatem, ac sanctorum Patrum vestigia recto tramite sequuntur; at si aberrauerint forte, hi protinus quicunque vel alias præstantissimi fidei catholicæ doctores essent, abijciendi, & execrandi, ceu lupi in ouicularum pellibus per insidias delitescentes,* quemadmodũ de Origene loquens idẽ prodidit Lyrinensis. *Magna profecto tres est, & ad discendum vtilis, & ad recolendum necessaria, quam etiam, atque etiam exemplorum molibus illustrare, atque inculcare debemus, vt omnes fermè catholici nouerint, se cum Ecclesia doctores recipere, non cum doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debere.*

Cæterum non modo ad aliorum vtilitatem, & admonitionem, verùm etiam ad crimina vlciscenda eorum, qui in hæreseos scelus ruunt, infelices huiusmodi casus permittit cæleste numen, *quandoque enim,* eiusdem Vincentij verba sunt, *dum gratia Dei insolentius abutuntur, dum ingenio suo nimium indulgent, sibique satis credunt, dum paruipendunt antiquam Christianæ religionis simplicitatem, dum se cũctis sapere præsumunt, dum Ecclesiasticas traditiones, & veterum magisteria contemnentes quædam scripturarum capitula nouo more interpretantur, iusto Dei iudicio in Cacodæmonis laqueos, grauaque, & pestifera dogmata incidunt; quæ omnia adamussim Tertulliano accidisse, ex his, quæ commemorauimus, quilibet etiam nõ admonitus facilè obseruare poterit.*

De Varijs Tertulliani erroribus.

Cap. XXI.

NVnc de Tertulliani erroribus agendum. Nam, & si Pamelius in vnum eos diligenter collegerit, ac etiam explicarit fusius adductis antidotis, ne lector vna cum Tertulliana lectione virus hauriret eos paradoxa appellans, e re tamen nostra est, hoc loco nonnullos eorum perstringere, quò tutam de Tertulliani premio, aut supplicio coniecturam ducamus, nam cum fides iure merito nuptialis vestis possit appellari, sine qua aditus ad celeste regnũ non patet, protinus inde clarum fiet, quæ sit in altera vita sedes assignanda Tertulliano, si vel amissa, vel scissa nuptiali veste vitam reliquit. Quod vt faciliùs exequar in duas classes Tertulliani errata discecabo. Prima ea habebit, quæ turpioris cuiusdam notæ sunt, maiorisque aduersus catholica dogmata malitiæ, & conttrarietatis. In secundam reijcio quæ licet modò fidem nostram, aut rescindant, aut lacerent, prioribus tamen videntur leuiora.

Ad primum genus spectant quæ libro de velandis virginibus cap. 10. & 11. Tertullianus scripsit secundas nuptias tamquam stupra damnans repugnante ad Romanos Paulo. *Quod si dormierit vir eius liberabitur à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro.* Cui hæreticæ blasphemiæ simile monstrum adiecit pœnitentiam mœchis omnino negandam asserens, vt videre est tota libri serie de Pudicitia. Putauit tertio loco baptizandos hæreticos, eò quod apud illos omnia sint veritati extranea, atque contraria lib. de præscriptionibus aduersus hæreticos cap. 12. & lib. de baptismo cap. 15. quamuis non solius Tertulliani, sed pene totius Africæ, & Cappadociæ error hic fuerit. Quid? fugere Christi alumnos carnifice eos ad mortem persequente non posse arbitratus est; nihilominus dicente Domino *cum persecuti vos fuerint ex vna ciuitate fugite in aliam* lib. primo ad vxorem, de corona militis cap. primo. In Montano verum, diuinumque paracletum resedisse effutiuit de velandis Virginibus cap. primo, de anima cap. 15. Iobum post ærumnas non restitutis filijs libero voluntatis dominatu sortem suam æquanimiter tulisse lib. de patientia cap. 14. Et rursus Saluatorem nostrum mundo per prædicationem anno Imperij Tiberij Cæsaris 12. Cruci ne affixum anno eiusdem decimo quinto aduersus Iudæos cap. 8. aduersus Marcionem cap. 15. male opinatus est. At in his duabus hæresibus [illegible] dignus excusatione censendus est, propterea quod in exemplaribus, quæ ad illius manus deuenerê, quod de Iobo in cæteris omnibus exemplaribus scriptum est, desiderabatur, eademque ratione fieri potuit, vt de tempore prædicationis, & passionis Domini, de quibus Lucas Euangelista disertè scripsit, mendum passa essent sacra volumina vitio, aut

incuria

incuria bibliopolæ. Visibilem hanc Ecclesiam in tribus laicis consistere posse suorum Montanistarum causam agens asseruit; pro quorum tutela vir aliâs acerrimi ingenij eo dementiç prolapsus est, vt in Montano, ac duobus prostitutæ pudicitiæ mulieribus Prisca, & Maximilla Ecclesiam stetisse diceret de exhortat. castitatis cap. 7. de pudicitia cap. 21. Montanum in exstasi, propheticoq; spiritu excelluisse de velandis virginibus cap. primo, & lib. de anima c. 9. delirauit. Dei filium visum ab hominibus semper in vera, tametsi non nata, nec concepta carne aduersus Iudæos cap. 9. de carne Christi cap. 6. commentus est. Tandem pro clausula huius primi generis errorum Tertulliani ea ad posteritatem litteris mandauit de Deipara Virgine, quæ (ni piè lector interpretetur) tanto virgineo flore omnino sint indigna Virginem enim peperisse Dominum communi lege patefacti corporis lib. de Carne Christi cap. 4. & 20. dixit. At testimonium illud intelligi fortasse posset de ea corporis aperitione, quæ virginitatem non læserit. Verùm Mariam semel nupturam post partum lib. de velandis Virginibus cap. 6. de carne Christi cap. 21. arcanum diuini eloquij sensum non scite percipiens impiè somniauit.

In posteriori ordine collocanda videntur, quę tenere effutiuit de duabus quadragesimis ab vno quouis fidelium custodiendis lib. de Ieiunio passim. De Psychicis, quo nomine carpsit catholicæ religionis professores eos animales appellans aduersus Marcionem lib. 4. cap. 22. aduersus Praxeam cap. primo. De mille annis post corporum resurrectionem futuris de resurrectione carnis c. 25. aduersus Marcionem lib. 1. c. 29. de Deo corporeo, quasi dari nihil queat corporis fece carens lib. de pœnit. cap. 3. aduersus Hermogenem cap. 35. de quo Tertulliani dogmate ea in mentem lector reuocare poterit, quæ ex sententia S. Augustini cap. 1. annotauimus, vbi excusari potuisse Tertullianum aliquo in sensu scripsit. De Christo Dei spiritu, quam locutionis formulam meritò reprehendit S. Hieronymus cap. 4. epist. ad Galatas, & epist. ad Pammachium de erroribus Origenis. De anima corporea apol. cap. 48. libro de anima c. 5. 6. 7. 8. quam nihil pati potuisse apud inferos sine corpore olim malè senserat, licet postmodum instructior in rebus fidei iam factus disertis verbis oppositum, & senserit, & palam docuerit de anima c. vlt. & de resurrect. carnis c. 17. De anima primi hominis ex materia Dei lib. 4. aduersus Marcionem c. 37. De animę sexu lib. de anima c. 3. De peccatrice anima, nēpe quod sicuti de corrupta carne caro seminatur; ita etiam de anima peccatrice; peccatricem animam originali labe infectam à gignentibus trahi de anima cap. 40. De Posterorum Adæ animabus ex traduce de anima 9. & 19. De animabus sanctorum, quæ in sinu Abrahæ, siue Paradiso, siue sub altari, siue loco non cælesti, sed tantum inferis superiori fouentur, & gaudent detentis ad diem vsq; Iudicij Apol. cap. 47. De animabus mortuorum, quarum exhibitionum in corpora censuit esse præstigias de anima cap. 57. Addit S. Augustinus lib. de hæresibus putasse Tertullianum animas hominum impiorum post mortem in Dæmonas verti. Cæterum quia illius monimenta legentibus nihil huiusmodi obuiam datur, in Tertullianistorum hereticorum figmenta potius, quàm in Tertulliani errores conijciendum

Lib. 8. Orig. cap. 5.

est: maximè cum crimen hoc esse Tertullianistarum D. Isidorus Hispalensis, & alij docuerint, ac testetur Sant. Hieronymus hoc tribuendum Origini, quare iure meritò credi potest in codice Augustiniano vice illorum verborum, *dicit, & credit*. Legendum est, dicunt, & credunt. Postremo de Angelis desertoribus, qui mulierum pulchritudine capti eas sibi Matrimonio dicarunt de Idolis cap. 9. de habitu muliebri cap. 2. in quo dogmate priscis temporibus plurimos Patrum fuisse deceptos, non est cur hoc loco lectorem moneam.

Et hæc sunt, quæ æternam Tertulliani salutem in discrimen merito adduxisse videntur. Nam licet pleraque secundi generis decreta non sint Tertulliano vt hæreses tribuenda, cum per ea tempora non essent Ecclesiastica Summi Pontificis Romani, Ecclesiæ, ac Conciliorum auctoritate damnata, vt subsequentibus post modum seculis factum est discussa penibus veritate, & agitatis hinc, & inde quæstionibus ad ea spectantibus. Cætera tamen fermè omnia, ac Montani deliria in primis Tertullianum aperte accusant, qui S. Victoris, & Zepheryni Pontificum Romanorum, qui iustis decretis Montanum, eiusque sectarios iustissimo anathemate percusserunt, spreta auctoritate, maluit cum Cathaphrygibus insanire, quam Ecclesiasticis legibus obsequi.

Tertullianum diuinæ iræ obnoxium extremam diem clausisse.

Cap. XXI.

AT numquid commissi sceleris dolore affectus sanctæ Matris Ecclesiæ, cuius iura fregerat, miserationem, & veniam sensit antequam fatis concederet Tertullianus? Nonnullorum viguit opinio, ei saniorem mentem sic inspirasse Deum, vt ad extremum vitæ mortalis rursum eiusdem alumnus euaserit. Quorum sententiæ nonnulla videntur suffragari ex ipsis Tertulliani operibus manifesta; etenim post patratum hæresis scelus Romanam Ecclesiam, à qua disciuerat, esse totius Ecclesiastici corporis caput egregio testimonio obfirmauit ita loquens. *Habes Romam vnde nobis quoque auctoritas præsto est statu felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt, vbi Petrus passioni Dominicæ adequatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apostolus Ioannes postea quam in oleum igneum demersus nihil paßus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesijs contesserarit.* At si Romano Pontifici, quem non vno in loco dicterijs lacerauerat, eiusque Ecclesiasticæ auctoritati, & imperio paruit, quid de redintegratæ filius erga catholicam fidem obsequio dubitandum? Præterea post contractas inimici-

De præscrip. aduers. hæreticos c. 36

tias

tias,quibus in capitale odium incitatus in omnes Christi fideles,totiusq; Eccl.caput venenata iacula contorsit, in terris super cęteras orbis totius Ecclesias supremam Romani Pōtificis potestatem agnouit. *Pontifex maximus Episcopus Episcoporū dicit &c.* Quod non obscurum reconciliati animi erga Apostolicam sedem fuisse videtur indicium; veluti disertis verbis scriptum reliquit. D. Pacianus epistola 3. ad Symporianum. *Tertullianus post hæresim (nam multa inde sumpsistis) ipsum epistola sua, & ea ipsa, quam catholicus edidit, audies confitentem posse Eclesiam peccata dimittere*; cuius testimonij verba illa *post hæresim, & quam catholicus*, sic aperta sunt, vt illustratione, commentoue non egeant. Ad hæc D: ipse Hieronymus, qui Tertulliani blasphemias, quas hæresis labe infectus euomerat,non vno in loco auersatus illum ceu eiusdem fidei cultorem appellat suum. Audi quid ad Damasum penes quem totius rei Christianæ summa erat, testetur. *Sed quod ab eloquentissimis viris Tertulliano nostro scilicet, & Nouatiano*. Postremo accedit, inter martyres ab nonnullis reponi Tertullianū, cuius anniuersarium diem festum vltimo mensis Iulij agi consueuisse meminit Beda Venerabilis in martyrologio. De pudicitia cap. 1. Tom. 3.

Cæterum hæc opinio nemini, qui Sanctorum Patrum non sit planè ignarus, probari potest, diuinæ enim vindictæ obnoxium Tertullianū perijsse omnes cùm antiqui, tùm recentis æui scriptores, qui lapidem illum leuiter euoluerē,vel pro certo habent, vel subindicant non obscure. Quid enim sonat illa D. Hilarij sententia. *Sed consequens error hominis detraxit scriptis probabilibus auctoritatem*, nisi Tertullianum post agnitam, alijsq; explicatam de rebus fidei veritatem sic corruisse,vt hæretico lapsu inposterum operibus suis auctoritatem abrogarit. Hinc iure merito Gelasius Summus Antistes Tertulliani monimenta inter apogrypha reijcienda sanxit, non solum ob multiplices errores, quibus scatent, verùm etiam ob infamem ab Ecclesia Matre recessum. Eadem planè mens est Vincentij, qui parem Origenis, & Tertulliani casum fuisse meminit: at Origenem terras reliquisse ab Ecclesia reuulsum aliàs ostendimus. Præterea quo pacto ad Catholicos Tertulliani redditum in præteritis reliquisset Lyrinensis, qui ad cælum vsq; omni laudum cumulo illius extollens ingenium rei addeo gloriosæ non meminit? In Concilio Romano de libris authē. & apo[c]ry[ph].

Porro talem fuisse Tertullianum nemo de mente S. Hieronymi dubitare potest, si cogitet eum in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis totum vitæ Tertulliani spatium ad duo veluti capita reuocare: alterum, quo ad mediā vsq; ætatē in Christianis castris strenuè militauit:alterum,quo ad senium, & extremam vsq; senectutem perueniens insaniuit delirijs Montanistarum. An clarius Hieronymi hac de re postulas testimoniū? Lege quę aduersus Heluidiū disputat, qui cum pro sua opinione testem Tertullianum excitasset, non alia ratione eum refellere voluit, quam Tertulliano non esse standum sententiæ cum fuerit ab Ecclesia reiectus. *Et de Tertulliano* quidem ait, *nihil amplius dico, quam Ecclesiæ hominem non fuisse*. Tom. 2.

Quod non solum tanti Patris auctoritate suffulti, sed etiam euidentissimo eiusdem Tertulliani testimonio reuicti credimus; quandoquidem ab eo omnem Catholicæ Ecclesiæ societatem repudiatam ex his verbis clarè intelligimus. *Erit igitur, & hic aduersus Psychicos titulus*; De pudicitia cap. 1.

ad-

aduersus meæ quoq: sententiæ retro pædes illius societatem, quo magis hoc mihi in notam leuitatis obiectent. Numquam societatis repudium delicti præiudicium est: quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur. At enim me non magis decorabit inutilis leuitas, quam ornarit nocens. Non suffundor errore, quo caruisse delector, quia meliorem me, & pudiciorem recognosco. Nemo proficiens erubescit. Hæc Tertullianus moechos, & fornicatores ad tartarum nulla spe miserationis tradendos impiè contendens. Idem de Tertulliani fine iuditium fuit B. Augustini, qui cum de hæresibus ageret, non solum sordidum hæresis labe Tertullianum fuisse (quippe qui ad turpissima cathaphrygum dogmata se transtulerit) verùm etiam proprias sinagogas, & conuenticula construxisse docet postquam ab catholicis defecit. Cum Augustino consensit D. Isidorus Hispalensis citato loco, Nicephorus Callistus Ecclesiasticæ historiæ lib. 4. cap. 34. ac vt breuissimè dicam, omnes ij, quorum votis Tertulliani lapsum comprobauimus: horum enim omnium vna mens, & similis sententia est, illum ab hæresi, in quam ceciderat, ante obitum non conualuisse; quemadmodum docere videtur Ioannes Trithemius lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, Gabriel Prateolus in cathalogo hæresum, Antonius Posseuinus, Iacobus Pamelius, Cardinalis Bellarminus, Marcus Antonius Sabbellius enneadis 7. lib. 6. qui suam ab S. Hieronymo opinionē mutuatus est, & Cęsar Baronius, cuius votum ob tanti viri nostrę tempestatis auctoritatem nunc attingā. *At quod ad spectatissimi hominis lapsum pertinet, magnum planè cum admiratione timorem fidelibus incussisse certum est, cum tam insignem, tam eruditum, recti amantem, ac omnibus planè numeris absolutum virum sic viderint primò corruere, ac denique in profundum malorum omnium præcipitem ferri*, & mox multis interiectis. *Nam licet cum adhuc recentior esset eius memoria execrabilis omnibus propter apostasiam remansisset &c.* Postremo illud contra Tertullianum militat, quod à Zepheryno Summo Pontifice, vt supra diximus, diro anathematis vinculo obstrictus est, à quo tamen non legimus fuisse absolutum.

Thom. 6. hęres. 86.

Tertulliani lapsum in hæresim frustra excusari.

Cap. XXIII.

NVnc ad ea refellenda veniamus, quæ in oppositum confecta sūt argumenta: ea enim inania esse clara eorū confutatio fidē omnibus astruet. Ergo summum Ecclesiæ Romanæ imperium agnouit, laudauit, ac coluit Tertullianus: probe quidem: sed vtinam in eadem sententia, quæ vna pia, sancta, & salubris est, ad extremum vsq; spiritum stetisset. Verùm quia elogium illud scriptis edidit cum adhuc esset acerrimus partium nostrarum defensor, ac veri

amans,

amans, nihil eidem postmodum rebellanti, ac supremam Romanæ Ecclesiæ potestatem neganti profuit encomium; notum quippe sapientibus est, opus Tertulliani de prescriptionibus aduersus hęreticos confectum, ac in lucem editum ab eo nec dum phanatico Montanistarum ęstu commoto, quo ebuliens verba illa protulit, quæ in libro de pudicitia habentur, *Episcopus Episcoporum*; non enim ea proficiscebantur ab animo imbuto fide, reuerentia, & obedientia, qua opus erat, erga Summum Pontificem Romanum, sed erant planè irronica, plenaque veneno, non enim vt Zepheryni decretis obsequeretur, sed quò aduersaretur, ac in caput Ecclesiæ obstreperet, verba illa vsurpauit. Etenim contra Montani furias recipiendos esse lapsos edixerat Zepherynus: quod grauissimè ferens Tertullianus, qui Moechis, ac fornicatoribus pœnitentiæ fores clauserat, insanabilique rabie fremens hæc in Zepheryni edictum protulit. *O edictum, cui adscribi non potest bonum factum, & vbi proponetur liberalitas ista? Ibidem opinor in ipsis libidinum ianuis, sub ipsis libidinum titulis. Illic eiusmodi pœnitentia promulganda est, vbi delinquentia ipsa versabitur. Illic legenda est venia quo cum spe eius intrabitur.* Et ecce plena temeritatis in Zepheryni decretum, quem Episcopum Episcoporum paulo ante dixerat eodem in capite, miserrimi Tertulliani censura. Cap. 1 de pudicitia.

Quod ad D. Paciani testimonium spectat, Romana correctio, qua Veterum Patrum scripta, quæ cautione egent, ad legentium vtilitatem expurgantur, delendam notam eam præcipit, quæ citato loco admonet, Tertullianum ab hæresi ad fidem se recepisse gnara, vt arbitror, ex illis D. Paciani verbis, si ad oram libri apposita illustratio expungatur, haberi meritò non posse Tertullianum exuisse hæresis crimen: nam verba illa si expendantur, mancam, & mutilem sententiam in se claudunt; addendum enim non nihil, & hac ratione concinnandam Paciani sententiam reor. Tertullianus post hæresim vester est, alioqui Paciana lectio prorsus inconcinna remanet, parique ratione, illæ dictiones, *quam catholicus edidit*, ad id tempus referendæ sunt, quo hæretica prauitate non oblectabatur. At si quis contentionis amans huic interpretationi non aquiescet; omnino Pacianum contrariæ opinionis propugnatorem esse contendens: vnius viri voto tot aliorum Patrum opponenda erunt suffragia.

De D. autem Hieronymi voto ne is sollicitus sit necesse est, qui oculis, ac mente ea percurrat, quæ paulo superius iuxta eiusdem sanctissimi Patris placitum de Tertulliano adduximus, quem catholicæ Ecclesiæ non fuisse virum affirmat: nostrum igitur dixit ad id temporis spatium respiciens, quo rem catholicam iuuit, & non demolitus est: nisi asserere malueris nostrum ab Hieronymo appellaui, ea ratione, qua nostrum dixit Origenem; *nostrum voco*, ait ille, *Origenem ob eruditionem ingenij, non ob dogmatum veritatem*. Apolog. 1. aduers. Ruff.

Tandem apud Venerabilis Bedę martyrologium scio decoratum corona martyrij Tertullianum, at quis Florentem Septimium Afrum hunc esse Tertullianum iure dixerit, quem tot sanctorum Patrum decretis constat extra numerum fidelis populi fuisse eliminatum? Suspicor, ni mea me fallit opinio, ex paruo litterę vnius discrimine contractum

errorem

errorem, ac Tertullini loco legi Tertullianum, quicunque fuerit mendi auctor; Tertullinum enim sub Imperio Valeriani, & Galeni præclarum martyrij cursum preclariori catholicæ fidei testificatione confecisse S. Stephani acta loquuntur. *Hoc audiens Stephanus* (nempe Tertullinum duodecim martyrum reliquias humasse) *vocat ad se Tertullinum, & de regno Dei, & vita æterna eum erudiens baptizauit, & in albis positum præsbytero consignauit &c.* Inde post multa, & varia tormenta ductus est Tertullinus, & via Latina secundo ab Vrbe lapide decollatus Kalendis Augusti. Sed huius tractationis, quæ est de infelicissimo, semperq; lachrymabili Tertullia finis esto.

F I N I S.